





BREVIARIUM

FOROJULIENSE.

PARS HIEMALIS.





ADORATION DES MAGES

BREVIARIUM

FOROJULIENSE,

ILLUSTRISS. ET REVEREND. IN CHRISTO PATRIS,

DD. EMMANUEL-FRANCISCI,

DE BAUSSET-ROQUEFORT,

EPISCOPI FOROJULIENSIS AUCTORITATE,

NEC NON VENERABILIS EJUSD. ECCLESIÆ CAPITULI CONSENSU,

EDITUM.

PARS HIEMALIS.



VESONTIONE,

EX TYPIS L. GAUTHIER.

1833.



EMMANUEL-FRANCISCUS

DE BAUSSET-ROQUEFORT,

MISERATIONE DIVINA, ET S. SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPUS ET DOMINUS FOROJULIENSIS;

CLERO FOROJULIENSI,

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU.

NON est quòd immoremur, Fratres Carissimi, in exponendâ vobis orandi necessitate, quam et tenetis, et amatis, et aliis, ut confidimus, indesinenter commendatis. Enimverò si ex ipsâ suâ conditione quilibet Christianus, ità pronuntiante Christo, *orare semper* debeat et *numquàm deficere* [1]; quantò magis Viri Ecclesiastici quos ideò sibi separavit Dominus, ut stent coràm eo, et ministrent ei, et orent pro filiis Israel? Hoc intellexerunt primi novæ Legis Sacerdotes Apostoli, cùm id muneris ipsi sibi præscripserunt ut *orationi et ministerio verbi* [2] jugiter instarent. Hoc Apostolicis instructa documentis intellexit Ecclesia, cùm, redditâ sibi pace, certas per singulos dies assignavit horas, quibus in templum convenientes sacrorum administri socias ingeminarent preces, vim Deo gratam facerent et fidelibus rerum temporalium necessitate impeditis cœlum aperirent, unde in illos depluerent supernarum imbres benedictionum. Hinc pretiosa illa consuetudo, quæ jam à pluribus seculis in legem versa et in variis Conciliis as-

1 Luc. 18. — 2 Act. 6.

serta, ad illarum precum, quas Horas canonicas vocant, quotidianam recitationem, eos omnes obligat, qui vel Ordinis sacro caractere sunt insigniti, vel Beneficii cujuslibet ecclesiastici titulo gaudent et fruuntur.

Verùm et si in omnibus orbis Christiani Ecclesiis lex eadem, non ubiquè tamen idem legem adimplendi modus, non eadem precandi forma. Nec indè vel levissimè læditur Ecclesiæ decor et venustas, quæ licet *omnis gloria ejus ab intùs* [1], stat nihilominùs *à dextris* Sponsi sui, *in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*. Quid autem multicolor illa vestis, nisi varietas sacrorum rituum quibus Ecclesiæ Ministri Deo laudes persolvunt? *Optimum est*, inquiebat sanctus Isidorus Hispalensis [2], *ut gravis prudensque Christianus eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam ad quam fortè devenerit*. Neminem ergo offendere debet, quod in diversis Ecclesiis diversæ ceremoniæ vigeant; *In iis* enim *rebus*, ait sanctus Augustinus [3], *de quibus nihil certi statuit* DIVINA SCRIPTURA, *mos populi* DEI *et instituta majorum pro lege tenenda sunt : et sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt*.

Nemini porrò ignorare liceat quod priscis Ecclesiæ temporibus Episcopus quisque in suâ Ecclesiâ precum publicarum rationem ipsemet constituebat, immò et Ordinum religiosorum Institutores psallendi formam in suis Monasteriis, non contradicentibus Episcopis, novam aliquando, et sæpè ex alio ordine mutuatam præscripserunt. Unde sanctus Gregorius

1 Ps. 44. — 2 De Eccl. Offic. Lib. 1, c. 43. — 3 In Can. Dist. II. cap. 7 et 8.

Magnus cùm Augustino à se ad Anglos Evangelii luce collustrandos misso, ac de varietate Rituum, quam in variis Ecclesiis ægrè observaverat, sciscitanti respondebat[1] : *Noverit Fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in quâ se meminit enutritam. Sed mihi placet ut sive in Romanâ, sive in Galliarum, sive in quâlibet Ecclesiâ aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas et in Anglorum Ecclesiâ, quæ adhuc in fide nova est, ... infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis verò quibusque Ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige.* Quæ sancti Doctoris verba eò libentiùs exscripsimus, quòd in re præsenti non modici sunt ponderis.

Vobis enim novum Breviarium offerimus, Fratres Carissimi, quod eò felicioribus auspiciis in lucem proditurum confidimus, quò ardentioribus votis à vestrûm plurimis jamdudum efflagitatum est. Novum autem dicimus, non quasi nova et hactenùs vobis ignota contineat, sed quia meliori ordine digestum, novum Officiis ecclesiasticis conferet splendorem.

Neminem igitur moveat si pro jure quod ad Ecclesiæ nostræ regimen institutio divina nobis contulit, quodque sacrum Concilium Tridentinum asseruit, Episcopis commendans ut Ecclesiarum suarum Missalia et Breviaria emendarent, Breviario Romano, quod urgentibus rerum angustiis, suum ad tempus fecerat Aquensis Provincia, faustis nunc faventibus circumstantiis, proprium Breviarium substituamus, in quo Ecclesiæ nostræ Ritus antiquatos revocantes, eo modo quo per tot secula Patres nos-

[1] Lib. II. Epist. 64.

tri cursum Canonicum peregerunt et nos deinceps peragere valeamus.

Habuit enim Forojuliensis Ecclesia peculiares Rituum Libros quorum adhuc monumenta supersunt, quos, cum viris ad id à nobis delectis in promptu fuit attentiùs inspicere; eamdem fermè methodum ac formam in iis usurpatam compererunt, quæ in plerisque Ecclesiarum Galliæ de novo excusis Breviariis conspicitur. Inter hæc autem, cùm emineat Breviarum Parisiense, in plures Ecclesias hujus regni jam invectum, illud adoptandum censuimus; nostrum tamen ita facientes, ut præter Proprium Sanctorum quod de novo confici curavimus, quasdam etiam in ceteris partibus mutationes, quando congruæ nobis visæ sunt, adhibere non fuerimus veriti; id unum nobis proponentes, ut nonnisi quàm maximè elaboratum ad vos perveniret opus.

Quantùm autem utilitatis ex hocce Breviario sitis percepturi, hinc licet conjicere, quòd in eo abundè reperietis, quidquid ad erudiendam et excitandam fidem aptissimum, quidquid ad fovendam et inflammandam pietatem efficacissimum desiderari potest.

Totius operis basis Scriptura sacra, ex quâ, si Lectiones quasdam, Canones, Hymnos, ac Collectas excipiatis, singulæ partes Officii deprompta sunt. Indè fiet ut quotidiè habentes præ oculis et in ore eloquia Domini casta, divini amoris ignem quem spirant, in cordibus vestris inflammari sentiatis.

Lectiones quædam ex Sanctorum Patrum sermonibus desumptæ, vel Textui sacro explicando, vel informandis moribus inservient; Acta Sanctorum ex probatissimis scriptoribus excerpta ad eorum imitationem mentes vestras accendent; Hymni non minùs

gravitate sententiarum ac vividis pietatis affectibus, quàm verborum elegantiâ ac metri nitore commendabiles', dulcibus illecebris divinis vos assuescent Laudibus. Canones Conciliorum, quibus intermiscere placuit delectas Patrum sententias, præcipua Disciplinæ Ecclesiasticæ capita complectentes, eximii vestri statûs amorem vobis indesinenter inculcabunt. Orationes tandem quas Collectas vocant, fervidæ pietatis sensus exhibentes, mentes vestras et corda ad superna continuò erigent.

Cum omnium Sanctorum quos per orbem universum Ecclesia Catholica colit; Festa nobis celebrare non liceat, iis præ ceteris locus in Calendario datus est, qui vel Ecclesiæ totius, vel universæ Galliæ, vel certè Provinciæ nostræ aut Diœcesis perpetuâ sunt veneratione conspicui, quorum plures hanc regionem vitâ, morte, aut miraculis illustrarunt, et ideò peculiarem à nobis exigunt cultum.

E Luctuosis Quadragesimæ diebus, juxtà Canones antiquos, Sanctorum celebritates amovimus, et in aliud tempus transtulimus, iis tantùm exceptis quæ festivantur à populo. Nec à venerabili hoc instituto recessisse videbimur, singulis illius temporis Feriis sextis assignando Officia propria, quæ dum varia Passionis et Crucis Christi mysteria menti repræsentabunt, teneris simul pietatis affectibus cor movebunt, ad pœnitentiæ labores reddent alacrius, et ad Pascale Sacramentum securiùs præparabunt.

Quò certiùs erga beatam Virginem Deiparam devotionem promoveamus, illius Festorum Solemnitati, non solùm nihil detractum est, sed etiam plura addita, cùm die Sabbati cujusvis hebdomadæ, ipsi jam omnium Ecclesiarum usu consecrato, ad ritum

celebriorem à nobis evecto, Officium sanctissimæ Dei genitricis nulli cedat Festo Semiduplici, et à Natali Domini usque ad Præsentationem ejus in Templo etiam Duplicibus-minoribus præferatur.

Quod in novis Breviariis circa quasdam Octavas observatum est, scilicet ut dies Octava Festi suum habeat objectum peculiare, cum ipso tamen objecto Festi connexum; hoc in omnibus, non solum Mysteriorum ac Festorum Domini, sed et Beatæ Mariæ Virginis et aliorum Sanctorum Octavis, quantùm licuit, servari curavimus: cui proposito ut faceremus satis, quædam Officia è loco suo dimovenda fuerunt, quædam de novo adjicienda, quæ Festi principalis quasi complementum forent et corona.

Breviarum igitur hoc nostrum tot titulis venerandum, eâ mente suscipite, Fratres Carissimi, quâ nos ipsi vestris commodis intenti conficiendum curavimus. Si in Psalterii distributione ac Officiorum distributione brevitati aliquid concedendum judicavimus, non quasi diffidentes de vestrâ diligentiâ ac pietate id fecimus, sed ut singulis Hebdomadis recitando Psalterium integrum, quod in veteri Breviario nunquàm licuit, et fastidii periculum evitetur, et de Vatis Regii suave sonantibus nihil deperdatur eloquiis.

Quo circa, de venerabilium Fratrum Ecclesiæ nostræ Canonicorum Consilio, Clerum omnem nostrum tam privatim quàm publicè hocce Breviario uti volumus ac jubemus. Insuper vos hortamur, Fratres Carissimi, qui sollicitudinis nostræ pars estis potissima, ad planè et dilucidè et cum compunctione cordis recitandum, ut et recitantium mens sincerâ pietate pascatur, audientium corda ad devotionem

excitentur et mens repleatur omni scientiâ et doctrinâ.

Datum Forojulii in Palatio nostro Episcopali, die prima mensis Maii anni millesimi septingentesimi octogesimi primi.

† EMMANUEL FRANCISCUS, Ep. Foroj.

De Mandato Illustrissimi et Reverendissimi DD. Episcopi Forojuliensis.

CHAUTARD.

DE ANNO ET EJUS PARTIBUS.

Annus menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum; dies verò tercentos sexaginta quinque, et fere sex horas: tanto enim temporis intervallo sol zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt: hinc annus ille intercalaris *bissextus*, vel *bissextilis* dicitur.

De Anni correctione, ejusque necessitate, ac Kalendario Gregoriano.

Quod dictum est, annum continere tercentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est sex horas non esse integras, cùm ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas, et factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ità excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem, qui causam dederunt, ut æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII, non solum æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, à qua jam à concilio Nicæno decem circiter diebus in anno correctionis 1582 præcedendo recesserat, quod à concilio ad XII kal aprilis fuerat constitutum, et XIV lunam paschalem suo in loco reposuit; sed viam quoque tradidit, et rationem, quà caveretur, ut in posterum et æquinoctium vernum, et XIV luna paschalis à propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim æquinoctium vernum ad XII kal. aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense octobri ipsius anni 1582 eximerentur, et post quartam diem octobris sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta octobris. Et ità error, qui in præteritis tot annorum circulis irrepserat, momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne à XII kal. april. æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis; qui quamvis bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600 anno correctionis proximum, post eum tamen, qui deinceps consequerentur centesimi, non omnes bissextiles essent, sed in quadragintis quibusque annis primi quique tres centesimi sine bissexto transigerentur, quartus verò quisque centesimus esset bissextilis; ità ut annus 1700, 1800, 1900 bissextiles non sint, anno vero 2000 more consueto dies bissextus intercaletur, februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi, intercalandique bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

Quatuor tempora.

Quatuor tempora celebrantur quarta et sexta feria, ac sabbato post tertiam dominicam Adventûs, post primam dominicam Quadragesimæ, post dominicam Pentecostes, post festum Exaltationis sanctæ Crucis.

Nuptiæ quando celebrari non possint, juxta decretum Concilii Tridentini.

A dominica prima Adventûs usque in diem Epiphaniæ, et à feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive, sancta Synodus solemnitates nuptiarum prohibet. In aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.

De Cyclo decennovenali Aurei umeri.

Cyclus decennovenalis Aurei numeri est revolutio numeri 19 annorum ab 1 usque ad 19, quâ revolutione peractâ, iterum ad unitatem reditur. Verbi gratiâ anno 1577 numerus cycli decennovenalis, qui dicitur Aureus, est 1; anno sequenti 1578 est 2, et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius usque ad 19; qui Aureus numerus cadet in annum 1565, post quem iterum ad unitatem redeundum est, ita ut anno 1596 Aureus numerus sit rursus 1, et anno 1597 sit 2, etc.

Igitur ut Aureus numerus pro quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno correctionis 1582 inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582 reperietur hoc modo.

6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15
16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4	5.	

Anno 1582 tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6, secundus autem qui est 7, sequenti anno 1583, et ità deinceps in infinitum, donec ad annum, cujus Aureum numerum quæris, perveniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quæsitum.

De Epactis et Noviluniis.

Epacta nihil aliud est, quam numerus dierum, quibus annus solaris communis dierum 365 annum communem lunarem dierum 354 superat; ità ut epacta primi anni sit 11, cum hoc numero annus solaris communis lunarem unum communem excedat: atque adeo seq. anno Novil. contingant 11 diebus prius, quàm anno primo. Ex quo fit, epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursum annus solaris lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad 11 dies primi anni, efficiunt 22, ac proinde finito hoc anno, novilunia contingere 22 diebus prius, quàm primo anno: epactam autem tertii anni esse 3, quia si rursus 11 dies ad 22 adjiciuntur, efficietur numerus 33, à quo si rejiciantur 30 dies, qui unam lunationem embolismalem constituunt, relinquentur 3, atque ita deinceps. Progrediuntur enim epactæ omnes per continuum augmentum 11 dierum, abjectis tamen 30, quando rejici possunt. Solùm quando perventum erit ad ultimam epactam Aureo num. 19 respondentem, quæ est 29, adduntur 12, ut abjectis 30, ex composito numero 41, habeatur rursus epacta 11, ut in principio. Quod ideo fit, ut ultima lunatio embolismica, currente Aur. num. 19, sit tantùm 29 dierum. Si enim 30 dies contineret, ut aliæ sex lunationes embolismicæ, non redirent novilunia post 19, annos solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, contingerentque uno die tardius quàm ante 19 annos. De qua re plura invenies in libro novæ rationis restituendi Kalendarii romani. Sunt autem novemdecim epactæ, quot et Aurei num.; respondebantque ipsis Aureis numeris ante kalendarii correctionem eo modo, quo in sequenti tabella dispositæ sunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarii correctionem.

Aur. num.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.
Epact.	xi.	xxii.	iii.	xiv.	xxv.	vi.	xvii.	xxviii.	ix.	xx.
	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	
	i.	xii.	xxiii.	iv.	xv.	xxvi.	vii.	xviii.	xxix.	

Quia vero cyclus decennovenalis Aurei num. imperfectus est, cum novilun. post 19 annos solares non præcise ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus 19 Epact. Quamobrem ita emendatus est, ut in posterum loco Aurei numeri et dictarum 19 Epact. utamur 30 numeris Epactalibus ab 1 usque ad 30 ordine progredientibus, quamvis ultima Epacta, sive quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc *, propterea quod nulla epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30 Epactis respondent decem et novem Aureis numeris variæ decem et novem Epactæ, prout solaris anni, ac lunaris æquatio exposcit: quæ quidem decem et novem Epactæ progrediuntur, ut olim per eumdem numerum 11, adduntur que semper 12, illi epactæ, quæ respondet Aur. num. 19, ut habeatur sequens Epacta respondens Aureo numero 1, ob rationem paulò ante dictam, id quod sequens tabella perspicuum faciet, quæ continet Aureos numeros, et epactas inter se respondentes ab anno 1700 inclusive usque ad annum 1900 exclusive. Quamvis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, re ipsa tamen in principio anni mutandæ sunt, una cum Aur. num. in cujus locum hæ nostræ Epactæ succedunt.

Alia Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab anno 1700 *inclusive, usque ad annum* 1900 *exclus.*

Aur. num.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
Epact.	ix.	xx.	i.	xii.	xxiii.	iv.	xv.	xxvi.	vii.	xviii.
	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	
	*.	xi.	xxii.	iii.	xiv.	xxv.	vi.	xvii.	xxviii.	

Ad tollendam dubitationem de usu hujus novæ tabellæ Epactarum, ostendemus rem exemplis. Anno 1700 tribuatur Epacta ix, quæ sub Aur. num. 10 collocatur: fietque Novilunium 22 Januarii, 20 Februarii, 22 Martii. Item anno 1701 tribuatur Epacta 20 sub Aureo num. 11 collocata, quæ toto eo anno in Kalend. novilun. monstrabit: ut in Januar. die 11. Et sic deinceps per ordinem annis progredientibus, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Rursus anno 1710 Epacta non signatur numero, sed hoc signo *, quod collocatur sub Aureo num. 1, et in Kalend. toto eo anno Novilunia indicabit, nimirum in Jan. die 1 et 31, in Martio (nam in Febr. nullum tunc erit Novilun. cum in eo signo hoc non reperiatur) die 1 et 11; in Apr. die 29, etc.

Tabella litterarum dominic. ab anno 1700 *inclusive, usque ad annum* 1800 *exclusive.*

d c b A g	f e d c b	A g f e d	
c b A g f	e d c b A	g f e d c	b A g f e

Usus hujus Tabellæ hic est: Anno 1700 tribuatur unica littera inferior c primæ cellulæ, relicta littera d superiori, quia annus ille 1700 non est Bissextili sed communis, et littera d fuit Dominicalis præcedenti anno 1699.

Anno sequenti 1701 tribuatur littera b secundæ cellulæ, etc. Item anno 1704 tribuantur geminæ litteræ f, e, quintæ cellulæ, et sic deinceps aliis annis per ordinem aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum pervenias : redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris : nam cellula, in quam annus propositus cadet, dummodo minor sit quàm annus 1800, dabit litteram Dominicalem propositi anni : quæ si unica occurrerit, annus erit communis : si verò duplex, Bissextilis : et tunc superior littera Dominicam diem indicabit in Kalendario à principio anni usque ad festum sancti Matthiæ apostoli, inferior autem ab hoc festo usque ad finem anni.

Alia Tabella litterarum Dominic. ab anno 1801 *inclusive, usque ad annum* 1900 *exclusive.*

d c b A g	f e d c b	A g f e d	c b A g f
e d c b A	g f e d c	b A g f e	

De Indictione.

Indictio est revolutio 15 annorum ab 1 usque ad 15, quâ revolutione peractâ, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli à Januario in Bullis pontificiis. Et quoniam Indictionum frequens usus est in diplomatibus, et scripturis publicis, facilè annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti tabella, cujus usus perpetuus est, initium tamen sumit ab anno correctionis.

Tabella Indictionis ab anno correctionis 1582.

10. 11. 12. 13. 14. 15. 1.
2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Nam si anno 1582 tribuas primum num. qui est 10, et sequenti anno 1583 secundum num., qui est 11, et sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris, cadet annus propositus in Indictionem, quæ quæritur.

DE FESTIS MOBILIBUS.

Quoniam ex decreto sancti Concilii Nicæni Pascha, ex quo reliqua Festa Mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proximè succedit xiv Lunæ primi mensis (is verò apud Hebræos vocatur primus mensis, cujus xiv Luna vel cadit in diem verni æquinoctii, quod die 21 mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur), efficitur, ut si Epacta cujusvis anni inveniatur, et ab ea in Kalendario notata inter diem octavum Martii inclusive, et quintum Aprilis inclusive (hujus enim Epactæ xiv Luna cadit vel in diem æquinoctii verni, id est in diem 21 Martii, vel eum propius sequitur), numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim, proximus dies Dominicus diem hunc sequens xiv (ne cum Judæis conveniamus, si forte dies xiv Lunæ caderet in diem Dominicum) fit dies Paschæ.

Exemplum. Anno 1605 Epacta est x, et littera Dominicalis b. Et quoniam invenimus Epactam x inter diem 8 Martii, et 5 aprilis inclusive positam esse e regione diei 21 Martii, à quo inclusive deorsum versus numerentur 14 dies,

inveniemus xiv Lunam die 3 Aprilis, quæ est Dominica, cùm è regione illius sit littera Dominicalis b. Ne igitur cum Judæis conveniamus, qui Pascha celebrant die xv Lunæ, sumenda est littera Dominicalis b, quæ sequitur xiv Lunam, nempe ea quæ è regione diei 10 Aprilis collocatur : atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10 Aprilis. Item anno 1604 Epacta est xxix, et duplex littera Dominicalis, d, c, cùm annus ille sit bissextilis. Si igitur ab Epacta xxix, quæ è regione diei 1 Aprilis ponitur inter diem 8 Martii et 5 Aprilis inclusive numerentur dies 14, cadet xiv Luna in diem 14 Aprilis. Et quia tunc currit posterior littera Dominicalis, nempe c, quæ post diem 14 Aprilis, id est post xiv Lunam collocata est è regione die 18 Aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18 Aprilis.

Cæterum ut faciliùs omnia Festa Mobilia inveniantur, compositæ sunt duæ sequentes Tabulæ Paschales, una antiqua, et nova altera. Ex antiqua ita Festa Mobilia reperientur. In latere sinistro tabulæ accipiatur Epacta currens, et in lineæ litterarum Dominicalium sumatur littera Dominicalis currens infra tamen Epactam currentem, ità ut si littera Dominicalis currens reperiatur è regione Epactæ currentis, assumenda sit eadem littera Dominicalis proximè inferior. Nam è regione hujus litteræ Dominicalis omnia Festa Mobilia continentur.

Exemplum. Anno 1829 Epacta est xxv, et littera Dominicalis d. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera Dominicalis d, quæ primo infra Epactam xxv occurrit, reperietur è regione hujus litteræ Dominica Septuages. die 15 Februarii, dies Cinerum 4 Martii, Pascha 19 Aprilis, Ascensio Domini 28 Maii, Pentecostes 7 Junii, et festum Corporis Christi 18 Junii. Dominicæ autem inter Pent. et Adv. eo anno erunt 24. Adventus celebrabitur die 29 Novembris, et sic de cæteris. Item anno 1859 Epacta est xxvi, et littera Dominicalis b, quæ in tabula reperitur è regione Epactæ xxvi. Quare sumenda est alia littera b, quæ proxime infra Epactam invenitur, è regione cujus invenies Septuages. die 20 Febr., diem Cinerum 9 Martii, Pascha 24 Aprilis, etc.

Notandum autem est, quòd quemadmodum in anno communi cadente littera Dominicali è regione Epactæ in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra Epactam, ut diximus : ita quoque in anno bissextili, si alterutra duarum litterarum Dominicalium tunc currentium è regione Epactæ reperiatur, assumendæ sunt aliæ duæ similes litteræ proximè inferiores, ut Festa Mobilia inveniantur.

Ex tabula verò Paschali nova ita eadem Festa Mobilia reperientur. In cellula litteræ Dominicalis currentis quæratur Epacta currens. Nam è directo omnia Festa Mobilia deprehendentur. Ut in anno 1830 cellula litteræ Dominicalis c, tunc currentis e regione Epactæ vi quæ eodem anno currit, habetur Septuages. die 7 Februarii, dies Cinerum 24 Febr., Paschæ 11 Aprilis, etc.

Sed sive antiqua, sive nova tabula Paschali utamur, invenienda sunt omnia Festa Mobilia in annis Bissextilibus per litteram Dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post festum sancti Matthiæ Apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum litterarum pro hoc aut illo Festo indagando accipienda sit : ita tamen, ut Septuagesimæ, et diei Cinerum inventæ in Januar. aut Februario addatur unus dies. Quod ideo fit, quia ante diem S. Matthiæ currit prior littera Dominicalis, quæ in Kalendario posteriorem sequitur. Post festum autem Sancti Matthiæ in Februar. licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ità ut dies 24 Febr. dicatur dies 25, et dies 25 dicatur 26, etc. Quòd si dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendum est, quia tunc et littera posterior currit, et dies mensis propriis numeris respondent, cùm dies intercalaris Februarii sit additus. Imo nisi per

posteriorem litteram investigarentur, non inveniretur rectè Septuagesima in anno bissextili currente. Epacta xxiv vel xxv, et litteræ Dominicales, d, c, ut in secundo ac tertio exemplo perspicuum fiet pro annis 4088 et 3784. Ex. gr. Anno 2096 bissextili Epacta erit v, et litteræ Dominicales A g; si igitur per posteriorem litteram, quæ est g, Festa Mobilia investigentur, reperietur Septuag. die 11 Febr., et dies Cinerum 29 Febr. Si autem addatur unus dies, cadet Septuages. in diem 11 Februar. quæ est Dominica, et dies Cinerum in diem 29 Februar. quæ est Fer. iv. Pascha autem, et reliqua festa in eos dies cadent, qui in Tabula expressi sunt. Item anno 4088 bissextili Epacta erit xxiv, et litteræ Dominicales d, c. Si igitur per litteram c, quæ posterior est, inquirantur Festa Mobilia, invenietur Septuagesima die 21 Februar., et si addatur unus dies, cadet in diem 22 Februarii, quæ est Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10 Martii; quare nihil additur, etc. Rursus an. 3784 bissextili Epacta erit xxv, et litteræ Dominicales d, c. Ergo iterum per posteriorem c, reperietur Septuag. die 21 Febr., hoc est addita 1 die 22. Quod si per priorem litteram d in utroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiv vel xxv littera d indicet Septuages. die 25 Febr., quod falsum esset, cùm eo annò posterior littera c Pascha offerat die 25 Apr., ac proinde Septuag. die 22 Febr. celebranda sit, ut liquidò constat, si à die Paschæ, Dominicæ retro numerentur usque ad Septuagesimam.

In priori porrò Tabula Paschali antiqua reformata, Epactis ad sinistram præposuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarii collocari solebant, ut ex iis Festa mobilia invenirentur. Hoc autem idcirco à nobis factum est, ut Pascha cæteraque Festa Mobilia, à concilio Nicæno usque ad annum 1582 quilibet indagare possit. Eodem autem prorsus artificio ex Aureis numeris ita distributis Festa Mobilia eruuntur, quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando Festa hæc celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7, et littera Dominicalis d, si Aureus numerus 7 in sinistro latere accipiatur, et prima littera d, infra eum occurrens, reperietur è regione hujus litteræ d, Septuagesima die 1 Februar., dies Cinerum 18 Febr., Pascha die 5 April. etc.

Adventus Domini celebratur semper die Dominico, qui propinquior est festo S. Andreæ Apostoli, nempe à die 27 Novembris inclusive, usque ad diem 3 Decembr. inclusive : ita ut littera Dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario à die 27 Novembr. usque ad diem 3 Decembr. indicet Domin. Adventus. Ut v. gr. si littera Dominicalis est g, Dominica Adventûs cadet in diem 2 Decembris, quia ibi est littera g, in Kalendario, etc.

Ad finem tandem Tabularum Paschalium apposita est Tabula temporaria multorum annorum, è regione quorum omnia Festa Mobilia inveniuntur : quæ quidem Tabula ex Tabulis Paschalibus excerpta est, ex quibus infinitæ aliæ erui possunt pro quibuscumque annis.

TABULA PASCHALIS ANTIQUA REFORMATA.

Aurei numeri.	Cyclus Epactarum		Litt. Dominical.	Septuagesima.	Dies Cinerum.	Pascha.	Ascensio.	Pentecostes.	Corpus Christi.	Dom. post Pent.	Prima Dominica Adventûs.
16		XXIII		Jan.	Feb.	Mar.	Apr.	Maii	Maii		
5		XXII	d	18	4	22	30	10	21	28	29 Nov.
		XXI	e	19	5	23	1 Ma.	11	22	28	30
13		XX	f	20	6	24	2	12	23	28	1 Dec.
2		XIX	g	21	7	25	3	13	24	28	2
		XVIII	A	22	8	26	4	14	25	28	3
10		XVII	b	23	9	27	5	15	26	27	27 Nov.
		XVI	c	24	10	28	6	16	27	27	28
18		XV	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7		XIV	e	26	12	30	8	18	29	27	30
		XIII	f	27	13	31	9	19	30	27	1 Dec.
15		XII	g	28	14	1 Ap.	10	20	31	27	2
4		XI	A	29	15	2	11	21	1 Ju.	27	3
		X	b	30	16	3	12	22	2	26	27 Nov.
12		IX	c	31	17	4	13	23	3	26	28
1		VIII	d	1 Fe.	18	5	14	24	4	26	29
		VII	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9		VI	f	3	20	7	16	26	6	26	1 Dec.
		V	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17		IV	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6		III	b	6	23	10	19	29	9	25	27 Nov.
		II	c	7	24	11	20	30	10	25	28
14		I	d	8	25	12	21	31	11	25	29
3		*	e	9	26	13	22	1 Ju.	12	25	30
		XXIX	f	10	27	14	23	2	13	25	1 Dec.
11		XXVIII	g	11	28	15	24	3	14	25	2
		XXVII	A	12	1 M.	16	25	4	15	25	3
19	25	XXVI	b	13	2	17	26	5	16	24	27 Nov.
8	XXV	XXIV	c	14	3	18	27	6	17	24	28
			d	15	4	19	28	7	18	24	29
			e	16	5	20	29	8	19	24	30
			f	17	6	21	30	9	20	24	1 Dec.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2
			A	19	8	23	1 Ju.	11	22	24	3
			b	20	9	24	2	12	23	23	27 Nov.
			c	21	10	25	3	13	24	23	28

TABULA PASCHALIS

Litteræ Dominicales.	Cyclus Epactarum.	Septuagesima.	Dies Cinerum.
D	23	18 Janu.	4 Febr.
	22 21 20 19 18 17 16	25 Janu.	11 Febr.
	15 14 13 12 11 10 9	1 Febr.	18 Febr.
	8 7 6 5 4 3 2	8 Febr.	25 Febr.
	1 * 29 28 27 26 25 25 24	15 Febr.	4 Mart.
E	23 22	19 Janu.	5 Febr.
	21 20 19 18 17 16 15	26 Janu.	12 Febr.
	14 13 12 11 10 9 8	2 Febr.	19 Febr.
	7 6 5 4 3 2 1	9 Febr.	26 Febr.
	* 29 28 27 26 25 25 24	16 Febr.	5 Mart.
F	23 22 21	20 Janu.	6 Febr.
	20 19 18 17 16 15 14	27 Janu.	13 Febr.
	13 12 11 10 9 8 7	3 Febr.	20 Febr.
	6 5 4 3 2 1 *	10 Febr.	27 Febr.
	29 28 27 26 25 25 24	17 Febr.	6 Mart.
G	23 22 21 20	21 Janu.	7 Febr.
	19 18 17 16 15 14 13	28 Janu.	14 Febr.
	12 11 10 9 8 7 6	4 Febr.	21 Febr.
	5 4 3 2 1 * 29	11 Febr.	28 Febr.
	28 27 26 25 25 24	18 Febr.	7 Mart.
A	23 22 21 20 19	22 Janu.	8 Febr.
	18 17 16 15 14 13 12	29 Janu.	15 Febr.
	11 10 9 8 7 6 5	5 Febr.	22 Febr.
	4 3 2 1 * 29 28	12 Febr.	1 Mart.
	27 26 25 25 24	19 Febr.	8 Mart.
B	23 22 21 20 19 18	23 Janu.	9 Febr.
	17 16 15 14 13 12 11	30 Janu.	16 Febr.
	10 9 8 7 6 5 4	6 Febr.	23 Febr.
	3 2 1 * 29 28 27	13 Febr.	2 Mart.
	26 25 25 24	20 Febr.	9 Mart.
C	23 22 21 20 19 18 17	24 Janu.	10 Febr
	16 15 14 13 12 11 10	31 Janu.	17 Febr.
	9 8 7 6 5 4 3	7 Febr.	24 Febr.
	2 1 * 29 28 27 26 25	14 Febr.	5 Mart.
	25 24	21 Febr.	10 Mart.

NOVA REFORMATA.

Pascha.	Ascensio.	Pentecostes.	Corpus Christi.	Dominic. inter Pentecost. et Advent.	Prima Dominica Adventûs.
22 Mart.	30 April.	10 Maii.	21 Maii.	28	29 Nov.
29 Mart.	7 Maii.	17 Maii.	28 Maii.	27	29
5 April.	14 Maii.	24 Maii.	4 Juni.	26	29
12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Juni.	25	29
19 April.	28 Maii.	7 Juni.	18 Juni.	24	29
23 Mart.	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 Nov.
30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30
6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Juni.	26	30
13 April.	22 Maii.	1 Juni.	12 Juni.	25	30
20 April.	29 Maii.	8 Juni.	19 Juni.	24	30
24 Mart.	2 Maii.	12 Maii.	23 Maii.	28	1 Dec.
31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1
7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Juni.	26	1
14 April.	23 Maii.	2 Juni.	13 Juni.	25	1
21 April.	30 Maii.	9 Juni.	20 Juni.	24	1
25 Mart.	3 Maii.	13 Maii.	24 Maii.	28	2 Dec.
1 April.	10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	27	2
8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Juni.	26	2
15 April.	24 Maii.	3 Juni.	14 Juni.	25	2
22 April.	31 Maii.	10 Juni.	21 Juni.	24	2
26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
2 April.	11 Maii.	21 Maii.	1 Juni.	27	3
9 April.	18 Maii.	28 Maii.	8 Juni.	26	3
16 April.	25 Maii.	4 Juni.	15 Juni.	25	3
23 April.	1 Juni.	11 Juni.	22 Juni.	24	3
27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Juni.	26	27
10 April.	19 Maii.	29 Maii.	9 Juni.	25	27
17 April.	26 Maii.	5 Juni.	16 Juni.	24	27
24 April.	2 Juni.	12 Juni.	23 Juni.	23	27
28 Mart.	6 Maii.	16 Maii.	27 Maii.	27	28 Nov.
4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Juni.	26	28
11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Juni.	25	28
18 April.	27 Maii.	6 Juni.	17 Juni.	24	28
25 April.	3 Juni.	13 Juni.	24 Juni.	23	28

TABULA

CONTINENS OFFICIORUM GRADUS ET DIVERSITATEM.

Annuale-majus.
Annuale-minus.
Solemne-majus.
Solemne-minus.
Duplex-majus.
Dominica.

Hæc officia extra Tempus Paschale sunt novem Lectionum.

Duplex-minus.
Semiduplex.
Simplex.
Vigilia.
Feria.

Hæc Officia quocumque tempore sunt trium Lectionum.

ANNUALIA MAJORA.

Natale Domini.
Epiphania Domini.
Pascha.
Ascensio Domini.
Pentecoste.
Festum Corporis Christi.
Assumptio B. M. V.

Hæc Festa nulli cedunt Festo.

Ipsa Dies Consecrationis, seu Dedicationis Ecclesiæ.

Festum principale Patroni Primarii, et Titularis Ecclesiæ.

Demùm omnia Festa quibus in Calendario vel Breviario apponitur hæc vox : Annuale-majus.

ANNUALIA-MINORA.

Dies Anniversarius Dedicationis Ecclesiæ.

Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox, Annuale-minus.

Annualia-minora Domini nulli cedunt Festo.

SOLEMN. MAJ. DOMINI ET B. M. V.

Festum primarium sancti Institutoris in proprio Ordine.

Festa Sanctorum qui in aliquibus Congregationibus quasi Patroni habentur.

Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox, Solemne majus.

SOLEMNIA-MINORA.

Festum Patroni secundarii.

Feria secunda intra Octavas Paschæ et *Pentecostes.*

Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Solemne-minus.*

DUPLICIA-MAJORA.

Dominica prima Adventûs.
Dominica prima Quadragesimæ.
Dominica Passionis.
Dominica Palmarum.
Feria tertia intra Octavas Paschæ et Pentecostes.
Dies Octavæ quorumcumque Annualium et Solemnium-majorum Domini, si quæ hoc ritu celebrentur alicubi.
Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox Duplex-majus.

DUPLICIA-MINORA.

Dominicæ per annum superiùs non memoratæ.
Feria quarta intra Octavas Paschæ et Pentecostes.
Officium Beatæ Mariæ in Sabbato, à Circumcisione ad Præsentationem Domini.
Omnia Festa quibus apponitur in Calendario hæc vox, Duplex-minus.

SEMIDUPLICIA.

Dies intra Octavas quaslibet.
Officium de Beata Maria Virgine in Sabbato per annum.
Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Semiduplex*.

SIMPLICIA.

Vigiliæ minores quæ anticipari possunt.
Omnia Festa quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Simplex*.

DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ PRIMÆ CLASSIS,

Quæ excludunt quæcumque Festa etiam Annualia.

Dominica prima Adventûs.
Dominica I. Quadragesimæ.
Dominica Passionis.
Dominica Palmarum.
Dominica Paschæ.
Dominica in Albis.
Dominica Pentecostes.
Dominica prima post Pentecosten, in qua fit Officium SS. Trinitatis.

DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ SECUNDÆ CLASSIS,

Quæ admittunt Annualia et Solemnia-majora.

Dominicæ II, III et IV Adventûs.
Dominicæ II, III et IV Quadragesimæ.

DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ TERTIÆ CLASSIS,

Quæ admittunt Solemnia-majora et supra.

DOMINICÆ Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ.

DOMINICÆ QUARTÆ CLASSIS

In quibus fit de Duplicibus-majoribus et supra.

RELIQUÆ Dominicæ per annum.

FERIÆ MAJORES PRIVILEGIATÆ,

Quæ excludunt quæcumque Festa, etiam Annualia.

VIGILIA Natalis Domini.
Feria IV Cinerum.
Feriæ Majoris Hebdomadæ.
Vigilia Pentecostes.

FERIÆ MAJORES NON PRIVILEGIATÆ,

Quæ cedunt Officio Duplici-minori.

Feriæ Quatuor Temporum.

FERIÆ MAJORES NON PRIVILEGIATÆ,

Quæ cedunt Officio Semiduplici.

FERIÆ Adventûs.
Feriæ Rogationum.
Feria VI post Octav. Ascens.
Vigiliæ non Privilegiatæ etiam Minores.

FERIÆ MINORES,

Quæ omni cedunt Officio, sunt aliæ omnes Feriæ per annum.

EXCERPTA E RUBRICIS.

1. In primis Vesperis Festorum quorumcumque (nisi aliter notetur) dicuntur Psalmi de Feria ut in Psalterio, sub quinque Antiphonis, in Duplicibus et suprà; sub unica verò in Semiduplicibus; dicuntur etiam Psalmi Feriales ad Completorium quod has Vesperas sequitur, cum Antiphonis tamen propriis, si proprias Festum habeat.

2. In Festis Annualibus et Solemnibus-majoribus, ubi ad Officium Nocturnum Psalmi proprii non assignantur, sumuntur de Dominica. In Solemnibus-minoribus et infra, Psalmi omnes sunt de Feria (nisi aliter notetur in Breviario.) Quoties autem ad Officium Nocturnum Psalmi proprii vel de Dominica dicuntur, ad reliquas Horas Psalmi sunt de Dominica.

3. Festa Duplicia minora ac Semiduplicia unicum habent Nocturnum, in quo novem Psalmi (extra Tempus Paschale) de Feria sub tribus Antiphonis, quarum unaquæque post tres Psalmos, cum Versiculo, tribus Lectionibus et tribus Responsoriis. Lectio prima semper est de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis; secunda et tertia de Festo. Tres autem Antiphonæ, Vers. et Respons. sumenda sunt secundùm Feriarum ordinem, id est, Feria secunda et quinta, de primo Nocturno; Feria tertia et sexta de secundo; Feria quarta et Sabbatò de tertio Nocturno. Ad Laudes quinque dicuntur Antiphonæ, exceptis diebus intra Octavas, in quibus (*nisi aliter notetur*) unica dicitur Antiphona, scilicèt quarta de Laudibus Festi.

4. Officium Simplex incipit à Capitulo primarum Vesperarum et terminatur ad Nonam. Unicum habet Nocturnum cum tribus Lectionibus, quarum duæ priores sunt de Scriptura occurrente; scilicèt prima sola, secunda verò è duabus in unam junctis, tertia de Festo. Laudes sub sola quarta Antiphona de Laudibus ut in Communi. Fiunt Suffragia tam in primis Vesperis quàm in Laudibus, et dicuntur Preces ad Primam et ad Completorium.

5. Circa Responsoria tam Vesperarum quàm Officii Nocturni, hæc sunt observanda: In Annualibus quibuscumque ad primas Vesperas post *Gloria Patri*, fit reclamatio ab Asterico * vel †; et repetitur ℟. integrum usque ad ℣. et sic ad III, VI et IX Officii Nocturni, in Annualibus-majoribns tantùm; præterea dicitur in iisdem Annualibus-majoribus *Gloria Patri* ad omnia ℟℟℟. ; sed in duobus prioribus cujusque Nocturni fit tantùm reclamatio.

In Solemnibus quibuscumque ad primas Vesperas, post *Gloria Patri*, omissâ reclamatione repetitur ℟. integrum usque ad ℣.

In Solemnibus-minoribus ℟. ultimum Officii Nocturni repetitur post *Gloria* usque ad ℣.

In Annualibus-minoribus et Solemnibus-majoribus, ℟℟. III, VI et IX Officii Nocturni resumuntur post *Gloria* usque ad ℣.

6. Antiphonæ ad *Magnificat* et ad *Benedictus*, dicuntur integræ ante et post Canticum in Solemnibus-minoribus et supra.

7. Intra Octavas Domini, si fiat de Festo quod non habeat Canticum proprium, dicitur Canticum de Octava. Intra alias Octavas dicitur in Festis occurrentibus Canticum de Psalterio pro Festis.

8. In Festis occurrentibus intra Octavas Domini aut Assumptionis Beatæ Mariæ, dicuntur ad Completorium Antiphonæ ut in die Festi, nisi Festum occurrens proprias habeat; dicitur etiam Hymnus aut Doxologia de Festo, si non adsit propria. Intra alias Octavas, si occurrat aliquod Festum, dicuntur Antiphonæ de Psalterio, cum Doxologia de Octava, si propriam habeat: idem servabitur in Dominicis intra Octavas, ubi Officium fit de Dominica.

9. Intra Octavas Annualium (et Solemnium-majorum Domini, si quæ in aliquibus Ecclesiis eo ritu celebrentur, ut v. gr. Festa Crucis, Transfiguratio, etc.) additur duplex *Alleluia* ℟℟℟. br. Tertiæ, Sextæ et Nonæ, etiam in Festis occurrentibus; excipiendum tamen tempus Septuagesimæ.

10. In Festis quæ celebrantur in Dominica, fit semper Commemoratio Dominicæ in utrisque Vesperis et Laudibus; et in Officio Nocturno, omissâ nonâ Lectione Festi, legitur ejus loco Evangelium cum prima Lectione de Homilia Dominicæ.

Anni Domini.	Aureus num.	Epacta.	Indictio.	Litt. Dom.	Domin. post Epiph.	Septuagesima.	Dies Cinerum. Simplex.
1832	9	XXVIII	5	A g	6	19 Febr.	7 Mart.
1833	10	IX	6	f	4	3 Febr.	20 Febr.
1834	11	XX	7	e	2 †	16 Janu.	12 Febr.
1835	12	I	8	d	5 †	15 Febr.	4 Mart.
1836	13	XII	9	c b	3 †	31 Janu.	17 Febr.
1837	14	XXIII	10	A	2	22 Janu.	8 Febr.
1838	15	IV	11	g	5	11 Febr.	28 Febr.
1839	16	XV	12	f	2 †	27 Janu.	13 Febr.
1840	17	XXVI	13	e d	5 †	16 Febr.	4 Mart.
1841	18	VII	14	c	4 †	7 Febr.	24 Febr.
1842	19	XVIII	15	b	2 †	23 Janu.	9 Febr.
1843	1	*	1	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1844	2	XI	2	g f	4	4 Febr.	21 Febr.
1845	3	XXII	3	e	1 †	19 Janu.	5 Febr.
1846	4	III	4	d	4 †	8 Febr.	25 Febr.
1847	5	XIV	5	c	3 †	31 Janu.	17 Febr.
1848	6	XXV	6	b A	6	20 Febr.	8 Mart.
1849	7	VI	7	g	4	4 Febr.	21 Febr.
1850	8	XVII	8	f	2 †	27 Janu.	13 Febr.
1851	9	XXVIII	9	e	5 †	16 Febr.	5 Mart.
1852	10	IX	10	d c	4 †	8 Febr.	25 Febr.
1853	11	XX	11	b	2 †	23 Janu.	9 Febr.
1854	12	I	12	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1855	13	XII	13	g	4	4 Febr.	21 Febr.
1856	14	XXIII	14	f e	1 †	20 Janu.	6 Febr.
1857	15	IV	15	d	4 †	8 Febr.	25 Febr.
1858	16	XV	1	c	3 †	31 Janu.	17 Febr.
1859	17	XXVI	2	b	6	20 Febr.	9 Mart.
1860	18	VII	3	A g	4	5 Febr.	22 Febr.
1861	19	XVIII	4	f	2 †	27 Janu.	13 Febr.
1862	1	*	5	e	5 †	16 Febr.	5 Mart.
1863	2	XI	6	d	3 †	1 Febr.	18 Febr.
1864	3	XXII	7	c b	2 †	24 Janu.	10 Febr.
1865	4	III	8	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1866	5	XIV	9	g	3	28 Janu.	14 Febr.
1867	6	XXV	10	f	5 †	17 Febr.	6 Mart.
1868	7	VI	11	e d	4 †	9 Febr.	26 Febr.
1869	8	XVII	12	c	2 †	24 Janu.	10 Febr.
1870	9	XXVIII	13	b	5 †	13 Febr.	2 Mart.

Anni Domini.	Pascha. Annuale.	Ascensio Domini. Sol. maj.	Pentecostes. Annuale.	Fest. Corp. Christi Sol. maj.	Domin. post Pentec.	Dominica Adventûs Domini.
1832	22 April.	31 Maii.	10 Juni.	21 Juni.	24	2 Dec.
1833	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Juni.	26	1 Dec.
1834	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1835	19 April.	28 Maii.	7 Juni.	18 Juni.	24	29 Nov.
1836	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Juni.	26	27 Nov.
1837	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1838	15 April.	24 Maii.	3 Juni.	14 Juni.	25	2 Dec.
1839	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1840	19 April.	28 Maii.	7 Juni.	18 Juni.	24	29 Nov.
1841	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Juni.	25	28 Nov.
1842	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1843	16 April.	25 Maii.	4 Juni.	15 Juni.	25	3 Dec.
1844	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Juni.	26	1 Dec.
1845	23 Mart.	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 Nov.
1846	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Juni.	25	29 Nov.
1847	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Juni.	26	28 Nov.
1848	23 April.	1 Jun.	11 Juni.	22 Juni.	24	3 Dec.
1849	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Juni.	26	2 Dec.
1850	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1851	20 April.	29 Maii.	8 Juni.	19 Juni.	24	30 Nov.
1852	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Juni.	25	28 Nov.
1853	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1854	16 April.	25 Maii.	4 Juni.	15 Juni.	25	3 Dec.
1855	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Juni.	26	2 Dec.
1856	23 Mart.	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 Nov.
1857	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Juni.	25	29 Nov.
1858	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Juni.	26	28 Nov.
1859	24 April.	2 Juni.	12 Juni.	23 Juni.	23	27 Nov.
1860	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Juni.	26	2 Dec.
1861	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1862	20 April.	29 Maii.	8 Juni.	19 Juni.	24	30 Nov.
1863	5 April.	14 Maii.	24 Maii.	4 Juni.	26	29 Nov.
1864	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1865	16 April.	25 Maii.	4 Juni.	15 Juni.	25	3 Dec.
1866	1 April.	10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	27	2 Dec.
1867	21 April.	30 Maii.	9 Juni.	20 Juni.	24	1 Dec.
1868	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Juni.	25	29 Nov.
1869	28 Mart.	6 Maii.	16 Maii.	27 Maii.	27	28 Nov.
1870	17 April.	26 Maii.	5 Juni.	16 Juni.	24	27 Nov.

CALENDARIUM (1)

JANUARIUS.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom	Dies Mensis.		
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, et Octava Natalis ejus, *Solemne-majus.*
XXIX	b	IV	2	Basilii magni, Cesareæ in Cappadocia Episc. et Eccl. Doct. *Duplex-minus; an.* 379. (*In Cathedr.* Octava S. Stephani, *Duplex-minus.*)
XXVIII	c	III	3	Genovefæ, Virginis Parisiensis: *Semid. an.* 512. (*In Cathedr.* Basilii Magni, Episc. et Eccl. Doct. *Duplex-minus. Commem.* S. Genovefæ, Virg.)
XXVII	d	Prid.	4	Simeonis Stylitæ, Anachoretæ prope Antiochiam; *Semid. c. an.* 460.
XXVI	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ, *sine jejunio, Simplex.*
25. XXV	f	VIII	6	EPIPHANIA DOMINI, *Annuale-maj.*
XXIV	g	VII	7	De Octava Epiphaniæ, *Semid.*
XXIII	A	VI	8	
XXII	b	V	9	
XXI	c	IV	10	
XX	d	III	11	
XIX	e	Prid.	12	
XVIII	f	Idib.	13	Octav. Epiph. et Bapt. Domini, *Duplex-majus.* Dominica II post Epiphan. (*nisi occurrat Septuagesima*) fit de SS. Nomine JESU, *Solemne-minus.*
XVII	g	XIX	14	Hilarii, Pictaviensis Episcopi et Ecclesiæ Doctor. (è 13.) *Duplex-minus; circa annum* 368, cum *Commem.* sancti Felicis, Presb. Nolani, *c. an.* 265.

(1) In hoc Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit: *an.* significat anno: *c. an.* circa annum: *s.* seculo: *c. med. s.* circa medium seculi; *c. fin. s.* circa finem seculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis plane incertum.

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, olim feriabantur apud populum.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XVI	A	XVIII	15	Pauli, primi Eremitæ Thebaidis, *Semid. c. an.* 341. *Commem.* S. Mauri, Glannofoliensis Abb. *c. fin.* VI *s.*
XV	b	XVII	16	Honorati, Arelatensis Episc. *Semiduplex; an.* 429.
XIV	c	XVI	17	Antonii, Abbatis Ægyptii, *Dupl. min. an.* 356.
XIII	d	XV	18	Pontificatûs, seu Cathedræ sancti Petri Apostoli, quâ primùm Antiochiæ, tum Romæ sedit, *Dupl. min.*
				Prima sedes Septuagesimæ, 18.
XII	e	XIV	19	Sulpitii Pii, Bituricensis Episc. (*è* 17.) *Semiduplex; an.* 644.
XI	f	XIII	20	Fabiani, Papæ *, et Sebastiani **, Romæ Mart. *Dupl. min.* * *an.* 260. ** *an.* 288.
X	g	XII	21	Agnetis, Virg. et Mart. *Semid. an.* 303 *vel* 304.
IX	A	XI	22	Vincentii, Cæsar-Augustani, Diaconi et Martyr. Valentiæ in Hispania, *Semid. an.* 303 *vel* 304.
VIII	b	X	23	Marcelli, Diensis Episc. *Semidupl. circa an.* 500.
VII	c	IX	24	Timothei, Ephes. Episcopi et Martyris, *Semid.* (*è* 22) *an.* 97, cum *Commem.* sancti Titi, Cretensis Episc. (*è* 4) I *s.*
VI	d	VIII	25	Conversio sancti Pauli, Apostoli, *Duplex-majus : an.* quibusdam 30 *vel* 31; aliis 34 *vel* 35, cum *Commem.* S. Præjecti, Claromontani Episc. et Mart. *an.* 673.
V	e	VII	26	Ausilii, Foroj. Episc. et Mart. *Dupl. min. c. an.* 483. *Commem.* sanctæ Paulæ, viduæ Romanæ, *Simpl. an.* 404.
IV	f	VI	27	Martyrum, qui pro libris sacris interierunt, *Semid. an.* 303. *Commem.* S. Juliani, primi Cenomanensis Episc. III *vel* IV *s.*
III	g	V	28	Cyrilli, Alexandrini Episcopi et Ecclesiæ Doctoris, *Semiduplex; an.* 445.
II	A	IV	29	Francisci Salesii, Genev. Episcopi, (*è* 28 *Dec.*) *Dupl. min. an.* 1622.
I	b	III	30	Bathildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semid. c. an.* 680.
●	c	Prid.	31	Petri Nolasci, Ordinis B. M. de Mercede Fundatoris, *Semid. c. an.* 1256.

FEBRUARIUS.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXIX	d	Cal.	1	Ignatii, Antiochiæ Episcopi, et Martyri. Romæ (è 20 *Dec.*) *Semid. an.* 107. *Commem.* S. Brigidæ, Virg. et Abbat. in Hibernia : *c. an.* 520.
XXVIII	e	IV	2	PRÆSENTATIO DOMINI, ET PURIFICATIO B. M. VIRGINIS, *Annuale-minus.*
XXVII	f	III	3	Blasii, Sebast. in Armenia Episc. et Mart. *Simplex : circa an.* 316.
25. XXVI	g	Prid.	4	Joannæ Valesiæ, Viduæ, Reginæ Franciæ, et Monial. Annuntiationis Fundatric. *Semiduplex : an.* 1505.
				Prima sedes Cinerum, 4.
XXV. XXIV	A	Non.	5	Agathæ, Catanensis Virginis et Martyris, *Semid. an.* 251. (*In Quadragesima Commemoratio, et sic de sequentibus Semiduplicibus*).
XXIII	b	VIII	6	Vedasti, primi Atrebatensis Episcopi, *Simplex : c. an.* 539. (*In Quadragesima Commemoratio, et sic de sequentibus Simplicibus.*)
XXII	c	VII	7	
XXI	d	VI	8	Joannis de Matha, Presbyt. Paris. Ord. SS. Trinit. Fund. (è 21 *Dec.*) *Semid. an.* 1213.
XX	e	V	9	Apolloniæ Alex. Virg. et Mart. *Simplex : an.* 249.
XIX	f	IV	10	Scholasticæ Cassinensis, Virg. *Semid. c. an.* 543.
XVIII	g	III	11	Benedicti, Anianensis Abbatis, *Semid. c. an.* 821.
XVII	A	Prid.	12	
XVI	b	Idib.	13	
XV	c	XVI	14	
XIV	d	XV	15	
XIII	e	XIV	16	Onesimi, apud gentes Apostoli, *Simplex :* I *s.*
XII	f	XIII	17	
XI	g	XII	18	Simeonis, Hierosolymitani Episcopi, et Martyris, *Semiduplex : an.* 107.
X	A	XI	19	Flaviani, Constantinopol. Episc. et Mart. *Simpl. an.* 449.
IX	b	X	20	
VIII	c	IX	21	*Ultima sedes Septuagesimæ*, 21.
VII	d	VIII	22	

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
VI	e	VII	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Bissextili.*
V	f	VI	24	*In anno communi.* Matthiæ, Apostoli,
IV	g	V	25	*In anno bissextili.* *Dupl. maj.* I. *s.*
III	A	IV	26	
II	b	III	27	
I	c	Prid.	28 / 29	*An. Comm.* / *An. Bissext.* Martyrum, qui obiere in Caritatis Officio, erga pestilentiâ afflictatos Alexandriæ, *Simpl.* III *s.*

In Anno bissextili Februarius est dierum 29, et Festum sancti Matthiæ celebratur 25 Februarii, et bis dicitur *sexto Calendas*, id est, 24 et 25. Festum verò SS. Martyrum, fit die 28, et Littera Dominicalis quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem; ut, si in Januario Littera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ est g; et sic de aliis, Littera autem f bis inservit, 24 et 25.

Feria VI post Cineres fit Officium Quinque Plagarum Christi, *Dupl. majus.*

Feria VI post Dominicam I Quadrages. fit Officium SS. Christi Faciei in Passione ejus deformatæ, *Duplex-majus.*

Feria VI post Dom. II Quadrages. fit Officium Sanctæ Crucis Domini, *Duplex-majus.*

Feria VI post Dom. III Quadrages. fit Officium Sanctæ Coronæ Spineæ, *Duplex-majus.*

Feria VI post Dom. IV Quadrag. fit Officium Pretiosi Sanguinis Christi, *Duplex-majus.*

Feria IV et VI, et Sabbato post Domin. I Quadrag. Quatuor Temp.

MARTIUS.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
*	d	Cal.	1	Albini, Andegavensis Episcopi, *Simpl. an.* 55.
XXIX	e	VI	2	
XXVIII	f	V	3	
XXVII	g	IV	4	
XXVI	A	III	5	
25. XXV	b	Prid.	6	
XXIV	c	Non.	7	Perpetuæ et Felicitatis, et Socior. Mart. *Simplex: c. an.* 204.
XXIII	d	VIII	8	Joannis de Deo, Ordinis Fratr. Caritatis Institutoris, *Simplex: an.* 1550. *Primum Novilunium Paschale*, 8.
XXII	e	VII	9	Franciscæ, Vid. Roman. *Simpl.* an. 1440.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXI	f	VI	10	Quadraginta Militum Sebastensium, Martyrum, *Commem. c. an.* 320. *Ultima sedes Cinerum,* 10.
XX	g	V	11	
XIX	A	IV	12	
XVIII	b	III	13	
XVII	c	Prid.	14	Eupergii, è territorio Forojul. *Commem.*
XVI	d	Idib.	15	
XV	e	XVII	16	
XIV	f	XVI	17	Patritii, Hibernorum Apost. *Commem. c. fin.* V *s.*
XIII	g	XV	18	Alexandri, Episc. Hierosolym. et Mart. *Commem. an.* 250.
XII	A	XIV	19	Joseph, Sponsi B. M. V. *Solemne-min.* I *s.*; cum *Commem.* S. Cyrilli, Hierosolym. Episc. et Eccl. Doct. *c. an.* 388.
XI	b	XIII	20	
X	c	XII	21	
IX	d	XI	22	*Prima sedes Paschæ,* 22.
VIII	e	X	23	
VII	f	IX	24	
VI	g	VIII	25	ANNUNTIATIO INCARNATIONIS DOMINI, AD B. M. V. *Annuale-minus.*
V	A	VII	26	
IV	b	VI	27	
III	c	V	28	
II	d	IV	29	
I	e	III	30	
*	f	Prid.	31	De Octava Annuntiationis, quando Pascha occurrit die 22 Martii.

Feria VI post Dominicam Passionis fit Officium de Compassione Beatæ Mariæ, *Duplex-majus*, nisi occurrat die 25 Martii, tunc enim transfertur in diem sequentem.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXIX	g	Cal.	1	Octava Annuntiationis modò Pascha occurrat 22 *vel* 23 Martii, *Duplex-majus.*
XXVIII	A	IV	2	Francisci de Paula, Cœnobitæ et Instit. Ordin. Minimorum, *Semiduplex ; an.* 1507.
XXVII	b	III	3	
25. XXVI	c	Prid.	4	Ambrosii, Mediolanensis Episcopi, et Ecclesiæ Doctoris, *Duplex-majus : an.* 397. (*Si hoc Festum occurrat in Quadragesima, transfertur post Pascha, et sic de Duplicibus-majoribus, et supra.*)
XXV. XXIV	d	Non.	5	Vincentii Ferrerii, Presbyteri, Ordinis Prædicatorum, *Semid. an.* 1419. *Ultimum Novilunium Paschale*, 5.
XXIII	e	VIII	6	Isidori, Hispalensis Episcopi et Ecclesiæ Doctoris, *Semid. an.* 636.
XXII	f	VII	7	
XXI	g	VI	8	
XX	A	V	9	
XIX	b	IV	10	
XVIII	c	III	11	
XVII	d	Prid.	12	
XVI	e	Idib.	13	Justini, Romæ Christianæ Religionis Apologistæ et Martyr. *Semiduplex : an.* 167 *vel* 168.
XV	f	XVIII	14	
XIV	g	XVII	15	
XIII	A	XVI	16	¶ Dominica II post Pascha, fit de translatione S. Felicis, Mart. *Solemn. min.*
XII	b	XV	17	
XI	c	XIV	18	
X	d	XIII	19	
IX	e	XII	20	
VIII	f	XI	21	Anselmi, Cantuariens. Episc. et Eccles. Doct. *Simplex : an.* 1109.
VII	g	X	22	Martyrum pro Solemnitate Paschali occisorum in Africa, *Simplex : an.* 459.
VI	A	IX	23	Georgii, Martyris, in Oriente, *Semiduplex.*
V	b	VIII	24	Phœbadii, Aginnensis Episc. *Simplex : c. fin.* IV *s.*
IV	c	VII	25	Marci, Evang. *Dupl. maj. c. an.* 68. *Ultima sedes Paschæ*, 25.
III	d	VI	26	Cleti seu Anacleti, Papæ et Martyris, *Simplex ; c. an.* 91.

APRILIS.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
II	e	V	27	Polycarpi, Smyrnensis Episcopi, et Martyris, (è 26 *Mart.*) *Semiduplex: an.* 169.
I	f	IV	28	
*	g	III	29	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis, *Semid.* V *vel* VI *s.*
XXIX	A	Prid.	30	Eutropii, primi Santonensis Episcopi et Mart. *Semid.* III *s.* *Prima Sedes Ascensionis* Domini, 30. *Et celebratur hoc Festum Feria V Hebdom. V post Pascha. Annuale-maj.*

MAIUS.

XXVIII	b	Cal.	1	Philippi * et Jacobi ** (Alphæi) Apost. *Dupl. maj.* * *post* 81. ** 62.
XXVII	c	VI	2	Athanasii, Alexandr. Episc. et Eccl. Doct. *Duplex-minus: an.* 373.
XXVI	d	V	3	Inventio sanctæ Crucis, *Solemne-minus: an.* 326 *vel* 327.
25. XXV	e	IV	4	Monicæ, Tagastensis Viduæ, *Semidupl. an.* 387.
XXIV	f	III	5	Hilarii, Arelatensis Episcopi, *Semid. an.* 449.
XXIII	g	Prid.	6	Joannis, Apost. et Evang. ante Portam Latinam, *Dupl. min. an.* 95.
XXII	A	Non.	7	Fulgentii, Ruspensis Episc. et Eccl. Doct. *Semid. an.* 533.
XXI	b	VIII	8	Gabrielis, Archangeli, *Dupl. maj.*
XX	c	VII	9	Gregorii Nazianzeni, Constantin. Episc. et Eccl. Doct. *Dupl. min. an.* 391.
XIX	d	VI	10	*Prima sedes Pentecostes,* 10.
XVIII	e	V	11	Mamerti, Viennensis Episcopi, *Simpl. post an.* 475.
XVII	f	IV	12	Pancratii, Romæ Mart. *Semid. an.* 304. *Commemor.* S. Epiphanii, Salaminæ Episc. et Eccl. Doct. *an.* 403.
XVI	g	III	13	
XV	A	Prid.	14	Pachomii, Tabennæ in Thebaide Abbat, *Semid. an.* 348 *vel* 349.
XIV	b	Idib.	15	Mariæ Jacobi, et Salomes, *Semiduplex:* I *s.*
XIII	c	XVII	16	Maximæ, Forojuliensis Virginis, *Semid.* VIII *s.*

Cycl. pactæ.	Lit. Dom.	Dies Mensis.		
XII	d	XVI	17	Torpetis, Mart. *Semid.* I *s.* *Commemor.* S. Joannis Nepomuceni, Canonici Pragensis in Bohemiâ et Martyr. *Simpl. an.* 1383.
XI	e	XV	18	
X	f	XIV	19	Petri Cœlestini V Papæ, Instit. Congreg. Cœlest. *Semiduplex : an.* 1296, cum *Commem.* sancti Yvonis, Trecorensis Presb. *an.* 1303.
IX	g	XIII	20	Baudilii, Nemausensis Mart. *Simpl.* III *vel* IV *s.*
VIII	A	XII	21	
VII	b	XI	22	
VI	c	X	23	
V	d	IX	24	Vincentii, Lirinensis Presb. et Monachi, *Semid. c. an.* 448. *Commem.* SS. Donationi et Rogatiani, Martyr. Nannetensium, *c. an.* 287.
IV	e	VIII	25	Joannis Francisci Regis, Presb. *Semid. an.* 1640. *Commem.* S. Urbani, Papæ et Mart. *Simpl. an.* 330.
III	f	VII	26	Augustini, Cantuariensis Episc. *Simpl. an.* 608.
II	g	VI	27	
I	A	V	28	Guillelmi, Aquitaniæ Ducis, Comitis Tolos. demùm Monachi, *Semiduplex : an.* 812.
*	b	IV	29	Germani, Parisiensis Episc. *Simplex : an.* 576.
XXIX	c	III	30	
XXVIII	d	Prid.	31	

Dominica intra Octavam Ascensionis, festum sancti Maximi, primi Aquensis Episcopi, *Solemne-minus.*

Feria IV, VI et Sabbato Hebdomadæ Pentecostes, Quatuor Tempora.

Dominica prima post Pentec. Festum SS. TRINITATIS, *Solemne-majus.*

Feria V post Festum SS. Trinitatis, Festum CORPORIS CHRISTI, *Annuale-majus.*

Dominica III post Pentecost. Festum SS. CORDIS JESU, *Solemne-majus.*

JUNIUS.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXVII	e	Cal.	1	Çaprasii, Lirinensis Monachi, *Semid.* *an.* 430.
25. XXVI	f	IV	2	Pothini, Lugd. Episc. Blandinæ Virg. et quadraginta sex Martyr. *Semidupl.* *an.* 177; cum *Commem.* SS. Marcellini, Presb. et Petri Exorcistæ, Romæ Mart. *an.* 304.
XXV. XXIV	g	III	3	Clotildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semid. post* 537. *Ultima sedes Ascensionis Domini*, 3.
XXIII	A	Prid.	4	
XXII	b	Non.	5	
XXI	c	VIII	6	Norberti, Magdeburg. Episc. Instit. Ord. Præmonstratensis, *Semid. an.* 1154.
XX	d	VII	7	Claudii, Bisuntini Ep. *Semid. an.* 581.
XIX	e	VI	8	Medardi, Noviom. Episcopi, *Simplex: c. an.* 545.
XVIII	f	V	9	
XVII	g	IV	10	
XVI	A	III	11	Barnabæ, Gentium Apost. *Dupl. maj. c. fin.* I *s.*
XV	b	Prid.	12	
XIV	c	Idib.	13	Antonii, Lirinensis Monachi. *Simplex: c. an.* 526. *Ultima sedes Pentecostes*, 13.
XIII	d	XVIII	14	
XII	e	XVII	15	Crescentis, primi Viennensis Episcopi, *Simplex:* I *s.*
XI	f	XVI	16	Cyrici et Julittæ matris ejus, Tarsi in Cilicia Mart. *Simplex: c. an.* 305.
X	g	XV	17	
IX	A	XIV	18	
VIII	b	XIII	19	Gervasii et Protasii, Fratrum Mediolan. Mart. *Semid.* I *vel* II *s.* cum *Commem.* sancti Romualdi, Abbatis, Instit. Ord. Camaldulensis; *c. an.* 1207.
VII	c	XII	20	
VI	d	XI	21	Sylvestri, Papæ (*è* 31 *Dec.*) *Semiduplex*: *an.* 335.
V	e	X	22	Paulini, Nolani Episc. *Semid. an.* 431.
IV	f	IX	23	Vigilia, *cum jejunio.*
III	g	VIII	24	NATIVITAS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ, *Solemne-majus.*
II	A	VII	25	Eligii, Noviomensis Ep. *Semid. an.* 659. *Translatio hâc die. Commemor.* Oct. S. Joannis-Baptistæ.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
I	b	VI	26	De Octava Nativitatis S. Joannis-Baptistæ, *Semid. Commem.* SS. Joannis et Pauli, Fratr. Romæ Mart. *c. an.* 362 *vel* 363.
*	c	V	27	Lamberti, Venciensis Ep. *Semid. an.* 1154. *Commem.* Oct. S. Joannis-Baptistæ.
XXIX	d	IV	28	Irenæi, Lugd. Episc. et Eccl. Doct. ac Soc. Mart. *Dupl. min. c. an.* 202. *Commem.* Oct. S. Joannis Baptistæ, ac Vigiliæ SS. Petri et Pauli, Apost. *cum jejunio.*
XXVIII	e	III	29	PETRI ET PAULI, APOST. *Solemne-majus, c. an.* 66.
XXVII	f	Prid.	30	Commemoratio sancti Pauli, Apostoli, *Dupl. maj. Commem.* Octavæ sancti Joannis, et sancti Petri, Apost.

JULIUS.

XXVI	g	Cal.	1	Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ, et Festum Decollationis ejusdem, *Duplex-minus : an.* 32. *Commemor.* Octavæ sanctorum Petri et Pauli.
25. XXV	A	VI	2	Visitatio Beatæ Mariæ Virg. *Solemne-minus ; Commem.* Octavæ SS. Petri et Pauli.
XXIV	b	V	3	Martialis, primi Lemovicensis Episcopi, *Semid.* III s. *Commem.* Oct. sanctorum Petri et Pauli.
XXIII	c	IV	4	Ordinatio * et ** Translatio S. Martini, Turonensis Episc. *Semid.* * *an.* 372. ** *an.* 473. *Commem.* Oct. SS. Petri et Pauli.
XXII	d	III	5	De Octavâ SS. Petri et Pauli, *Semid.*
XXI	e	Prid.	6	Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Festum omnium sanctorum Pontificum in Sede romana Petri successorum, *Dupl. maj.*
XX	f	Non.	7	Thomæ, Cantuariensis Episc. et Mart. (è 29 *Dec.*) *Semiduplex : an.* 1170. Translat. hâc die: *an.* 1222.
XIX	g	VIII	8	Prosperi, Aquitani, Ecclesiæ Doctoris, *Semid. c. an.* 456.
XVIII	A	VII	9	Ephrem, Diaconi Edesseni, Monachi, *Simpl. c. an.* 381.
XVII	b	VI	10	Septem Fratrum, et sanctæ Felicitatis eorum matris, Romæ Mart. Simplex : *c. an.* 150.

JULIUS.

Cycl. Epactæ	Litt Dom	Dies Mensis.		
XVI	c	V	11	Benedicti, Cassinensis Abb. (è 21 *Mart.*) *Semiduplex*, *an*. 543. Transl. hâc die: *c. an*. 653.
XV	d	IV	12	
XIV	e	III	13	Silæ, Gentium Apost. *Semid.* III *s*.
XIII	f	Prid.	14	Bonaventuræ, Albanensis Episc. Card. et Eccl. Doct. *Semid. an*. 1274.
XII	g	Idib.	15	Henrici II Imperatoris, *Simpl. an*. 1024.
XI	A	XVII	16	
X	b	XVI	17	Sperati et Sociorum, Mart. Scillitanorum, *Simplex* : *an*. 200.
IX	c	XV	18	Thomæ Aquinatis, Doctor. (è 7 *Mart.*) *Duplex-minus* : *an*. 1274. Canonisatio hâc die: *an*. 1323.
VIII	d	XIV	19	Vincentii à Paulo, Presbyteri, et Congregationis Missionis in Gallia Institut. *Dupl. min.* (è 27 *Sept.*) *an*. 1660.
VII	e	XIII	20	Margaritæ, Virg. et Mart. *Semiduplex* : *Commem*. sancti Arsenii, Romani Diaconi, Scetis Solitarii, *an*. 445.
VI	f	XII	21	Victoris, Massiliensis Mart. *Semiduplex* : *c. an*. 290.
V	g	XI	22	Mariæ Magdalenæ, *Dupl. maj*. I s.
IV	A	X	23	Joannis Cassiani, Monasterii S. Victoris Massiliensis Fundat. et Abb. *Semid. circa an*. 448; *Commemor.* sancti Apollinaris, Ravennensis Ep. et Mart. I *vel* II *s*.
III	b	IX	24	
II	c	VIII	25	Jacobi (Zebed.) Apost. *Duplex-majus* : *an*. 44; cum *Commem*. sancti Christophori, Mart. in Lyciâ, III *s*.
I	d	VII	26	Joachim et Annæ, parentum B. M. Virg. *Dupl. maj*.
*	e	VI	27	Pantaleonis, Nicomediensis Mart. *Simpl. an*. 305.
XXIX	f	V	28	
XXVIII	g	IV	29	Lupi, Trecensis Episcopi, *Semidupl. c. an*. 479.
XXVII	A	III	30	Ignatii Loyolæ, Presbyt. Institut. Societatis Jesu, *Semiduplex* : *an*. 1556.
25. XXVI	b	Prid.	31	Germani, Antissiodorensis Episc. *Semid. an*. 448.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXV XXIV	c	Cal.	1	Petri ad Vincula, (è 20 *Apr.*) *Duplex-minus; an.* 44 *et* 65. Dedic. Basilicæ ejusdem hâc die; *an.* 439 *vel* 451; cum *Commem.* Septem SS. Fratr. Machabæorum et eorum Matris, Mart. *circa an.* 167 *ante Christum natum.*
XXIII	d	IV	2	Stephani I, Papæ et Martyr. *Simplex; an.* 257.
XXII	e	III	3	Revelatio *seu* Inventio Corporis sancti Stephani, Diaconi et Protomart. (è 19 *Dec.*) *Dupl. min. an.* 415.
XXI	f	Prid.	4	Dominici, Presb. Instit. Ord. Fratrum Prædic. (è 6.) *Semid. an.* 1221.
XX	g	Non.	5	Xisti, Papæ et Martyris, *Semiduplex; an.* 258.
XIX	A	VIII	6	Transfiguratio Domini, *Solemne-min. an.* 28 *vel* 32.
XVIII	b	VII	7	Donati, Arretii in Etruria Episc. *Semid. c. an.* 303.
XVII	c	VI	8	
XVI	d	V	9	Romani, Romæ Mart. *Simplex: an.* 258.
XV	e	IV	10	Laurentii, Romani Diaconi et Martyris, *Dupl. maj. an.* 258.
XIV	f	III	11	Claræ, Assisii in Umbria Virginis, primæ Clarissarum Abbatissæ, *Semiduplex: an.* 1253.
XIII	g	Prid.	12	Porcarii, Lirinensis Abb. et Soc. Martyr. *Semid. an.* 731.
XII	A	Idib.	13	Radegundis, Francorum Reginæ, Viduæ, *Semiduplex: an.* 587.
XI	b	XIX	14	Vigilia *cum jejunio.*
X	c	XVIII	15	ASSUMPTIO BEATÆ M. VIRGINIS, totius regni Patronæ, *Annuale-majus.*
IX	d	XVII	16	Rochi, laici, apud Montem-Pessulanum, *Duplex-minus: an.* 1327. *Commem.* Octavæ Assumptionis.
VIII	e	XVI	17	De Octavâ, *Semid.*
VII	f	XV	18	De Octavâ, *Semid.*
VI	g	XIV	19	Ludovici, Episcopi Tolosani, *Dupl. min. an.* 1297. *Commem.* Octavæ Assumpt.
V	A	XIII	20	Bernardi, primi Claravall. Abb. et Eccl. Doct. *Dupl. min. an.* 1158; cum *Commem.* Octavæ.
IV	b	XII	21	De Octavâ, *Semid. Commem.* S. Privati, Gabalitani Episcopi et Martyris, circa *an.* 265.

AUGUSTUS.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
III	c	XI	22	Octava Assumptionis B. M. et *Commem.* voti Ludovici XIII Regis Christianissimi, *Dupl. maj. an.* 1638. *Commem.* sancti Symphoriani, Augustodunensis Mart. *c. an.* 179.
II	d	X	23	Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, Viduæ, Monialium Visitationis S. M. Fundatric. (*è* 13 *Dec.*) *Semiduplex: an.* 1641.
I	e	IX	24	Bartholomæi, Apost. *Dupl. maj.* I *s.*
✱	f	VIII	25	Ludovici IX, Regis Franciæ, *Duplex-majus: an.* 1270.
XXIX	g	VII	26	
XXVIII	A	VI	27	Cæsarii, Arelatensis Episc. et Eccl. Doct. *Duplex-minus; an.* 542.
XXVII	b	V	28	Augustini, Hippon. Episc. et Eccl. Doct. *Dupl. maj. an.* 430, cum *Commem.* S. Juliani Brivatensis, Martyr. *circa an.* 304.
XXVI	c	IV	29	
25. XXV	d	III	30	
XXIV	e	Prid.	31	Lupi, Senonensis Episc. *Semid. an.* 623. *Commem.* S. Paulini, Trevirens. Ep. et Confessoris Christi : *an.* 358.

SEPTEMBER.

XXIII	f	Cal.	1	Ægidii, Abbatis in Occitania, *Semidupl. c. med.* VI *s.*
XXII	g	IV	2	Lazari, à Christo suscitati, et SS. Mariæ et Marthæ sororum, Christi hospitum, *Dupl. min.* cum *Commem.* S. Antonini, Mart. Apamiarum patroni : III *s.*
IXX	A	III	3	Gregorii Magni, Papæ et Eccl. Doctoris, (*è* 12 *Mart.*) *Dupl. maj. an.* 604. Ordinatio hâc die, *an.* 590.
XX	b	Prid.	4	Aigulphi, Lirinensis Abb. et Soc. Mart. *Semid. c. an.* 675. *Commem.* sancti Marcelli, Cabilonensis Mart. *an.* 590.
XIX	c	Non.	5	
XVIII	d	VIII	6	
XVII	e	VII	7	Clodoaldi, Presbyt. *Semid. an.* 568.
XVI	f	VI	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS, *Solemne-majus.*
XV	g	V	9	De Octava, *Semid. Commemor.* S. Gorgonii, Nicomediæ Martyr. *c. an.* 303.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies mensis.		
XIV	A	IV	10	De Octava, *Semid. Commem.* sancti Nicolai Tolentinatis, Erem. S. August. *an.* 1309.
XIII	b	III	11	De Octavâ, *Semid. Commem.* sanctorum Proti et Hyacinthi, Romæ Mart. III *s.*
XII	c	Prid.	12	De Octavâ, *Semid. Commemor.* sancti Maximini, Trevirensis Episc. *an.* 349.
XI	d	Idib.	13	De Octavâ, *Semid. Commem.* sancti Eusebii, Vercellensis Episc. et Confessoris Christi : *c. an.* 370.
X	e	XVIII	14	Exaltatio S. Crucis, imperante Constantino, *an.* 326 *vel* 327 ; imperante Heraclio, *an.* 629 ; *Solemne-minus : Commem.* Octavæ.
IX	f	XVII	15	Octava Nativitatis et Festum Nominis B. M. V. *Dupl. maj. Commem.* sancti Arnulphi, Vapicensis Episc. *an.* 1063.
VIII	g	XVI	16	Cornelii, Papæ, * et Cypriani, Carthag. Episc. ** Martyr. *Semid.* * *an.* 252, ** *an.* 258. *Commem.* S. Euphemiæ, Chalcedonensis Virg. et Mart. *circa an.* 307.
VII	A	XV	17	Lamberti, Traject. Episc. et Mart. *Simpl. c. an.* 708.
VI	b	XIV	18	Joannis Chrysostomi, Constantinopolit. Episc. et Eccl. Doct. (*è* 14.) *Duplex-minus : an.* 407.
V	c	XIII	19	
IV	d	XII	20	
III	e	XI	21	Matthæi, Apost. et Evang. *Dupl. maj.* I *s.*
II	f	X	22	Mauricii et Socior. Agauni Mart. *Semid. an.* 286.
I	g	IX	23	Theclæ, Virgin. et Protomart. apud Iconium, *Semid. c. fin.* I *s.*
*	A	VIII	24	Andochii, Presbyt. Thirsi Diac. Felicis, et * Andeoli, Mart. *Simplex ; circa an.* 178. * 208.
XXIX	b	VII	25	Castoris, Aptensis Episc. *Dupl. min. an.* 431.
XXVIII	c	VI	26	Elzearii *, Comitis Ariani, ** et Delphinæ, uxoris, Virg. *Semid.* * *an.* 1323. ** 1369.
XXVII	d	V	27	Cosmæ et Damiani, fratrum, Martyrum, *Semidupl. c. init.* IV *s.*
25. XXVI	e	IV	28	Exuperii, Tolosani Episcopi, *Simplex : c. an.* 416.

SEPTEMBER

Dies Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXV. XXIV	f	III	29	¶ Dominicâ ultimâ Septembris celebratur Festum S. Michaelis, Archangeli, *Solemne-majus.* *Hoc Festum in Apulia sumpsit initium an.* 493 *vel* 536.
XXIII	g	Prid.	30	Hieronymi, Presbyt. et Ecclesiæ Doct. *Dupl. maj. an.* 420.

Sabbato ante Dominicam primam Octobris, celebratur Festum S. Raphaelis, Archangeli, et omnium Angelorum. *Duplex-majus.*

Si autem occurrat Festum Angelorum Custodum, omittitur hoc anno Officium sancti Raphaelis.

OCTOBER.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
				¶ Dominicâ primâ hujus mensis, fit Officium de SS. Rosario B. M. Virginis, *Duplex-majus.*
XXII	A	Cal.	1	Remigii, Remensis Episc. Francorum Apost. (*è* 13 *Januar.*) *Dupl. min. c. an.* 533. Translatio prima hâc die, *ante an.* 585.
XXI	b	VI	2	Angelorum Custodum, *Duplex-majus.* Instit. Paris. *an.* 1680, cum *Commem.* sancti Leodegarii, Augustod. Episc. et Mart. *an.* 678.
XX	c	V	3	Cypriani, Telonensis Episc. *Semiduplex; c. an.* 545. *Commem.* sancti Dionysii, Areopagitæ, primi Athenarum Episc. et Martyris, *circa an.* 95.
XIX	d	IV	4	Francisci Assisinatis in Umbriâ, Diac. et Instit. Ordin. Fratr. Minor. *Semid. an.* 1226.
XVIII	e	III	5	Trophimi, primi Arelatensis Episcopi, *Semid. aliis* I, *aliis* III *s. Commemor.* S. Fidis, Aginnensis Virg. et Martyr. *c. an.* 287 *vel* 290.
XVII	f	Prid.	6	Brunonis, Monachi, Instit. Ordin. Carthusian. *Semiduplex : an.* 1101.
XVI	g	Non.	7	
XV	A	VIII	8	
XIV	b	VII	9	Dionysii, Primi Parisiorum Episcopi et Sociorum, Mart. *Dupl. min.* III *s.*
XIII	c	VI	10	Virgilii, Arelatensis Episcopi, *Semid. c. an.* 654.

OCTOBER

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies mensis.		
XII	d	V	11	Eusebiæ, Abbat. et Sociarum ejus, Virg. et Mart. *Semid.*
XI	e	IV	12	Verani, Vinciensis Ep. *Semid. c. an.* 480.
X	f	III	13	
IX	g	Prid.	14	Callisti, Papæ et Mart. *Simpl. an.* 223.
VIII	A	Idib.	15	Theresiæ, Abulensis Virg. Instauratricis Ord. Carmelitar. *Semid. an.* 1582.
VII	b	XVII	16	Rossolinæ, Virg. Carthusianæ, *Semid. an.* 1329.
VI	c	XVI	17	
V	d	XV	18	Lucæ, Evangelistæ, *Dupl. maj.* 1 s.
IV	e	XIV	19	
III	f	XIII	20	
II	g	XII	21	Ursulæ et Soc. ejus, Virg. et Mart. *Semid. an.* 450. *Commemor.* S. Hilarionis, Abbatis in Palæstina: *an.* 371.
I	A	XI	22	
*	b	X	23	
XXIX	c	IX	24	
XXVIII	d	VIII	25	Crispini et Crispiniani, Fratrum, apud Suessiones Martyr. *Simplex : an.* 288.
XXVII	e	VII	26	
XXVI	f	VI	27	
25. XXV	g	V	28	Simonis et Judæ, Apost. *Dupl. maj.* 1 s.
XXIV	A	IV	29	Quintini, apud Viromanduenses Martyr. *Simplex : c. an.* 286.
XXIII	b	III	30	Leonis I, Papæ et Eccl. Doct. *Dupl. min. an.* 461.
XXII	c	Prid.	31	Vigilia Omnium Sanctorum *cum jejunio.*

NOVEMBER.

XXI	d	Cal.	1	OMNIUM SANCTORUM, *Annuale-majus*, institut. *c. an.* 835.
XX	e	IV	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, *Solemne-minus :* instituta *an.* 998.
XIX	f	III	3	De Octava omnium Sanctorum, *Semid.*
XVIII	g	Prid.	4	Caroli Borromæi, Mediol. Episc. Card. (*è* 3.) *Duplex-min. an.* 1584.
XVII	A	Non.	5	De Octava omnium Sanctorum, *Semid.*
XVI	b	VIII	6	De Octava omnium Sanctorum, *Semid.*
XV	c	VII	7	De Octava omnium Sanctorum, *Semid.*
XIV	d	VI	8	Octava *Omnium SS.* et Veneratio SS. Reliquiarum, *Dupl. maj.*

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
				Dominicâ post Octavam Omnium Sanctorum, fit DE ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ FOROJULIENSIS, et omnium Ecclesiarum per totam Diœcesim, *Annuale-minus.* (*Reperitur cum Octava, ad calcem Proprii SS. in parte Autumnali.*)
XIII	e	V	9	Theodori, Mart. *Simplex.*
XII	f	IV	10	Martini, Papæ et Mart. *Semid.* (è 16 *Sept.*) *an.* 655.
XI	g	III	11	Martini, Turonensis Episc. *Dupl. maj. an.* 397 *vel* 400.
X	A	Prid.	12	Armentarii, Antipolitani Episc. *Semid. c. med.* V *s.*
IX	b	Idib.	13	Mitrii, Aquensis, Martyr. *Semid.* II *vel* III *s. Commem.* S. Brictii, Turonensis Episc. *an.* 444.
VIII	c	XVIII	14	Stremonii, primi Arvernorum Episcopi, *Semiduplex:* (è 1.) III *s. Commemor.* S. Rufi, Avenionensis Episc. III *s.*
VII	d	XVII	15	Eucherii, Lugdunensis Episc. *Semid. c. med.* V *s.*
VI	e	XVI	16	
V	f	XV	17	Gregorii, Thaumaturgi, Neocæsareæ in Ponto Episc. *Semiduplex: c. an.* 270. *Commem.* S. Gregorii, Turonensis Episc. *an.* 595.
IV	g	XIV	81	
III	A	XIII	19	Elisabeth, Andreæ Hungar. Regis filiæ, tertii Ordin. S. Francisci, Viduæ, *Simplex: an.* 1231.
II	b	XII	20	Felicis Valesii, Presb. *Simpl. an.* 1212.
*	c	XI	21	Præsentatio B. M. Virgin. *Dupl. maj. Commem.* sancti Columbani, Abbat. *an.* 615.
*	d	X	22	Cæciliæ, Virgin. et Martyr. *Semid.* II *vel* III *s.*
*XXIX	e	IX	23	Clementis, Papæ et Mart. *Semiduplex: an.* 100.
XXVIII	f	VIII	24	Chrysogoni, Romæ Martyris, *Simplex: an.* 304.
XXVII	g	VII	25	Catharinæ, Alexandrinæ Virg. et Mart. *Semidupl.*
25. XXVI	A	VI	26	Lini, Papæ et Mart. *Semid. c. an.* 78. *Commem.* S. Petri, Alexandrini Episc. et Mart, *an.* 311.

NOVEMBER.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXV. XXIV	b	V.	27	Maximini, Regiensis Episc. *Dupl. min. c. an.* 460.
XXIII	c	IV	28	Vitalis et Agricolæ, Bononiæ in Italia Mart. *Simplex : an.* 303.
XXII	d	III	29	Saturnini, primi Tolosani Episc. et Mart. *Semid. c. med.* III *s.*
XXI	e	Prid.	30	Andreæ, Apostoli, *Dupl. maj.* I *s.*
				Dominicâ ultimâ post Pentecosten celebratur Festum S. LEONTII, FOROJULIENSIS EPISCOPI, ECCLESIÆ CATHEDRAL. AC TOTIUS DIŒCESIS PATRONI, *Annuale-majus : an. quibusdam* 432 *vel* 433 ; *aliis* 450 ; *cujus Officium cum* Octava ac Festo Omnium SS. Episcoporum et aliorum Ministror. Eccles. Forojul. *invenitur ad calcem Proprii SS. in parte autumnali.*

DECEMBER.

XX	g	Cal.	1	
XIX	f	IV	2	Francisci Xaverii, Presbyt. Indiarum Apost. *Dupl. min. an.* 1552.
XVIII	A	III	3	Petri Chrysologi, Ravennensis Episc. et Eccl. Doct. *Commem. c. an.* 457.
XVII	b	Prid.	4	Barbaræ, Virg. et Mart. *Commem.* III *vel* IV *s.*
XVI	c	VIII	5	
XV	d	VII	6	
XIV	e	VII	7	
XIII	f	VI	8	CONCEPTIO Beatæ Mariæ Virg. *Solemne-majus.*
XII	g	V	9	Nicolai, Myrensis in Lycia Episc. *Semid. c. an.* 320. *Commem.* Octavæ Conceptionis.
XI	A	IV	10	De Octava Conceptionis, *Semid.*
X	b	III	11	Damasi, Papæ, *Semiduplex : an.* 384 ; *Commem.* Octavæ Conceptionis.
IX	c	Prid.	12	Pauli, primi Narbonensis Episcopi, *Semiduplex :* III *s. Commem.* Octavæ.
VIII	d	Idib.	13	Luciæ, Syracusanæ Virg. et Mart. *Semid. an.* 304 ; *commem.* Octavæ.
VII	e	XIX	14	De Octava, *Semid.* (post nonam nihil fit amplius de Octava.)

Cycl. Epactæ.	Lit. Dom.	Dies Mensis.		
vi	f	xviii	15	Expectatio Partûs Beatæ Maria *Dupl. maj.* I s.
v	g	xvii	16	
iv	A	xvi	17	
iii	b	xv	18	Gatiani, primi Turonensis Episc *mem.* iii s.
ii	c	xiv	19	
i	d	xiii	20	
*	e	xii	21	Thomæ, Apostoli, *Dupl. maj.* I
xxix	f	xi	22	
xxviii	g	x	23	
xxvii	A	ix	24	Vigilia cum jejunio.
xxvi	b	viii	25	NATALE DOMINI, *Annuale-*
25. xxv	c	vii	26	STEPHANI, DIACONI ET P MARTYRIS, *Solemne-min.* *Commem.* Octavæ Natalis Do
xxiv	d	vi	27	JOANNIS, APOST. ET EVANG. *Du an.* 100 *vel* 104. *Commem.* Nat. Domini (ac in Cath.) S. St
xxiii	e	v	28	Innocentium Martyrum, *Duplex-* *Commem.* Octavarum Natalis (*in Cathedr.* S. Stephani.)
xxii	f	iv	29	De Octava Natalis Domini, *Semid* (*In Cathedr. Commem.* Octava Stephani.)
xxi	g	iii	30	
19. xx	A	Prid.	31	

* Hæc Epacta 19 nunquam est in usu, nisi quando eodem anno c cum aureo numero xix.





PRÉSENTATION DE N-SEIGNEUR

PSALTERIUM
DISPOSITUM PER HEBDOMADAM.
PARS HIEMALIS.

DOMINICA,

Ob creatam Lucem, Christi Resurrectionem, novæque Legis promulgationem, cultu sempiterno celebranda.

OFFICII FINIS,

Dei et divinæ Legis Amor.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Quomodò inchoandum et ordinandum sit Officium Nocturnum sicut et cæteræ Horæ, habetur in Ordinario Breviarii ad calcem Psalterii, p. 149.

In Dominicis Adventûs et à Nativitate Domini ad ipsius Præsentationem, necnon in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, et Quinquagesimæ, Officium fit ut notatur in Proprio de Tempore.

A Præsentatione verò ad Septuagesimam fit ut sequitur.

INVITATORIUM.

Dominum qui fecit nos, * Veníte, adorémus. *Ps.* 94.

Repet. Dóminum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

Deindè dicitur Ps. Veníte, *ut habetur in Ordinario Breviarii.*

HYMNUS.

Die diérum príncipe
Lux è tenébris éruta,
Christus sepulcri cárcere,
Lux vera mundi, pródiit.

Et mors et horrendum chaos
Vocem jubentis áudiunt:
Nos surdióres, ô pudor!
Deo pigébit óbsequi?

Umbris sepulta dùm stupet
Natúra, lucis fílii
Surgámus, et noctem piis
Exerceámus cánticis.

Legem, Prophétas, et sacro
Psalmos calentes lúmine,
Profána dùm silent loca,
Divína templa pérsonent.

Cœlestis hæc vincat tuba
Cordis sopórem lánguidi,
Novíque mores éxprimant
Vitam resurgentis novam.

Hoc consequémur, te duce,

Fons caritátis, ô Deus,
Qui legis addis lítteræ
Vitæ datórem spíritum.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent et ardent ígnibus.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. a. Beátus vir.

*Asteriscus hic * notat mediationem et pausam.*

PSALMUS 1.

Beatus vir qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit;

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantátum est secùs decursus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet; * et ómnia quæcumque fáciet prosperabuntur.

Non sic ímpii, non sic; * sed tanquam pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resurgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum;

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * et iter impiórum períbit.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto:

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sécula seculórum. Amen.

Hi versus Glória Patri *et* Sicut erat *dicuntur in fine Psalmorum, Divisionum et Canticorum, nisi aliter notetur.*

Ant. Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, sed in lege Dómini meditábitur die ac nocte.

Ant. 4. f. Servíte Dómino.

PSALMUS 2.

Quare fremuérunt gentes,* et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * adversùs Dóminum, et adversùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * et projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódiè génui te.

Póstula à me; et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea,*

et tanquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * et exultáte ei cum tremóre:

Apprehéndite disciplínam, * nequando irascátur Dóminus, et pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Servíte Dómino, et exultáte ei: apprehéndite disciplínam.

Ant. 8. *G.* Dicunt.

PSALMUS 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me: * multi insurgunt adversùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, et exaltans caput meum.

Voce meà ad Dóminum clamávi, * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum; * et exurrexi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * exurge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, * dentes peccatórum contrivisti.

Dómini est salus; * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Dicunt ánimæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus; tu autem, Dómine, susceptor meus es.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; ℟. Et custodívi legem tuam. *Ps.* 118.

Post Versiculum cujuslibet Nocturni dicitur secretò: Pater, *deindè Absolut. et Benedict. ut habentur in Ordinario Breviarii.*

Lectiones cum Responsoriis ut in Proprio.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Díligam te Dómine.

PSALMUS 17.

Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * et sperábo in eum.

Protector meus, et cornu salútis meæ, * et susceptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * et torrentes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inferni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invo-

cávi Dóminum,* et ad Deum meum clamávi;

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam; * et clamor meus in conspectu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta est et contrémuit terra: fundamenta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt;* quóniam irátus est eis.

Ascendit fumus in ira ejus, et ignis à fácie ejus exarsit: * carbónes succensi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, et descendit: * et calígo sub pédibus ejus.

Et ascendit super Chérubim, et volávit: * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum: in circúitu ejus tabernáculum ejus; * tenebrósa aqua in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conspectu ejus nubes transiérunt: * grando et carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam: * grando et carbónes ignis.

Et misit sagittas suas, et dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * et reveláta sunt fundamenta orbis terrárum.

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Ant. Diligam te, Dómine, fortitúdo mea: firmamentum meum, et refúgium meum. *Ps.* 17.

Ant. 4. *D.* Ero immaculátus.

DIVISIO PSALMI 17.

Misit de summo (Dóminus,) et accépit me, * et assumpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab his qui odérunt me; * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * et factus est Dóminus protector meus.

Et eduxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * et secundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi;

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi à Deo meo;

Quóniam ómnia judícia ejus in conspectu meo, * et justítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * et observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminùs secundùm justítiam meam,* et secundùm puritátem mánuum meárum in conspectu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris,* et cum viro innocente ínnocens eris:

Et cum electo electus eris, * et cum perverso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies, * et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucernam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * et in Deo meo transgrédiar murum.

Ant. Ero immaculátus cum Deo meo, et observábo me ab iniquitáte mea. *Ps.* 17.

Ant. 7. a. Déxtera tua.

ALTERA DIVISIO PSAL. 17.

Deus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protector est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcinxit me virtúte, * et pósuit immaculátam viam meam;

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum, * et super excelsa státuens me;

Qui docet manus meas ad prælium: * et posuisti ut arcum æreum bráchia mea;

Et dedisti mihi protectiónem salútis tuæ; * et déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua correxit me in finem, * et disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatasti gressus meos subtus me, * et non sunt infirmáta vestígia mea.

Persequar inimícos meos, et comprehendam illos; * et non convertar, donec defíciant.

Confringam illos, nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtúte ad bellum; * et supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimícos meos dedisti mihi dorsum, * et odientes me disperdidisti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret: * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et commínuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli: * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi: * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii alièni mentíti sunt mihi: * fílii alièni inveteráti sunt, et claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedictus Deus meus; * et exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindictas mihi, et subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracundis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * et nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes regis ejus, * et fáciens misericórdiam christo suo David, et sémini ejus usque in séculum.

Ant. Déxtera tua suscépit me, Dómine; et disciplína tua ipsa me docébit. *Ps.* 17.

℣. Legem tuam, Dómine, non sum oblítus; ℟. Médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi. *Ps.* 118.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. In Deo.

PSALMUS 27.

Ad te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas à me; * nequando táceas à me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dùm oro ad te, * dùm extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus; * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me:

Qui loquuntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secundùm ópera eórum, * et secundùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, et in ópera mánuum ejus; * déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedictus Dóminus, * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protector meus: * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro meà; * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, * et protector salvatiónum christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et benedic hæreditáti tuæ; * et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Ant. In Deo sperávit cor meum, et adjútus sum; et ex voluntáte mea confitébor ei *Ps.* 27.

Ant. 1. D. Psállite.

PSALMUS 29.

Exaltabo te, Dómine, quóniam suscepisti me, * nec delectasti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * et sanasti me.

Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam: * salvasti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti

ejus, * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in æternum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitisti decóri meo virtútem:

Avertisti fáciem tuam à me; * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo; * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dùm descendo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misertus est meî: * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertisti planctum meum in gáudium mihi: * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætítiâ;

Ut cantet tibi glória mea, et non compungar: * Dómine Deus meus, in æternum confitébor tibi.

Ant. Psállite Dómino, sancti ejus, et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Ant. 5. a. Veníte.

PSALMUS 65.

JUBILATE Deo, omnis terra; psalmum dícite nómini ejus: * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo: Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentientur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi; * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convertit mare in áridam; in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in æternum; óculi ejus super gentes respíciunt: * qui exásperant, non exalteutur in semetipsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum; * et audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probasti nos, Deus: * igne nos examinasti, sicut examinátur argentum.

Induxisti nos in láqueum, posuisti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuisti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam; * et eduxisti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi vota mea,

Quæ distinxérunt lábia mea, et locútum est os

Benedícite, fontes, Dómino : * benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete et ómnia quæ moventur in aquis, Dómino : * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino : * benedícite fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israel Dóminum : * laudet et superexaltet eum in sécula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino : * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus et ánimæ justórum, Dómino : * benedícite, sancti et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Ananía, Azaría, Mísael, Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sécula.

Hìc, loco Glória Patri, *dicitur :*

Benedicámus Patrem, et Fílium, cum sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in sécula.

Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli ; * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sécula.

Ant. Benedictus es, Dómine, in throno regni tui ; et superlaudábilis, et superexaltátus in sécula.

Ant. 7. d. Hymnus.

PSALMUS 148.

LAUDATE Dóminum, de cœlis : * laudáte eum in excelsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus : * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol et luna : * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum : * et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini ;

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in æternum, et in séculum séculi : * præceptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terra ; * dracónes, et omnes abyssi ;

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus ;

Montes, et omnes colles ; * ligna fructífera, et omnes cedri ;

Béstiæ et universa pécora ; * serpentes, et vólucres pennátæ ;

Reges terræ, et omnes pópuli ; * príncipes, et omnes júdices terræ ;

Júvenes et vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini, * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum et terram ; * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus, * fíliis Israel, pópulo appropinquanti sibi

Ant. Hymnus ómnibus sanctis ejus, fíliis Israel, pópulo appropinquanti sibi.

Capitulum. (*Deut.* 6.)

AUDI, Israel : Dóminus Deus noster, Dóminus unus est. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota fortitúdine tua ; eruntque verba hæc in corde tuo : et meditáberis in eis sedens in domo tua, et ámbulans in itínere, dórmiens atque consurgens. ℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

HYMNUS.

AD templa nos rursùs vocat
Surgentis auróræ nitor,
Novasque pro læto monet
Referre grates múnere.

AT victor auróram suo
Fulgóre Christus óbruit :
Huic, magna cujus pars sumus,
Juvat triumpho pláudere.

QUOD evolútus fásciis
Repentè mundus éxtitit,
Puro renídens lúmine,
Virtútis hoc quantæ fuit!

QUOD tráditum neci Pater,
Ut sóntibus vitam daret,
Vitæ redónat Fílium,
Amóris hoc quanti fuit!

ÆTERNUS ut rerum Sator
Aspexit orbem, prótinus,
Colóre depictum suo,
Probávit excellens opus.

AT lætius quantò óbtulit
Sese Patri spectáculum
Cœlestis Agni cándido
Ablútus orbis sánguine!

CUM luce nobis rédditur
Mundi renascentis decor,
Occulta per quem Núminis
Mens surgit ad magnália.

AT splendor æterni Patris,
Lumenque Christus córdium,
Deum dat in se, quantus est,
Sub nube carnis cérnere.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Ut legis ad facem tuæ
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes.
Amen.

℣. Mane astábo tibi Dómine, ℟. Et vidébo quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Ps.* 5.

Antiphona, ut in Proprio.

Canticum Benedictus, *etc ut in Ord. Brev.*

Collecta ut in Proprio.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. In toto corde.

PSALMUS 117.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus. * quóniam in séculum misericórdia ejus

Dicat nunc Israel quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * et exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor, * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor, * et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, .* quàm speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdedérunt me; * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, et exarsérunt sicut ignis in spinis; * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impulsus, eversus sum ut cáderem; * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis et salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam, * et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus, * et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ: * ingressus in eas, confitébor Dómino.

Hæc porta Dómini; * justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudisti me, * et factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud, * et est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dóminus: * exultémus et lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac; ô Dómine, bene prosperáre: * benedictus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, et illuxit nobis.

Constitúite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi: * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudisti me, * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

PSALMUS 118.

Beati immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutantur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandasti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ * ad custodiendas justificatiónes tuas !

Tunc non confundar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis; * in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam; * non me derelinquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam ? * in custodiendo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te : * ne repellas me à mandátis tuis.

In corde meo abscondi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedictus es, Dómine :* doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor :* non obliviscar sermónes tuos.

DIVISIO PSALMI 118.

Retribue servo tuo, vivífica me ; * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos, * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra; * non abscondas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas* in omni témpore.

Increpasti superbos :* maledicti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium et contemptum; * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, et adversùm me loquebantur; * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est, * et consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit pavimento ánima mea :* vivífica me secundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudisti me : * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me; * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio : * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me, * et de lege tua miserére meî.

Viam veritátis elégi; * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis, Dómine : * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilatasti cor meum.

Quando fit Officium de Dominica, nisi aliter notetur, dicitur hic sequens

SYMBOLUM.

Quicumque vult salvus esse,* ante ómnia opus est ut téneat cathólicam fidem :

Quam nisi quisque íntegram inviolatamque serváverit,* absque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc est,* ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in Unitáte venerémur ;

Neque confundentes persónas,* neque substántiam separantes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii,* ália Spíritûs sancti.

Sed Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti una est divínitas,* æquális glória, coætérna majestas.

Qualis Pater, talis Fílius,* talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius,* increátus Spíritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Fílius,* immensus Spíritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Fílius,* æternus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres æterni,* sed unus æternus.

Sicut non tres increáti, nec tres immensi,* sed unus increátus, et unus immensus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius,* omnípotens Spíritus sanctus ;

Et tamen non tres omnipotentes,* sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius,* Deus Spíritus sanctus ;

Et tamen non tres dii,* sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius,* Dóminus Spíritus sanctus ;

Et tamen non tres Dómini,* sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquamque persónam, Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur ;* ita tres deos aut dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus,* nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est,* non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre et Fílio,* non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres : unus Fílius, non tres Fílii :* unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus ;* sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt et coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est,* et Unitas in Trinitáte, et Trínitas in Unitáte veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse,* ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus et confiteámur * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus et homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sécula génitus, * et homo est ex substántia matris in século natus.

Perfectus Deus, perfectus homo; * ex ánima rationáli, et humána carne subsistens.

Æquális Patri secundùm divinitátem, * minor Patre secundùm humanitátem.

Qui licèt Deus sit et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem,* sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno, non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális et caro unus est homo; * ità Deus et homo unus est Christus,

Qui passus est pro salúte nostra, descendit ad ínferos, * tértiâ die resurrexit à mórtuis:

Ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis, * inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos:

Ad cujus adventum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * et redditúri sunt de factis própriis rationem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam æternam; * qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides cathólica; * quam nisi quisque fidéliter firmíterque credíderit, salvus esse non póterit.

Ant. In toto corde meo exquisívi te, Dómine: doce me justificatiónes tuas. *Ps.* 118.

Capitulum, et cætera ut habentur in Ordinario Brev.

AD TERTIAM.

Ant. 6. *C.* Da mihi.

EX PSALMO 118.

Legem pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum; * et exquíram eam semper.

Da mihi intellectum, et scrutábor legem tuam; * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua, * et non in avarítiam.

Averte óculos meos, ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod suspicátus

sum, * quia judícia tua jucunda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me;

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine, * salutáre tuum secundùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum, * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque; * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper, * in séculum, et in séculum séculi.

Et ambulábam in latitúdine, * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ dilexi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi, * et exercébar in justificatiónibus tuis.

DIVISIO PSALMI 118.

Memor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea, * quia elóquium tuum vivificávit me.

Superbi iníquè agébant usquequáque: * à lege autem tua non declinávi.

Mémor fui judiciórum tuórum à século, Dómine; * et consolátus sum.

Deféctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; * et custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi, * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi, custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo: * miserére meî secundùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * et converti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, et non sum turbátus, * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumplexi sunt me; * et legem tuam non sum oblítus.

Médià nocte surgébam ad confitendum tibi * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * et custodiéntium mandáta tua.

Misericórdià tuâ, Dómine, plena est terra: * justificatiónes tuas doce me.

DIVISIO PSALMI 118.

Bonitatem fecisti cum servo tuo, Dómine, * secundùm verbum tuum.

Bonitátem, et disciplí-

nam, et sciéntiam doce me ;* quia mandátis tuis crédidi

Priusquàm humiliárer, ego delíqui : * proptéreà elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu ; * et in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum : * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum : * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me ; * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui * super míllia auri et argenti.

Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me : * da mihi intellectum, et discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, et lætabuntur ; * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * et in veritáte tua humiliasti me.

Fiat misericórdia tua, ut consolétur me, * secundùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, et vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

Confundantur superbi, quia injustè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertantur mihi timentes te, * et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confundar.

Ant. Da mihi intellectum, et scrutábor legem tuam, Dómine.

Capitulum. (1. *Joan.* 2.)

In hoc scimus quóniam cognóvimus Deum, si mandáta ejus observémus. Qui dicit se nosse eum, et mandáta ejus non custódit, mendax est, et in hoc véritas non est : qui autem servat verbum ejus, verè in hoc cáritas Dei perfecta est.

℟. *br.* Inclína cor meum, Deus, * In testimónia tua. Inclína. ℣. Averte óculos meos, ne vídeant vanitatem ; * in via tua vivífica me, * In testimónia tua. Glória Patri. Inclína.

℣. Deduc me in sémitam mandatórum tuórum ; ℟. Quia ipsam vólui. *Ps.* 118.

Collecta conveniens.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Inclinávi.

EX PSALMO 118.

Defecit in salutáre tuum ánima mea, * et in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicentes : Quando consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína ; * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui ? * quando fácies de persequéntibus me judícium ?

Narravérunt mihi iníqui fábulatiónes; * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua, véritas: * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minùs consummavérunt me in terra: * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secundùm misericórdiam tuam vivífica me, * et custódiam testimónia oris tui.

In æternum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem et generatiónem véritas tua: * fundasti terram, et pérmanet.

Ordinatióne tuâ persevérat dies; * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea est, * tunc fortè periissem in humilitáte mea.

In æternum non obliviscar justificatiónes tuas; * quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, * salvum me fac; quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua intellexi.

Omnis consummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimis.

DIVISIO PSALMI 118.

Quomodo dilexi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudentem me fecisti mandáto tuo; * quia in æternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi, * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intellexi, * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos; * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi; * quia tu legem posuisti mihi.

Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua! * super mel ori meo.

A mandátis tuis intellexi: * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Lucerna pédibus meis verbum tuum, * et lumen sémitis meis.

Jurávi et státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine: * vivífica me secundùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine, * et judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper; * et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi; * et de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in æternum; * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

DIVISIO PSALMI 118.

Iniquos ódio hábui, * et legem tuam dilexi.

Adjútor et susceptor meus es tu; * et in verbum tuum supersperávi.

Declináte à me, maligni; * et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secundùm elóquium tuum, et vivam; * et non confundas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, et salvus ero; * et meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes à judíciis tuis, * quia injusta cogitátio eórum.

Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ: * ídeò dilexi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas: * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium et justítiam: * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum: * non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum, * et in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundùm misericórdiam tuam, * et justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: * da mihi intellectum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciendi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideò dilexi mandáta tua * super aurum et topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníquam ódio hábui.

Ant. Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum.

Capitulum. (1. *Joan.* 5.)

Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus; et mandáta ejus grávia non sunt.

℟. *br.* Testimónia tua intellexi, Dómine: * Latum mandátum tuum nimis. Testimónia. ℣. Omnis consummatiónis * vidi finem: * Latum. Glória Patri. Testimónia tua.

℣. Dilexi mandáta tua super aurum et topázion: ℟. Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar. *Ps.* 118.

Collecta conveniens.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Omnia.

EX PSALMO 118.

Mirabilia testimónia tua; * ídeò scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat, * et intellectum dat párvulis.

Os meum apérui, et attraxi spíritum; * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, et miserére meî, * secundùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secun-

dùm elóquium tuum; * et non dominétur meî omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum, * et doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine, * et rectum judícium tuum.

Mandasti justítiam testimónia tua, * et veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus; * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum vehementer; * et servus tuus dilexit illud.

Adolescéntulus sum ego, et contemptus: * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in æternum; * et lex tua véritas.

Tribulátio et angústia invenérunt me: * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in æternum: * intellectum da mihi, et vivam.

DIVISIO PSALMI 118.

Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac; * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, et clamávi; * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secundùm misericórdiam tuam, Dómine; * et secundùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequentes me iniquitáti: * à lege autem tua longè facti sunt.

Propè es tu, Dómine; * et omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis; * quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitátem meam, et éripe me: * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, et rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus salus; * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine: * secundùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequuntur me, et tríbulant me: * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricantes, et tabescébam; * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua dilexi, Dómine: * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum, véritas: * in æternum ómnia judícia justítiæ tuæ.

VISIO PSALMI 118.

PRINCIPES persecúti sunt me gratis ; * et à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua, * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum : * legem autem tuam dilexi.

Sépties in die laudem dixi tibi * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam; * et non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine; * et mandáta tua dilexi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * et dilexit ea vehementer.

Servávi mandáta tua et testimónia tua ; * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecátio mea in conspectu tuo, Dómine : * juxta elóquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulátio mea in conspectu tuo : * secundùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum ; * quia ómnia mandáta tua, æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me ; * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine ; * et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te ; * et judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit : * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Ant. Omnia mandáta tua æquitas : pax multa diligéntibus legem tuam, Dómine.

Capitulum. (1. *Tim.* 1.)

FINIS præcepti est cáritas de corde puro, et consciéntià bonà, et fide non fictà.

℟. *br.* Omnes viæ meæ * In conspectu tuo, Dómine. Omnes. ℣. Servávi mandáta tua, * et testimónia tua, * In conspectu. Glória Patri. Omnes.

℣. Custodívit ánima mea testimónia tua, ℟. Et dilexit ea vehementer. *Ps.* 118.

Collecta conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 7. *c.* Dixit Dóminus.

PSALMUS 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet : * proptéreà exaltábit caput.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede à dextris meis.

Ant. 4. d. Fidélia.

PSALMUS 110.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio justórum et congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquisita in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in séculum testamenti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo;

Ut det illis hæreditátem géntium : * ópera mánuum ejus, véritas et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in séculum séculi.

Ant. Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi.

Ant. 1. f. Qui timet Dóminum.

PSALMUS 111.

BEATUS vir qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo ejus; * et justítia ejus manet in séculum séculi.

Exortum est in ténebris lumen rectis; * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucundus homo, qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício; * quia in æternum non commovébitur.

In memória æterna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur, donec despíciat inimícos suos.

Dispersit, dedit paupéribus, * justítia ejus manet in

séculum séculi : cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur; déntibus suis fremet, et tabescet ; * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Qui timet Dóminum, in mandátis ejus volet nimis.

Ant. 7. ç. Sit nomen Dómini.

PSALMUS 112.

LAUDATE, púeri, Dóminum; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum, * ex hoc nunc et usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cœlo et in terra?

Súscitans à terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem;

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

Ant. Sit nomen Dómini benedictum, ex hoc nunc et usque in séculum.

Ant. 1. A. Nos qui vívimus.

PSALMUS 113.

IN éxitu Israel de *Ægypto*, * domûs Jacob de populo bárbaro;

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potestas ejus.

Mare vidit, et fugit : * Jordánis conversus est retrorsùm.

Montes exultavérunt ut aríetes, * et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quòd fugisti? * et tu, Jordánis, quia conversus es retrorsùm?

Montes, exultastis sicut aríetes? * et colles, sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob,

Qui convertit petram in stagna aquárum, * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * sed nómini tuo da glóriam super misericórdia tua et veritáte tua;

Nequando dicant gentes : * Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cœlo : * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argentum et aurum : * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquentur : * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt; pedes habent, et non ambulábunt : * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fá-

ciunt ea, * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protector eórum est.

Domus Aáron sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protector eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino : * adjútor eórum et protector eórum est.

Dóminus memor fuit nostrî, * et benedixit nobis.

Benedixit dómui Israel : * benedixit dómui Aaron.

Benedixit ómnibus qui timent Dóminum, * pusillis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos et super fílios vestros.

Benedicti vos à Dómino : * qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

Ant. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino.

Capitulum. (*Ephes.* I.)

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspectu ejus in caritáte.

HYMNUS.

O LUCE qui mortálibus
Lates inaccessâ, Deus!
Præsente quo sancti tremunt
Nubuntque vultus Angeli :

HIC, ceu profundâ cónditi
Demérgimur calígine :
Æternus at noctem suo
Fulgóre depellet dies.

HUNC nempe nobis præparas,
Nobis reservas hunc diem,
Quem vix adumbrat spléndida
Flammantis astri cláritas.

MORARIS, heu! nimis diu
Moráris, optátus dies :
Ut te fruámur nóxii
Linquenda moles córporis.

HIS cùm solúta vínculis
Mens evolárit, ô Deus;
Vidére te, laudáre te,
Amáre te non désinet.

AD omne nos apta bonum,
Fecunda donis Trínitas :
Fac lucis usúræ brevi
Æterna succédat dies.
Amen.

℣. In Deo laudábimur totâ die; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. *Ps.* 43.

Antiphona et Collecta ut in Proprio.

Canticum Magníficat, *ut in Ord. Brev.*

Collecta, ut in Proprio.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos, *etc. ut in Ord. Brev.*

Ant. 8. G. Scuto.

PSALMUS 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatasti mihi.

Miserére meî, * et exaudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequò gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium ?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum : * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino : * multi dicunt, Quis ostendit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine : * dedisti lætítiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idipsum dórmiam, * et requiescam ;

Quóniam tu, Dómine, * singuláriter in spe constituisti me.

PSALMUS 90.

Qui hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino : Susceptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus, sperábo in eum ;

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi ; * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis à timóre nocturno.

A sagitta volante in die, à negótio perambulante in ténebris, * ab incursu, et dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, et decem míllia à dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis, * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam, tu es, Dómine, spes mea ; * altíssimum posuisti refúgium tuum :

Non accédet ad te malum, * et flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, * ne forte offendas ad lápidem pedem tuum

Super áspidem et basiliscum ambulábis, * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, * et ego exáudiam eum.

Cum ipso sum in tribulatióne: * erípiam eum, et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * et ostendam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

Ecce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri;

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum et terram.

Ant. Scuto circumdábit te véritas ejus: non timébis à timóre nocturno. *Ps.* 90.

Hymnus, etc. habentur in Ordinario Breviarii.

FERIA SECUNDA.

OFFICII FINIS,

Magnifici in suis operibus Creatoris, erga homines caritas ac beneficientia celebratur.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Venite, exultémus Dómino: * Jubilémus Deo salutári nostro.

Continuatur Ps. 94. Præoccupémus, *ut in Ordinario Breviarii.*

HYMNUS.

Dei canámus glóriam,
Cœlum secundo qui die
Expandit, admirábile
Mortálibus spectáculum.

Poli stupémus álveo
Stagnáre pénsiles lacus:
Hinc imbre terras fértili
Cœlestis irrórat Pater.

Quam præparas nobis, Deus,
Est hæc imágo grátiæ:
Hæc rore stillans úberi
Cordis pénetrat íntima.

Hanc qui fidéli cómbibunt
Aquam salúbrem péctore,
In his ad æternas domos
Miro resultat ímpetu.

Beata gens, quam pródigâ
Ditáre non cessas manu!
Amóris hæc memor tui,
Amóris et reddat vices.

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

In Feriis, et aliis Officiis trium Lectionum, dicuntur pro unico Nocturno novem Psal-

mi ad unamquamque Feriam positi, sub una duntaxat Antiphona post singulos tres Psalmos. In festis verò novem Lectionum, post quemlibet Psalmum, unaquæque Antiphona dicitur, vel de Proprio, vel de Communi.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 4. d. Omnia.

PSALMUS 103.

Benedic, ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer.

Confessiónem et decórem induisti, * amictus lúmine sicut vestimento;

Extendens cœlum sicut pellem, * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum; * qui ámbulas super pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos spíritus, * et ministros tuos ignem urentem;

Qui fundasti terram super stabilitátem suam: * non inclinábitur in séculum séculi.

Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus; * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Ascendunt montes, et descendunt campi, * in locum quem fundasti eis.

Términum posuisti, quem non transgredientur; * neque convertentur operíre terram.

Qui emittis fontes in convállibus: * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri: * expectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cœli habitábunt: * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis: * de fructu óperum tuórum satiábitur terra:

Prodúcens fœnum juméntis, * et herbam servitúti hóminum,

Ut edúcas panem de terra, * et vinum lætíficet cor hóminis.

Ut exhílaret fáciem in óleo, * et panis cor hóminis confirmet.

Saturabuntur ligna campi, * et cedri Líbani quas plantávit.

Illic pásseres nidificábunt: * heródii domus dux est eórum.

Montes excelsi cervis, * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

Posuisti ténebras, et facta est nox; * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ sylvæ:

Cátuli leónum rugientes, * ut rápiant, et quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt; * et in cubílibus suis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus

suum, * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

DIVISIO PSALMI 103.

QUAM magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntia fecisti; impléta est terra possessióne tuà.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus: * illìc reptília, quorum non est númerus, animália pusilla cum magnis.

Illìc naves pertransíbunt:* draco iste quem formasti ad illudendum ei.

Omnia à te expectant, * ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent: * aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte.

Avertente autem te fáciem, turbabuntur: * áuferes spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum revertentur.

Emittes Spíritum tuum, et creabuntur; * et renovábis fáciem terræ.

ALTERA DIVISIO PSALMI 103.

SIT glória Dómini in séculum: * lætábitur Dóminus in opéribus suis;

Qui réspicit terram, et facit eam trémere; * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo, quámdiu sum.

Jucundum sit ei elóquium meum: * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, et iníqui, ita ut non sint: * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Omnia in sapiéntia fecisti, Dómine: impléta est terra possessióne tuâ.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Mementóte.

PSALMUS 104.

CONFITEMINI Dómino, et invocáte nómen ejus: * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, et psállite ei:* narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, et confirmámini: * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus, et judícia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus, * fílii Jacob electi ejus.

Ipse Dóminus Deus noster: * in universa terra judícia ejus.

Memor fuit in séculum testamenti sui, * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod dispósuit ad Abraham; * et juramenti sui ad Isaac.

Et státuit illud Jacob in præceptum, * et Israel in testamentum æternum;

Dicens: Tibi dabo terram

Chánaan * funículum hæreditátis vestræ;
Cùm essent número brevi, paucíssimi, * et íncolæ ejus.
Et pertransiérunt de gente in gentem, * et de regno ad pópulum álterum.
Non relíquit hóminem nocére eis, * et corrípuit pro eis reges.
Nolíte tángere christos meos, * et in prophétis meis nolíte malignári.

DIVISIO PSALMI 104. Et

VOCAVIT [Dóminus] famem super terram, * et omne firmamentum panis contrívit.
Misit ante eos virum: * in servum venúmdatus est Joseph.
Humiliavérunt in compédibus pedes ejus: * ferrum pertránsiit ánimam ejus.
Donec veníret verbum ejus, * elóquium Dómini inflammávit eum.
Misit rex, et solvit eum; * princeps populórum, et dimísit eum.
Constítuit eum dóminum domûs suæ, * et príncipem omnis possessiónis suæ;
Ut erudíret príncipes ejus sicut semetipsum, * et senes ejus prudéntiam docéret.
Et intrávit Israel in Ægyptum; * et Jacob áccola fuit in terra Cham.
Et auxit pópulum suum vehementer, * et firmávit eum super inimícos ejus.
Convertit cor eórum, ut odírent pópulum ejus, * et dolum fácerent in servos ejus.

ALTERA DIVISIO PSALMI 104.

MISIT [Dóminus] Móysen servum suum, * Aáron quem elégit ipsum.
Pósuit in eis verba signórum suórum, * et prodigiórum in terra Cham.
Misit ténebras, et obscurávit; * et non exacerbávit sermónes suos.
Convertit aquas eórum in sánguinem, * et occídit pisces eórum.
Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.
Dixit; et venit cœnomyía, et cínifes * in ómnibus fínibus eórum.
Pósuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburentem in terra ipsórum.
Et percussit víneas eórum, et ficúlneas eórum; * et contrívit lignum fínium eórum.
Dixit; et venit locusta et bruchus, * cujus non erat númerus:
Et comédit omne fœnum in terra eórum, * et comédit omnem fructum terræ eórum.
Et percussit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.
Et eduxit eos cum argento et auro; * et non erat in tríbubus eórum infirmus.
Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum; * quia

incúbuit timor eórum super eos.

Expandit nubem in protectiónem eórum, * et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit coturnix; * et pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxérunt aquæ: * abiérunt in sicco flúmina:

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et eduxit pópulum suum in exultatióne, * et electos suos in lætítia.

Et dedit illis regiónes géntium: * et labóres populórum possedérunt;

Ut custódiant justificatiónes ejus, * et legem ejus requírant.

Ant Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, prodígia ejus, et judícia oris ejus.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 1. *a.* Vísita nos.

PSALMUS 105.

Confitemini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * et fáciunt justítiam in omni témpore.

Memento nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: * vísita nos in salutári tuo,

Ad videndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.

DIVISIO PSALMI 105.

Peccavimus cum pátribus nostris: * injustè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua: * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendentes in mare, * mare Rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum, * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpuit mare rubrum, et exsiccátum est: * et deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.

Et salvávit eos de manu odiéntium, * et redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulantes eos: * unus ex eis non remansit.

Et credidérunt verbis ejus, * et laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt, oblíti sunt óperum ejus, * et non sustinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in deserto, * et tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum, * et misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in

castris, * Aáron sanctum Dómini.

Aperta est terra, et deglutívit Dathan, * et opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exarsit ignis in synagóga eórum; * flamma combussit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb, * et adoravérunt scúlptile;

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedentis fœnum.

Oblíti sunt Deum qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari Rubro.

Et dixit ut dispérderet eos, si non Móyses electus ejus stetisset in confractióne, in conspectu ejus, * ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos.

Et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem: * non credidérunt verbo ejus.

Et murmuravérunt in tabernáculis suis: * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos, * ut prostérneret eos in deserto,

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus, * et dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor, * et comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis; * et multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, et placávit; * et cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem et generatiónem usque in sempiternum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * et vexátus est Móyses propter eos,

Quia exacerbavérunt spíritum ejus; * et distinxit in lábiis suis.

ALTERA DIVISIO PSALMI 105.

Non disperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commixti sunt inter gentes, * et didicérunt ópera eórum.

Et serviérunt sculptílibus eórum; * et factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos * et fílias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocentem, * sánguinem filiórum suórum, et filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infecta est terra in sanguínibus, et contamináta est in opéribus eórum; * et fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum, * et abominátus est hæreditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium; * et domináti sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * et humiliáti sunt sub mánibus eórum.

Sæpè liberávit eos : * ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, et humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit, cùm tribularentur; * et audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testamenti sui, * et pœnítuit eum secundùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias, * in conspectu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster; * et cóngrega nos de natiónibus;

Ut confiteámur nómini sancto tuo, * et gloriémur in laude tua.

Benedictus Dóminus Deus Israel à século, et usque in séculum; * et dicet omnis pópulus : Fiat, fiat.

Ant. Vísita nos in salutári tuo, Dómine, ad videndum in bonitáte electórum tuórum.

℣. Expandit nubem in protectiónem eórum, ℟. Et ignem ut lucéret eis per noctem. *Ps.* 104.

Post Versiculum dicitur : Pater, *deindè Absolutio et Benedictiones ut habentur in Ordinario Breviarii. Lectiones cum* ℟℟. *habentur in Proprio de Tempore; et sic in sequentibus Feriis.*

Non dicitur Te Deum *in Feriis.*

℣. *Sacerd.* Exultáb
meum in salutári
℟. Cantábo Dómino q
na tríbuit mihi. *Ps.* 1

AD LAUDES.

Deus, in adjutóriun
ut in Ord. Brev. et sic i
Feriis.

Ant. 5. a. Bonum e

PSALMUS 91.

Bonum est confitéri I
no, * et psállere nómi
Altíssime,

Ad annuntiandum
misericórdiam tuam,
veritátem tuam per
tem,

In decachordo psalt
cum cántico in cíthar

Quia delectasti me, I
ne, in factúra tua, * et i
ribus mánuum tuárum
tábo.

Quàm magnificáta
ópera tua, Dómine! *
profundæ factæ sunt c
tiónes tuæ.

Vir insípiens non c
cet, * et stultus non i
get hæc.

Cùm exorti fúerint
tóres sicut fœnum, et
rúerint omnes qui oper
iniquitátem; * ut int
in séculum séculi :

Tu autem Altíssimu
æternum, Dómine;

Quóniam ecce inimí
Dómine, quóniam ecc
míci tui períbunt, * e
pergentur omnes qui
rantur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicornis cornu meum, * et senectus mea in misericórdia úberi.

Et despexit óculus meus inimícos meos, * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit: * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta úberi, * et bene patientes erunt,

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noster, * et non est iníquitas in eo.

Ant. Bonum est psállere nómini tuo, Altíssime, ad annuntiandum mane misericórdiam tuam.

Ant. 8. d. Bonus Dóminus.

PSALMUS 135.

Confitemini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui facit mirabília magna solus, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui fecit cœlos in intellectu, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui firmávit terram super aquas, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui fecit luminária magna, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Solem in potestátem diéi, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Lunam et stellas in potestátem noctis, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Ant. Bonus Dóminus: in æternum misericórdia ejus.

Ant. 4. a. Dóminus.

DIVISIO PSALMI 135.

[Confitemini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in æternum misericórdia ejus;]

Qui percussit Ægyptum cum primogénitis eórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui eduxit Israel de médio eórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

In manu potenti, et bráchio excelso, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui divisit mare Rubrum in divisiónes, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Et eduxit Israel per médium ejus, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et excussit Pharaónem et virtútem ejus in mari Rubro, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui traduxit pópulum suum per desertum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui percussit reges ma-

gnos, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et occídit reges fortes, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Sehon regem Amorrhæórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et Og regem Basan, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et dedit terram eórum hæreditátem, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Hæreditátem Israel servo suo, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostrî, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et redémit nos ab inimícis nostris, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui dat escam omni carni, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Ant. Dóminus in humilitáte nostra memor fuit nostrî, et redémit nos ab inimícis nostris.

Quando fit Officium de Feria, dicitur Canticum sequens.

Ant. 7. d. Quis símilis tuî.

CANTICUM MOYSI

(Exod. 15.)

Cantemus Dómino; gloriósè enim magnificátus est: * equum et ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, et glorificábo eum: * Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor *: Omnípotens, nomen ejus.

Currus Pharaónis et exércitum ejus projécit in mare: * electi príncipes ejus submersi sunt in mari Rubro.

Abyssi operuérunt eos: * descendérunt in profundum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine: * dextera tua, Dómine, percussit inimícum.

Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuisti adversários tuos: * misisti iram tuam quæ devorávit eos sicut stípulam.

Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ: * stetit unda fluens, congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dxit inimícus: Pérsequar, et comprehendam; * dívidam spólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum; * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare: * submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendisti manum tuam, * et devorávit eos terra.

Dux fuisti in misericórdia tua pópulo quem redemisti, * et portasti eum in fortitúdine tua ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et iráti sunt : * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom; robustos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor : * in magnitúdine bráchii tui fiant immóbiles quasi lapis.

Donec pertránseat pópulus tuus, Dómine; * donec pertránseat pópulus tuus iste quem possedisti.

Introdúces eos, et plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine :

Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

Dóminus regnábit * in æternum et ultrà.

Ingressus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus ejus in mare; * et reduxit super eos Dóminus aquas maris.

Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ant. Quis símilis tuî, Dómine? magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília.

[*In Festis Sanctorum, loco superioris Cantici, dicitur sequens*

CANTICUM.

(Eccli. 39.)

Collaudate cánticum, * et benedícite Dóminum in opéribus suis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * et confitémini illi in voce labiórum vestrórum, et in cánticis labiórum, et cítharis;

Et sic dicétis in confessióne : * Opera Dómini universa bona valdè.

In verbo ejus stetit aqua sicut congéries : * et in sermóne oris illíus sicut exceptória aquárum;

Quóniam in præcepto ipsíus placor fit, * et non est minorátio in salúte ipsíus.

Opera omnis carnis coram illo, * et non est quidquam abscónditum ab óculis ejus.

A século usque in séculum réspicit, * et nihil est mirábile in conspectu ejus.]

Ant. 1. g. Laudáte Dóminum.

PSALMUS 134.

Laudate nómen Dómini; * laudáte, servi, Dóminum.

Qui statis in domo Dómi-

ni, * in átriis domûs Dei nostri,

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus, * psállite nómini ejus, quóniam suáve;

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israel in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * et Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit, * in cœlo, et in terra, in mari, et in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de thesauris suis; * qui percussit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa et prodígia in médio tuî, Ægypte, * in Pharaónem, et in omnes servos ejus;

Qui percussit gentes multas, * et occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, et Og regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Israel pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in æternum : * Dómine, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem;

Quia judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argentum et aurum : * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquentur : * óculos habent, et non vidébunt :

Aures habent, et non áudient; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel, benedícite Dómino : * domus Aáron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino; * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedictus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Laudáte Dóminum, psállite nómini ejus; quóniam elégit Israel in possessiónem sibi.

Capitulum. (*Prov.* 8.)

Ego diligentes me díligo; et qui mane vígilant ad me, invénient me.

HYMNUS.

Nil láudibus nostris eges,
Sed fílios amas, Pater;
Multâque cœlestem prece
Vis provocári grátiam.

Tui profunda cónsilî
Noctis canat siléntium :
Tuæ jubar cleméntiæ
Splendor diéi prædicat.

Tantis minor miráculis
Mens óbstupet, vox déficit :
Tacére sed totis nequit
Amor medullis æstuans.

Erumpat ergo : te memor
Clamet parentem, qui mala
Præsentis ævi mítigas,
Spondes futúri præmia
Huc vota tendunt córdium;
Infirma sed tardat caro;
Quæ ducit ad te, da sequi,
Dux ipse Jesu, sémitam.
Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdiâ tuâ, Dómine; ℟. Et exultávimus, et delectáti sumus. *Ps.* 89.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Benedictus Dóminus Deus Israel; quia visitávit, et fecit redemptiónem plébis suæ. *Luc.* 1.

Preces, quando dicuntur, et Suffragia, habentur in Ordinario Breviarii. Collecta, quando propria non assignatur, dicitur de Dominica præcedenti; et sic in aliis Feriis.

AD PRIMAM.

Deus, in adjutórium, *etc. ut in Ord. Brev. et sic in aliis Horis.*

Ant. 8. G. Quid est homo.

PSALMUS 8.

Domine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lùnam et stellas, quæ tu fundasti:

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ et honóre coronasti eum, * et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves et boves universas, ínsuper et pécora campi,

Vólucres cœli, * et pisces maris qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

PSALMUS 76.

Voce meâ ad Dóminum clamávi: * voce meâ ad Deum, et intendit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum; * et non sum deceptus.

Rénuit consolári ánima mea: * memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum; et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei: * turbátus sum, et non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos; * et annos æternos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo; * et exerci-

tábar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in æternum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscindet, * à generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi, Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excelsi.

DIVISIO PSALMI 76.

MEMOR fui óperum Dómini, * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua: * quis Deus magnus sicut Deus noster?

Tu es Deus qui facis mirabília, * notam fecisti in pópulis virtútem tuam:

Redemisti in bráchio tuo pópulum tuum, * fílios Jacob, et Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, et timuérunt; * et turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum, * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ tránseunt; * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: * commóta est et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis; * et vestígia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves pópulum tuum * in manu Móysi et Aaron.

Ant. Quid est homo, Dómine, quòd memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

Capitulum, ℟. *breve, et Preces, quando dicuntur, habentur in Ord. Brev. et sic in aliis Feriis.*

AD TERTIAM.

Ant. 7. ç. Tóllite hóstias.

PSALMUS 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubescam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim universi qui sústinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum quæ à século sunt.

Delicta juventútis meæ, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, *

propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.

Universæ viæ Dómini, misericórdia et véritas * requiréntibus testamentum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.

DIVISIO PSALMI 24.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * et semen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum est Dóminus timéntibus eum; * et testamentum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére meî; * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum, * et dimitte universa delicta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam et érue me: * non erubescam, quóniam sperávi in te.

Innocentes et recti adhæsérunt mihi; * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

PSALMUS 95.

Cantate Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus,

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspectu ejus: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam et honórem: * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem

terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli, et exultet terra; commoveátur mare et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Tóllite hóstias, et adoráte Dóminum : étenim correxit orbem terræ. *Ps.* 95.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

Estote imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi; et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis.

℟. *br.* Quid retríbuam Dómino * Pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Quid retríbuam? ℣. Vota mea Dómino reddam * coram omni pópulo ejus, * Pro ómnibus. Glória Patri. Quid retríbuam?

℣. Tibi, Dómine, sacrificábo hóstiam laudis, ℟. Et nomen Dómini invocábo. *Ps.* 115.

Preces, si dicendæ sint, habentur in Ordinario Breviarii.

Collecta conveniens.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Elégit.

PSALMUS 46.

Omnes gentes, pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis;

Quóniam Dóminus excelsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam, * spéciem Jacob quam diléxit.

Ascendit Deus in júbilo, * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus, * psállite sapienter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

PSALMUS 97.

Cantate Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, * in cíthara, et voce psalmi,

In tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ : * jubiláte in conspectu regis Dómini.

Moveátur mare, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

PSALMUS 98.

Dominus regnávit, irascantur pópuli; * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * et excelsus super omnes pópulos.

Confiteantur nómini tuo magno, quóniam terríbile et sanctum est; * et honor regis judícium díligit.

Tu parasti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecisti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabellum pedum ejus; * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus, * et Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus; * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Elégit nobis hæreditátem suam quam dilexit Dóminus. *Ps.* 46.

Capitulum. (*Rom.* 8.)

Spiritus testimónium reddit spirítui nostro quòd sumus fílii Dei. Si autem fílii et hærédes : hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi.

℟. *br.* Confiteantur Dómino * Misericórdiæ ejus. Confiteantur. ℣. Et mirabília ejus * fíliis hóminum : * Misericórdiæ. Glória Patri. Confiteantur. *Ps.* 106.

℣. Quómodo miserétur pater filiórum, misertus est Dóminus timéntibus se : ℟. Quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum. *Ps.* 102.

Preces, si dicendæ sint, habentur in Ordinario Brev.

Collecta conveniens.

AD NONAM.

Ant. 7. ç. In voluntáte tua.

PSALMUS 52.

Dixit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrupti sunt et abominábiles facti sunt in iniquitátibus : * non est qui fáciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis ?

Deum non invocavérunt: * íllic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent : * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel ? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, et lætábitur Israel.

PSALMUS 72.

Quam bonus Israel Deus * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes, * penè effúsi sunt gressus mei;

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respectus morti eórum, * et firmamentum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabuntur.

Ideò ténuit eos supérbia : * operti sunt iniquitáte et impietáte suâ.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum : * transiérunt in affectum cordis.

Cogitavérunt et locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excelso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum, * et lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hîc, * et dies pleni invenientur in eis.

Et dixérunt : Quómodò scit Deus? * et, Si est sciéntia in Excelso ?

Ecce ipsi peccatóres, et abundantes in século, * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa justificávi cor meum, * et lavi inter innocentes manus meas;

Et fui flagellátus totâ die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam, Narrábo sic, * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc : * labor est ante me,

Donec intrem in sanctuárium Dei, * et intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter do-

los posuisti eis : * dejecisti eos, dùm allevarentur.

Quómodò facti sunt in desolatiónem ! * súbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges;

Quia inflammátum est cor meum, et renes mei commutáti sunt; * et ego ad níhilum redactus sum, et nescívi.

Ut jumentum factus sum apud te; * et ego semper tecum.

DIVISIO PSALMI 72.

Tenuisti [Dómine] manum déxteram meam, et in voluntáte tua deduxisti me, * et cum glória sucepisti me.

Quid enim mihi est in cœlo? * et à te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in ætérnum.

Quia ecce qui elongant se à te, períbunt : * perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion:

Ant. In voluntáte tua deduxisti me, Dómine, et cum glória suscepisti me. *Ps.* 72.

Capitulum. (2. *Thess.* 1.)

Dignetur vos vocatióne suâ Deus noster, et ímpleat omnem voluntátem bonitátis, et opus fídei in virtúte; ut clarificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo.

℟. *br.* Doce me fácere voluntátem tuam; * Quia Deus meus es tu. Doce. ℣. Spíritus tuus bonus * dedúcet me; * Quia. Glória Patri. Doce. *Ps.* 142.

℣. In Deo salutáre meum, et glória mea : ℟. Deus auxílii mei; et spes mea in Deo est. *Ps.* 61.

Preces, si dicendæ sint, habentur in Ord. Brev.

Collecta conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Convertére.

PSALMUS 114.

Dilexi; * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * et perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni; * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam : * misericors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dó-

minus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; quia Dóminus benefécit tibi.

Ant. 8. G. Levávi.

PSALMUS 120.

LEVAVI óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum et éxitum tuum, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

Ant. Levávi óculos meos in montes : auxílium meum à Dómino.

Ant. 1. a. Adjutórium nostrum.

PSALMUS 123.

NISI quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel; * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutissent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransívit ánima nostra, * fórsitan pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est; * et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum et terram.

Ant. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum et terram.

Ant. 5. a. Magnificávit Dóminus.

PSALMUS 125.

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * et lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiscum : * facti sumus lætantes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant et flebant, * mittentes sémina sua.

Venientes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos suos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobiscum : facti sumus lætantes.

Ant. 6. F. Adhæreat.

PSALMUS 136.

SUPER flúmina Babylónis, illic sédimus, * et flévimus, cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra ;

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum ;

Et qui abduxérunt nos : * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodò cantábimus cánticum Dómini, * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tuî ;

Si non proposúero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem ;

Qui dicunt : Exinaníte, exinaníte * usque ad fundamentum in ea.

Fília Babylónis mísera : * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuisti nobis.

Beátus qui tenébit, * et allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non proposúero Jerúsalem in princípio lætítiæ meæ.

Capitulum. (1. *Petr.* 1.)

NUNC non videntes, créditis : credentes autem, exultábitis lætítiâ inenarrábili et glorificátâ, reportantes finem fídei vestræ, salútem animárum

HYMNUS.

JACTAMUR heu quot flúctibus!
Spes una de cœlis nitet :
Illuc et ora tóllimus,
Et míttimus suspíria.

Tu vota præcurris, Pater,
Magnamque protendis manum :
Jam fulta tanto róbore
Surgit potens infírmitas.

QUÆ sæva nos premunt mala
Vinces, malis poténtior :
Te nostra duræ séntiet
Mens servitútis víndicem.

QUIN vile corpus, Fílii
Fulgore donábis tui :

At illa venális patet
Multo labóre glória.
Felix labor quem récreas
Tam spléndidà rerum vice!
Fletu quis æternum brevi
Neget pacisci gáudium?
Sit laus Patri, laus Fílio:
Utrumque qui nectis, Deus
Utríque compar, sit tibi
Laus sempiterna, Spíritus.
Amen.

℣. Ad te, Dómine, clamávi totà die: ℟. Lætífica ánimam servi tui. *Ps.* 85.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. *Luc.* 1.

Preces, si dicendæ sint, et Suffragia, habentur infrà in Ordinario Breviarii. Collecta, quando propria non assignatur, dicitur de Dominica præcedenti et sic in aliis Feriis.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Justum.

PSALMUS 6.

Domine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè: * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam;

Quóniam non est in morte, qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur et erubescant valde velóciter.

PSALMUS 7.

Domine Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me;

Nequando rápiat ut leo ánimam meam, * dùm non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud; * si est iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, * et glóriam

meam in púlverem dedúcat.

Exurge, Dómine, in ira tua; * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exurge, Dómine Deus meus, * in præcepto quod mandasti.

Et synagóga populórum circúmdabit te; * et propter hanc in altum regrédere.

Dóminus júdicat pópulos: * júdica me, Dómine, secundùm justítiam meam, et secundùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum: * et díriges justum, scrutans corda et renes, Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

DIVISIO PSALMI 7.

Deus judex justus, fortis et pátiens, * numquid irásci-tur per síngulos dies?

Nisi conversi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum tetendit, et parávit illum;

Et in eo parávit vasa mortis: * sagittas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam: * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum; * et íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus; * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descendet.

Confitébor Dómino secundùm justítiam ejus, * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Justum adjutórium meum à Dómino, qui salvos facit rectos corde. *Ps.* 7.

Hymnus, Capitulum, ℟. *breve, Antiphona ad* Nunc dimittis, *et Preces, quando dicuntur, habentur infrà in Ordinario Brev. et sic in aliis Feriis.*

FERIA TERTIA.

OFFICII FINIS.

Dilectionis Proximi necessitas et fructus commendantur.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Populus Dómini, et oves manûs ejus, * Veníte, adorémus. *Ps.* 94.

HYMNUS.

Jubes: et, in præceps aquis
Repentè confluéntibus,
Prodit sub auras húmidis
Exúta velis Arida.

Hanc tu colendam qui tuis,
Pater, dedisti fíliis,
Quos orbis unus cóntinet,
Fac una jungat cáritas.

Nunc exulámus; sed tuam
Mox congregábis in domum
Te Patre dignos, qui pio
Amóre fratres víxerint.

At, qui malignis ártibus
Linguisque lædunt próximum,
A te repelles: hoc genus
Cœlestis aula non capit.

En ipsa tellus ímprobos
Dudum labórans sústinet,
Ardetque non suæ jugo
Corruptiónis éximi.

Adoptionem nos quoque
Efflagitámus íntegram,
Cui nos sacráto Spíritus
Prædestinávit pígnore.

Æterna laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Diffúsa per quem córdibus
Fraterna regnat cáritas.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Quis requiescet.

PSALMUS 14.

Domine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam;

Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in lingua sua;

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit adversùs próximos suos.

Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, et non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocentem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in æternum.

PSALMUS 18.

Cœli enarrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum: * in sole pósuit tabernáculum suum;

Et ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo, * exultávit ut gigas ad curréndam viam.

A summo cœlo egréssio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

DIVISIO PSALMI 18.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sa-

piéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda : * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum, * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea : * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? * ab occultis meis munda me, et ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint domináti, * tunc immaculátus ero, et emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei, * et méditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redemptor meus.

Ant. Quis requiescet in monte sancto tuo, Dómine? qui operátur justítiam, nec fecit próximo suo malum. *Ps.* 14.

IN II.o NOCTURNO.

Ant. 5. a. Non proponébam.

PSALMUS 71.

Deus, judícium tuum regi da, * et justítiam tuam fílio regis;

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum, * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descendet sicut plúvia in vellus, * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * et à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * et inimíci ejus terram lingent.

DIVISIO PSALMI 71.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei;

Quia liberábit páuperem à potente, * et páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi; * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum; * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de

auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper : * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus; * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sécula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedictus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

Et benedictum nomen majestátis ejus in æternum; * et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

PSALMUS 100.

MISERICORDIAM et judícium * cantábo tibi, Dómine.

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injustam : * facientes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum : * declinantem à me malignum non cognoscébam.

Detrahentem secrétò próximo suo, * hunc persequébar.

Superbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum : * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspectu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ, * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operantes iniquitátem.

Ant. Non proponébam ante óculos meos rem injustam : detrahentem secrétò próximo suo, hunc persequébar. *Ps.* 100.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Adjúvit.

PSALMUS 106.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant qui redempti sunt à Dómino, * quos redémit de manu inimíci;

Et de regiónibus congregávit eos, * à solis ortu et occásu, ab aquilóne et mari.

Erravérunt in solitúdine, in inaquóso : * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esurientes, et sitientes; * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dómi-num, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia satiávit ánimam inánem, * et ánimam esurientém satiávit bonis.

Sedentes in ténebris et umbra mortis, * vinctos in mendicitáte et ferro;

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * et consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum: * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et eduxit eos de ténebris et umbrâ mortis, * et víncula eórum disrúpit.

DIVISIO PSALMI 106.

CONFITEANTUR Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia contrívit portas æreas, * et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum: * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abomináta est ánima eórum: * et appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, et sanávit eos; * et erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et sacríficent sacrifícium laudis, * et annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descendunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis;

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * et mirabília ejus in profundo.

Dixit: et stetit spíritus procellæ; * et exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos: * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, et moti sunt sicut ébrius; * et omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum eduxit eos.

Et státuit procellam ejus in auram, * et siluérunt fluctus ejus.

Et lætáti sunt quia siluérunt: * et deduxit eos in portum voluntátis eórum.

ALTERA DIVISIO PSALMI 106.

CONFITEANTUR Dómino mi-

sericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et exaltent eum in ecclésia plebis, * et in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desertum, * et éxitus aquárum in sitim :

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desertum in stagna aquárum, * et terram sine aqua in éxitus aquárum;

Et collocávit illìc esurientes : * et constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, et plantavérunt víneas ; * et fecérunt fructum nativitátis.

Et benedixit eis, et multiplicáti sunt nimis; * et jumenta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt, * et vexáti sunt à tribulatióne malórum, et dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes; * et erráre fecit eos in ínvio, et non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia, * et pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, et lætabuntur; * et omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, et custódiet hæc? * et intélliget misericórdias Dómini?

Ant. Adjúvit Dóminus páuperem de inópia : vidébunt recti, et lætabuntur.

℣. Exortum est in ténebris lumen rectis : ℟. Miséricors, et miserátor, et justus. *Ps.* 111.

℣. *Sacerd.* Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33.

AD LAUDES.

Ant. 4. *D.* Qui non accépit.

PSALMUS 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et universi qui hábitant in eo;

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * et misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras; et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras; et elevámini, por-

tæ æternáles; * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo, hic accípiet benedictiónem à Dómino.

Ant. 5. a. Audiam.

PSALMUS 84.

Benedixisti, Dómine, terram tuam: * avertisti captivitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ: * operuisti ómnia peccáta eórum.

Mitigasti omnem iram tuam; * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster, * et averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu conversus vivificábis nos; * et plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * et in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen propè timentes eum salutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: * justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * et justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * et ponet in via gressus suos.

Ant. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; quóniam loquétur pacem in plebem suam, et super sanctos suos.

Ant. 3. à. Qui dilígitis.

PSALMUS 96.

Dominus regnávit, exultet terra: * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu ejus: * justítia et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant sculptília, * et qui gloriantur in simulácris suis.

Adoráte eum, * omnes Angeli ejus.

Audivit, et lætáta est Sion : * et exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum.

Ant. 7. *d.* Vivens.

In Feriis,

CANTICUM EZECHIÆ.

(Is. 38.)

Ego dixi : In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi : * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium : * non aspíciam hóminem ultrà, et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, et convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut à texente vita mea; dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam finies me.

Sperábam usque ad mane; quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sicut pullus hirúndinis sic clamábo : * meditábor ut columba.

Attenuáti sunt óculi mei, suspicientes in excelsum : * Dómine, vim pátior, responde pro me.

Quid dicam, aut quid respondébit mihi, * cùm ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritûs mei; * corrípies me, et vivificábis me.

Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima : * tu autem eruisti ánimam meam, ut non períret.

Projecisti post tergum tuum * ómnia peccáta mea.

Quia non infernus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui descendunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac; * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. Vivens, vivens ipse

confitébitur tibi, Dómine: pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

[*In Festis Sanctorum,*

CANTICUM.

(Eccli. 36.)

Miserere nostrî, Deus ómnium, et réspice nos, * et ostende nobis lucem miseratiónum tuárum.

Et immitte timórem tuum super gentes quæ non exquisiérunt te; * ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, et enarrent magnália tua.

Alleva manum tuam super gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conspectu eórum sanctificátus es in nobis, * sic in conspectu nostro magnificáberis in eis;

Ut cognoscant te, * sicut et nos cognóvimus quóniam non est Deus præter te, Dómine.

Innova signa, et immúta mirabília: * glorífica manum et bráchium dextrum.

Excita furórem, et effunde iram: * tolle adversarium, et afflíge inimícum.

Festína tempus, et memento finis, * ut enarrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui salvátur; * et qui péssimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * dicéntium: Non est álius præter nos:

Cóngrega omnes tribus Jacob: * ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, et enarrent magnália tua:

Et hæreditábis eos, * sicut ab inítio.

Miserére plebi tuæ super quam invocátum est nomen tuum, * et Israel quem coæquasti primogénito tuo.

Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * et glóriâ tuâ pópulum tuum.]

Ant. 1. *D.* Laudáte.

PSALMUS 150.

Laudate Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in tympano et choro: * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudáte eum in cymbaiis jubilatiónis; * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum in sanctis ejus: laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Capitulum. (1. *Joan.* 2.)

Mandatum novum scribo

vobis, quod verum est et in Christo, et in vobis; quia ténebræ transiérunt, et verum lumen jam lucet. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in ténebris est usque adhuc. Qui díligit fratrem suum, in lúmine manet, et scándalum in eo non est.

HYMNUS.

Te príncipem summo, Deus,
Jubes amóre díligi;
Tibi secundum prótinus
Jubes amári próximum.

Amore fundátam tuo
Communiónem réspice,
Quâ corpus unum plúrimi,
Unum cor, una mens sumus.

Illam fides et véritas
Amábili stipant choro:
Oblíquus hinc livor procul
Et litis ardor éxulant.

Tu, pacis auctor, mútuos
Astringe nexus: da, Pater,
Gaudére fratrum gáudiis,
Da condolére flétibus.

Æterna laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Qui moris unius sacrâ
Nos pacis in domo locat.
Amen.

℣. Deus in médio civitátis suæ; non commovébitur: ℟. Adjuvábit eam mane dilúculo. *Ps.* 45.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. a. Erexit Dóminus cornu salútis nobis in domo David púeri sui, sicut locútus est per os sanctórum. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Cùm mihi.

PSALMUS 34.

Judica, Dómine, nocentes me: * expugna impugnantes me.

Apprehende arma et scutum, * et exurge in adjutórium mihi.

Effunde frámeam; et conclúde adversùs eos qui persequuntur me; * dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.

Confundantur et revereantur * quærentes ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, * et confundantur cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti, * et ángelus Dómini coarctans eos.

Fiat via illórum ténebræ et lúbricum, * et ángelus Dómini pérsequens eos;

Quóniam gratìs abscondérunt mihi intéritum láquei sui: * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat; et cáptio quam abscondit, apprehendat eum; * et in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * et delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum et páuperem à diripiéntibus eum.

DIVISIO PSALMI 34.

Surgentes testes iníqui; * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi molesti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam, * et orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam : * quasi lugens et contristátus, sic humiliábar.

Et adversùm me lætáti sunt, et convenérunt : * congregáta sunt super me flagella, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compuncti; tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne : * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies? * restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna : * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversantur mihi iníquè, * qui odérunt me gratis, et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebantur; * et in iracúndia terræ loquentes, dolós cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum; * dixérunt : Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidisti, Dómine, ne síleas : * Dómine, ne discédas à me.

ALTERA DIVISIO PSALMI 34.

Exurge, et intende judício meo, * Deus meus et Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secundùm justítiam tuam, Dómine Deus meus; * et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis : Euge, euge, ánimæ nostræ; * nec dicant : Devorávimus eum.

Erubescant et revereantur simul, * qui gratulantur malis meis.

Induantur confusióne et reveréntià, * qui magna loquuntur super me.

Exultent et lætentur qui volunt justítiam meam : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Ant. Cùm mihi molesti essent, quasi próximum et quasi fratrem nostrum, sic complacébam.

AD TERTIAM.

Ant. 1. f. Cum ímpiis non sedébo.

PSALMUS 25.

Judica me, Dómine, quó-

niam ego in innocéntia mea ingressus sum; * et in Dómino sperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, et tenta me: * ure renes meos et cor meum;

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est; * et complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis; * et cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium; * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * et circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * et enarrem universa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * et cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingressus sum: * rédime me, et miserére meî.

Pes meus stetit in directo: * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

PSALMUS 49.

Deus deórum Dóminus locútus est; * et vocávit terram à solis ortu usque ad occásum.

Ex Sion * spécies decóris ejus.

Deus manifestè véniet; * Deus noster, et non silébit.

Ignis in conspectu ejus exardescet, * et in circúitu ejus tempestas válida.

Advocábit cœlum desursùm, et terram, * discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus, * quóniam Deus judex est.

Audi, pópulus meus, et loquar; Israel, et testificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te: * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

Quóniam meæ sunt omnes feræ sylvárum, * jumenta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli; * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, et plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis, * et redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribu-

latiónis : * éruam te, et honorificábis me.

DIVISIO PSALMI 49.

Peccatori autem dixit Deus : * Quare tu enarras justítias meas, et assúmis testamentum meum per os tuum ?

Tu verò odisti disciplínam, * et projecisti sermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo, * et cùm adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens adversùs fratrem tuum loquebáris, et adversùs fílium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecisti, et tácui.

Existimasti, iníque, quòd ero tuî símilis : * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum; * nequando rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me; * et illìc iter, quo ostendam illi salutáre Dei.

Ant. Cum ímpiis non sedébo : inter innocentes circúmdabo altáre tuum, Dómine. *Ps.* 25.

Capitulum. (*Eccli.* 35.)

Sacrificium salutáre est atténdere mandátis, et discédere ab omni iniquitáte : et propitiatiónem litáre sacrifícii super injustítias, et deprecátio pro peccátis, recédere ab injustítia.

℟. *br.* Quis ascendet in montem Dómini, * Stabit in loco sancto ejus? Quis ascendet. ℣. Innocens mánibus * et mundo corde * Stabit in loco sancto ejus. Glória Patri. Quis ascendet. *Ps.* 23.

℣. Congregáte Dómino sanctos ejus, ℟. Qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia. *Ps.* 49.

AD SEXTAM.

Ant. 4. c. Justus.

PSALMUS 36.

Noli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciëntes iniquitátem;

Quóniam tanquam fœnum velóciter arescent, * et quemádmodùm ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, et fac bonitátem; * et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino, * et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, et spera in eo; * et ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, et judícium tuum tanquam merídiem : * súbditus esto Dómino, et ora eum.

Noli æmulári in eo qui

prosperátur in via sua, * in hómine faciente injustítias.

Désine ab ira, et derelinque furórem: * noli æmulári, ut malignéris;

Quóniam qui malignantur, exterminabuntur: * sustinentes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusillùm, et non erit peccátor; * et quæres locum ejus, et non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram, * et delectabuntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum, * et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum; * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres: * intendérunt arcum suum.

Ut dejíciant páuperem et ínopem; * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum, * et arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conterentur: * confirmat autem justos Dóminus.

DIVISIO PSALMI 36.

NOVIT Dóminus dies immaculatórum; * et hæréditas eórum in æternum erit.

Non confundentur in témpore malo, et in diébus famis saturabuntur; * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini, mox ut honorificáti fúerint et exaltáti, * deficientes, quemádmodùm fumus, defícient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet: * justus autem miserétur et tríbuet.

Quia benedicentes ei hæreditábunt terram; * maledicentes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigentur, * et viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui; * et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

Totà die miserétur, et cómmodat; * et semen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, et fac bonum; * et inhábita in séculum séculi.

Quia Dóminus amat judícium, et non derelinquet sanctos suos: * in æternum conservabuntur.

Injusti punientur; * et semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram, * et inhabitábunt in séculum séculi super eam.

ALTERA DIVISIO PSALMI 36.

Os justi meditábitur sa-

piéntiam, * et lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * et non supplantabuntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum, * et quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus, * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Expecta Dóminum, et custódi viam ejus; et exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * et elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, et ecce non erat: * et quæsívi eum, et non est inventus locus ejus.

Custódi innocéntiam, et vide æquitátem; * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injusti autem disperíbunt simul: * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino; * et protector eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, et liberábit eos; * et éruet eos à peccatóribus, et salvábit eos, quia speravérunt in eo.

Ant. Justus totâ die miserétur, et cómmodat; et semen illíus in benedictióne erit.

Capitulum. (1. *Joan.* 3.)

Qui habúerit substántiam hujus mundi, et víderit fratrem suum necessitátem habére, et cláuserit víscera sua ab eo; quómodò cáritas Dei manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbo, neque linguâ, sed ópere et veritáte.

℟. *br.* Jucundus homo * Qui miserétur, et cómmodat. Jucundus. ℣. In æternum * non commovébitur, * Qui miserétur. Glória Patri. Jucundus.

℣. Dispersit, dedit paupéribus: ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

AD NONAM.

Ant. 7. b. Pro eo.

PSALMUS 108.

Deus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris, et os dolósi super me apertum est.

Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, et sermónibus ódii circumdedérunt me, * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi: * ego autem orábam.

Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, * et ódium pro dilectióne mea.

DIVISIO PSALMI 108.

Constitue [Dómine] super eum peccatórem; * et diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * et orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci; * et episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * et uxor ejus vídua.

Nutantes transferantur fílii ejus, et mendícent, * et ejiciantur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus; * et dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor, * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum: * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspectu Dómini; * et peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper: * et dispéreat de terra memória eórum;

Pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam, * et persecútus est hóminem ínopem et mendícum, et compunctum corde mortificáre.

Et dilexit maledictiónem, et véniet ei: * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestimentum: * et intrávit sicut aqua in interióra ejus, et sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum quo operítur, * et sicut zona quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * et qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecùm propter nomen tuum; * quia suávis est misericórdia tua.

ALTERA DIVISIO PSALMI 108.

Libera me, quia egénus et pauper ego sum, * et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus sum; * et excussus sum sicut locustæ.

Genua mea infirmáta sunt à jejúnio, * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis: * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dómine Deus meus: * salvum me fac secundùm misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc: * et tu, Dómine, fecisti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces: * qui insurgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætábitur.

Induantur, qui detrahunt mihi, pudóre; * et operiantur sicut diplóide confusióne suâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * et in médio multórum laudábo eum;

Quia ástitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

Ant. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi : ego autem orábam.

Capitulum. (*Rom.* 12.)

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram ómnibus homínibus : si fieri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habentes.

℟. *br.* Posuérunt adversùm me * Mala pro bonis. Posuérunt. ℣. Et ódium * pro dilectióne mea, * Mala pro bonis. Glória. Posuérunt. *Ps.* 108.

℣. Sermónibus ódii circumdedérunt me ; ℟. Et expugnavérunt me gratìs. *Ps.* 108.

AD VESPERAS.

Ant. 3. b. Multùm íncola fuit.

PSALMUS 119.

Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi ; * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * et à linguâ dolósâ.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam ?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est ! habitávi cum habitántibus Cedar : * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Multùm íncola fuit ánima mea, Dómine : cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus.

Ant. 1. f. Propter fratres meos.

PSALMUS 121.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, * testimónium Israel, ad confitendum nómini Dómini.

Quia illìc sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte, quæ ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Propter fratres meos et próximos meos, loquébar pacem de te, Jerúsalem.

Ant. 4. d. Quàm bonum.

PSALMUS 132.

Ecce quàm bonum, et quàm jucundum, * habitáre fratres in unum!

Sicut unguentum in cápite, * quod descendit in barbam, barbam Aáron;

Quod descendit in oram vestimenti ejus : * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion;

Quóniam illìc mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in séculum.

Ant. Quàm bonum, et quàm jucundum habitáre fratres in unum!

Ant. 8. G. In misericórdia.

PSALMUS 140.

Domine, clamávi ad te, exaudi me : * intende voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspectu tuo : * elevátio mánuum meárum, sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo, * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusandas excusatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem : * et non communicábo cum electis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me : * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum;

Quóniam adhuc et orátio mea * in beneplácitis eórum.

Absorpti sunt juncti petræ júdices eórum : * áudient verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut crassitúdo terræ erupta est super terram, * dissipáta sunt ossa nostra secùs infernum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei : * in te, sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, * et à scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego, donec tránseam.

Ant. In misericórdia justus increpábit me : óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Ant. 6. F. Me expectant justi

PSALMUS 141.

Voce meâ ad Dóminum clamávi : * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum.

Effundo in conspectu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio,

In deficiendo ex me spíritum meum; * et tu cognovisti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam; * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me; * et non est qui réquirat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine: * dixi, Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam; * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me; * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo: * me expectant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Me expectant justi, donec retríbuas mihi, Dómine.

Capitulum. (1. *Cor.* 12.)

Si quid pátitur unum membrum, compatiuntur ómnia membra; sive gloriátur unum membrum, congaudent ómnia membra: vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.

HYMNUS.

O QUAM juvat fratres, Deus,
Unum quibus Christus caput
Vitále robur súfficit,
Uno movéri spíritu!

QUAM dulce laudes dícere
Unà tibi cunctos domo,
Precumque ceu factà manu,
Inferre vim gratam tibi!

HANC quisque díligat domum;
Hanc pace concors récreet:
Væ dira qui spargit malus
Dissensiónum sémina.

SED damna cedunt in lucrum
Te, Christe, diligéntibus:
Augent corónas prælia;
Prosuntque, dum nocent, mali.

Vox blanda sævit trístiùs,
Dum pectus incautum subit,
Lapsuque cæco dúlcibus
Laudum venénis ínficit.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Ut caritáte mútuâ
Prosímus alter álteri,
Regnémus et polo simul.
Amen.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: ℟. Audiant mansuéti, et læténtur. *Ps.* 33.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Respexit Deus humilitátem ancillæ suæ: ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 7. c. Tu remisisti.

PSALMUS 12.

USQUEQUÒ, Dómine, oblivísceris me in finem? * úsquequò avertis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exaudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; * nequando dicat inimícus meus: præválui adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo: * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, et psallam nómini Dómini altíssimi.

PSALMUS 31.

Beati quorum remissæ sunt iniquitátes, * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * conversus sum in ærumna mea, dum confígitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * et injustítiam meam non abscondi.

Dixi: Confitébor adversùm me injustítiam meam Dómino; * et tu remisisti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, et ínstruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris: * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, et exultáte, justi, * et gloriámini, omnes recti corde.

PSALMUS 78.

Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúsalem; * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris, * subsannátio et illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequò, Dómine, irascéris in finem? * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * et in regna quæ nomen tuum non invocavérunt;

Quia comedérunt Jacob, * et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: * citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris noster; * et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos:

Et propítius esto peccátis nostris: * propter nomen tuum;

Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi est Deus eórum?

Et innotescat in natiónibus coram óculis nostris * últio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est.

Intróeat in conspectu tuo * gémitus compeditórum.

Secundùm magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum;

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum impropérium ipsórum, * quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in séculum.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Ant. Tu remisisti impietátem peccáti mei: pro hac orábit ad te omnis sanctus. *Ps.* 31.

FERIA QUARTA.

OFFICII FINIS.

Deus Pater misericors, ipsi fidendum: hinc spes christiana.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Non repellet Dóminus plebem suam: * Veníte, adorémus. *Ps.* 94.

HYMNUS.

Miramur, ô Deus, tuæ
Recens opus poténtiæ,
Quæ scripta scintillántibus
Refulget astrórum globis.

Ut sol diéi, cándida
Sic luna nocti præsidet:
Exércitu totum novo
Discríminant stellæ polum.

At ipse, cœlórum decus,
Sol novit occásus suos:
Sunt certa lunæ témpora,
Statíque lapsus síderum.

Jugi rotáta túrbine

Furantur et reddunt diem :
Tu semper idem, néscius
Mortálium spem fállere.

Turbata quid mens flúctuet?
Curâ paternâ nos regis :
Æterna sit cordi salus,
Æterna nos salus manet.

Suprema laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Suo repóni qui jubet
Curas et angóres sinu.
Amen.

IN I.o NOCTURNO.

Ant. 3. *à*. Sperent in te.

PSALMUS 9.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor et exultábo in te:* psallam nómini tuo, Altíssime.

In convertendo inimícum meum retrorsùm,* infirmabuntur, et períbunt à fácie tua.

Quóniam fecisti judícium meum et causam meam : * sedisti super thronum, qui júdicas justítiam.

Increpasti gentes, et périit ímpius : * nomen eórum delesti in æternum, et in séculum séculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem, * et civitátes eórum destruxisti.

Périit memória eórum cum sónitu ; * et Dóminus in æternum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum : * et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi : * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum ; * quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion : * annuntiáte inter gentes stúdia ejus ;

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est : * non est oblítus clamórem páuperum.

DIVISIO PSALMI 9.

Miserére meî, Dómine : * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exaltas me de portis mortis ; * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in salutári tuo :* infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto quem abscondérunt, * comprehensus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens : * in opéribus mánuum suárum comprehensus est peccátor.

Convertantur peccatóres in infernum,* omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis : * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exurge, Dómine; non confortétur homo: * judicentur gentes in conspectu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos; * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

ALTERA DIVISIO PSALMI 9.

Ut quid, Dómine, recessisti longè? * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum superbit ímpius, incénditur pauper: * comprehenduntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ, * et iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor: * secundùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspectu ejus: * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferuntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, et amaritúdine, et dolo: * sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occultis, * ut interfíciat innocentem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito quasi leo in spelunca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem; * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum: * inclinábit se, et cadet, cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus; * avertit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exurge, Dómine Deus; exaltétur manus tua: * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem et dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris et maligni: * quærétur peccátum illíus, et non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, et in séculum séculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua;

Judicáre pupillo et húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

Ant. Sperent in te, qui novérunt nomen tuum; quó-

niam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Fílii.

PSALMUS 77.

Atténdite, pópule meus, legem meam; * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum: * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus, et cognóvimus ea; * et patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta à fíliis eórum * in generatióne áltera.

Narrantes laudes Dómini, et virtútes ejus, * et mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob, * et legem pósuit in Israel.

Quanta mandávit pátribus nostris, nota fácere ea fíliis suis; * ut cognoscat generátio áltera.

Fílii qui nascentur, et exurgent, * et narrábunt fíliis suis;

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur óperum Dei, * et mandáta ejus exquírant;

Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava et exásperans:

Generátio quæ non direxit cor suum, * et non est créditus cum Deo spíritus ejus.

DIVISIO PSALMI 77.

Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, * conversi sunt in die belli.

Non custodiérunt testamentum Dei, * et in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * et mirabílium ejus quæ ostendit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perduxit eos, * et státuit aquas quasi in utre.

Et deduxit eos in nube diéi, * et totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo, * et adaquávit eos velut in abysso multa.

Et eduxit aquam de petra, * et deduxit tanquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excelsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas animábus suis.

Et malè locúti sunt de Deo: * dixérunt, Numquid póterit Deus paráre mensam in deserto?

Quóniam percussit petram, et fluxérunt aquæ, * et torrentes inundavérunt.

Numquid et panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ideò audívit Dóminus, et

dístulit : * et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel ;

Quia non crediderunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus.

Et mandávit núbibus désuper, * et jánuas cœli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducandum, * et panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo : * cibária misit eis in abundántia.

ALTERA DIVISIO PSALMI 77.

Transtulit [Dóminus] Austrum de cœlo ; * et induxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * et sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, et saturáti sunt nimis ; et desidérium eórum áttulit eis : * non sunt fraudáti à desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum, * et ira Dei ascendit super eos.

Et occídit pingues eórum, * et electos Israel impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * et non crediderunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * et anni eórum cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum ; * et revertebantur, et dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum, * et Deus excelsus redemptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * et linguâ suâ mentíti sunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus.

Ipse autem est misericors, et propítius fiet peccátis eórum, * et non disperdet eos.

Ant. Fílii qui nascentur, narrábunt fíliis suis, ut ponant in Deo spem suam.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Abstulit.

EX PSALMO 77. Et

Abundavit [Dóminus] ut avérteret iram suam, * et non accendit omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt, * spíritus vadens, et non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in deserto ? * in iram concitavérunt eum in inaquóso ?

Et conversi sunt, et tentavérunt Deum ; * et Sanctum Israel exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis :

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * et prodígia sua in campo Táneos.

Et convertit in sánguinem flúmina eórum, * et imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíam, et comédit eos; * et ranam, et dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * et labóres eórum locustæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * et moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini jumenta eórum, * et possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ; * indignatiónem, et iram, et tribulatiónem, immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ: non pepercit à morte animábus eórum, * et jumenta eórum in morte conclúsit.

Et percussit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

DIVISIO PSALMI 77. Et

ABSTULIT [Dóminus] sicut oves pópulum suum, * et perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, et non timuérunt: * et inimícos eórum opéruit mare.

Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * et sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israel.

Et tentavérunt, et exacerbavérunt Deum excelsum; * et testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, et non servavérunt pactum: * quemádmodùm patres eórum, conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis, * et in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, et sprevit: * et ad níhilum redégit valde Israel.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * et pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum, * et hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis, * et vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt, * et víduæ eórum non plorabantur.

ALTERA DIVISIO PSALMI 77. Et

EXCITATUS est tanquam dórmiens Dóminus, * tanquam potens crapulátus à vino.

Et percussit inimícos suos in posterióra: * oppróbrium sempiternum dedit illis.

Et répulit tabernáculum

Joseph, et tribum Ephraïm non elégit;

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum; * in terra quam fundávit in sécula:

Et elégit David servum suum, * et sústulit eum de grégibus óvium.

De post fœtantes accépit eum, * páscere Jacob servum suum, et Israel hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntia cordis sui, * et in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos.

Ant. Abstulit Dóminus sicut oves pópulum suum, et deduxit eos in spe.

℣. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, qui custódit Israel. ℟. Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua. *Ps.* 120.

℣. *Sacerd.* Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo; ℟. Et laudabuntur omnes recti corde. *Ps.* 63.

AD LAUDES.

Ant. 4. E. Omnes.

PSALMUS 5.

Verba mea áuribus pércipe, Dómine: * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine; * mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitátem: * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam;

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepulcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant: * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis: secundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: * in æternum exultábunt, et habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronasti nos.

Ant. Omnes qui sperant in te, Dómine, in æternum exultábunt, et habitábis in eis.

Ant. 5. C. In tégmine.

PSALMUS 35.

Dixit injustus ut delinquat in semetipso: * non est timor Dei ante óculos ejus;

Quóniam dolósè egit in conspectu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas et dolus: * nóluit intellígere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo: ástitit omni viæ non bonæ; * malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo misericórdia tua, * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei: * judícia tua abyssus multa.

Hómines et jumenta salvábis, Dómine; * quemádmodùm multiplicasti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ; * et torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ, * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes superbiæ, * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operantur iniquitátem: * expulsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. In tégmine alárum tuárum sperábunt, Dómine; et torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Ant. 3. a. Exaudi nos.

PSALMUS 64.

Te decet hymnus, Deus, in Sion; * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegisti, et assumpsisti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ: * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timébunt qui hábitant términos, à signis tuis: * éxitus

matutíni et véspere delectábis.

Visitasti terram, et inebriasti eam : * multiplicasti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis : * parasti cibum illórum, quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ ; * et campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguescent speciósa deserti, * et exultatióne colles accingentur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exaudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium fínium terræ.

Ant. 1. a. Ecce.

In Feriis,

CANTICUM.

(Is. 12.)

Confitebor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : * conversus est furor tuus, et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus:* fiduciáliter agam, et non timébo.

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris ; * et dicétis in die illa : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus ; * meméntóte quóniam excelsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit : * annuntiáte hoc in universa terra.

Exulta et lauda, habitátio Sion; * quia magnus in médio tuî Sanctus Israel.

Ant. Ecce Deus salvátor meus : fiduciáliter agam, et non timébo.

[*In Festis Sanctorum,*

CANTICUM.

(Tob. 13.)

Magnus es, Dómine, in æternum, * et in ómnia sécula regnum tuum.

Quóniam tu flagellas, et salvas : dedúcis ad ínferos, et redúcis ; * et non est qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Israel, * et in conspectu géntium laudáte eum ;

Quóniam ídeò dispersit vos inter gentes quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília ejus,

Et faciátis scire eos * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras ; * et ipse salvábit nos propter misericórdiam suam.

Aspícite ergo quæ fecit nobiscum, et cum timóre et tremóre confitémini illi ; *

Regemque seculórum exaltáte in opéribus vestris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi;* quóniam ostendit majestátem suam in gentem peccatrícem.

Convertíminiítaque, peccatóres, et fácite justítiam coram Deo,*credentes quòd fáciat vobiscum misericórdiam suam.

Ego autem, et ánima mea,* in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum, omnes electi ejus : * ágite dies lætítiæ, et confitémini illi.]

Ant. 6. *C.* Beneplácitum est.

PSALMUS 146.

Laudate Dóminum, quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucunda decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus : * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde, * et álligat contritiónes eórum.

Qui número multitúdinem stellárum, * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus; * et sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cœlum núbibus, * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat jumentis escam ipsórum, * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timentes eum, * et in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ant. Beneplácitum est Dómino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Capitulum. (Is. 26.)

In sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te : nomen tuum et memoriále tuum in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte; sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

HYMNUS.

Promittis, et servas datam
Immóbilis fidem, Deus :
Hanc mane primo sédulâ
Repóscimus fidem prece.

Promittit atque décipit
Incertus et fallax homo :
Sic quassa, si incumbas super,
Arundo transfíget manum.

Beatus ergo, qui tuo
Se totus abdit in sinu :

Hâc arce tutum túrbinis
Vis nulla de statu quatit.
Ne cor vacillet, óbligas
Temet sacramento, Deus:
Spes nixa tanto pígnore,
Ætérna jam prensat bona.
Jam mente præsúmens polum,
Secúra sublími throno
Assistit, et cœléstium
Prælíbat undas flúminum.
Fons ô perennis grátiæ,
Colenda semper Trínitas,
Te spem salútis únicam
Da mente totâ quærere.
Amen.

℣. Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam; ℟. Quia in te sperávi. *Ps.* 142.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. g. Jurávit Dóminus datúrum se nobis, ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti, serviámus illi. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Ego.

PSALMUS 30.

In te, Dómine, sperávi; non confundar in ætérnum: * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam: * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in domum refúgii, * ut salvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu: * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abscondérunt mihi; * quóniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spíritum meum: * redemisti me, Dómine Deus veritátis.

Odísti observantes vanitátes supervácuè: * ego autem in Dómino sperávi.

Exultábo, et lætábor in misericórdia tua; * quóniam respexisti humilitátem meam, salvasti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusisti me in mánibus inimíci: * statuisti in loco spatióso pedes meos.

DIVISIO PSALMI 30.

Miserere meî, Dómine, quóniam tríbulor: * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea, * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, et vicínis meis valde; * et timor notis meis.

Qui vidébant me, * foràs fugérunt à me.

Oblivióni datus sum tanquam mórtuus à corde: * factus sum tanquam vas pérditum;

Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu: * in eo dum convenírent simul

adversùm me, accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine; * dixi : Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et à persequéntibus me.

Illustra fáciem tuam super servum tuum : * salvum me fac in misericórdia tua.

Dómine, non confundar, quóniam invocávi te : * erubescant ímpii, et deducantur in infernum.

Muta fiant lábia dolósa, * quæ loquuntur adversùs justum iniquitátem, in supérbia, et in abusióne.

ALTERA DIVISIO PSALMI 30.

Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondisti timéntibus te!

Perfecisti eis qui sperant in te, * in conspectu filiórum hóminum.

Abscondes eos in abscóndito faciéi tuæ * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * à contradictióne linguárum.

Benedictus Dóminus, * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ : * Projectus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudisti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus; quóniam veritátem requíret Dóminus, * et retríbuet abundanter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Ant. Ego in Dómino sperávi : exultábo, et lætábor in misericórdia tua.

AD TERTIAM.

Ant. 4. A. Spera in Deo.

PSALMUS 41.

Quemadmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei!

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam, * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei,

In voce exultatiónis et confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

DIVISIO PSALMI 41.

Ad meipsum ánima mea conturbáta est : * proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis, et Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ ; * dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblítus es meî, et quare contristátus incédo, * dùm afflígit me inimícus ?

Dùm confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei,

Dùm dicunt mihi per síngulos dies : * Ubi est Deus tuus ?

Quare tristis es, ánima mea ? * et quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

PSALMUS 42.

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : * ab hómine iníquo et dolóso érue me ;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulisti ? et quare tristis incédo, dùm afflígit me inimícus ?

Emitte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus ; * quare tristis es, ánima mea? et quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Ant. Spera in Deo, ánima mea : salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Capitulum. (*Rom.* 15.)

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt ; ut per patiéntiam et consolatiónem Scripturárum, spem habeámus.

℟. *br.* Memor esto verbi tui, Dómine, * In quo mihi spem dedisti. Memor esto. ℣. Hæc me consoláta est, * quia elóquium tuum vivificávit me, * In. Glória. Memor.

℣. Respondébo exprobrántibus mihi verbum ; ℟. Quia sperávi in sermónibus tuis. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Qui sperat.

PSALMUS 20.

Domine, in virtúte tua lætábitur rex, * et super salutáre tuum exultábit vehementer.

Desidérium cordis ejus tribuisti ei, * et voluntáte labiórum ejus non fraudasti eum;

Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis, * posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te; * et tribuisti ei longitúdinem diérum in séculum, et in séculum séculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino; * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * et semen eórum à fíliis hóminum;

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

PSALMUS 102.

Bénedic, ánima mea, Dómino; * et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino; * et noli oblivisci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Moysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

DIVISIO PSALMI 102.

Miserator et misericors Dóminus : * longánimis, et multùm misericors.

Non in perpétuum irascétur, * neque in æternum comminábitur.

Non secundùm peccáta

nostra fecit nobis, * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis;

Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit misericórdiam suam super timentes se.

Quantùm distat ortus ab occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, * misertus est Dóminus timéntibus se;

Quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum: * recordátus est quóniam pulvis sumus.

Homo, sicut fœnum dies ejus: * tanquam flos agri sic efflorébit;

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsistet, * et non cognoscet ámpliùs locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab æterno, * et usque in æternum super timentes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testamentum ejus,

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciendum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam; * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, potentes virtúte, facientes verbum illíus, * ad audiendam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus; * ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Qui sperat in Dómino, in misericórdia Altíssimi non commovébitur. *Ps.* 20.

Capitulum. (1. *Joan.* 3.)

Nunc fílii Dei sumus, et nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam, cùm apparúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum sícuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut et ille sanctus est.

℟. *br.* Beátus vir, * Cujus est nomen Dómini spes ejus. Beátus vir. ℣. Et non respexit in vanitátes * et insánias falsas: * Cujus est. Glória Patri. Beátus vir. *Ps.* 39.

℣. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli: ℟. Effúndite coram illo corda vestra. *Ps.* 61.

AD NONAM.

Ant. 8. d. Factus est.

PSALMUS 81.

Deus stetit in synagóga deórum: * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem, * et fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno et pupil-

lo : * húmilem et páuperem justificáte.

Erípite páuperem, * et egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ambulant : * movebuntur ómnia fundamenta terræ.

Ego dixi : Dii estis, * et fílii Excelsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini, * et sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 93.

Deus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram : * redde retributiónem superbis.

Usquequò peccatóres, Dómine, * úsquequò peccatóres gloriabuntur?

Effabuntur et loquentur iniquitátem, * loquentur omnes qui operantur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * et hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam et ádvenam interfecérunt, * et pupillos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipientes in pópulo; * et stulti, aliquando *sápite.*

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit gentes, non árguet? * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

DIVISIO PSALMI 93.

Beatus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * et de lege tua docúeris eum;

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repellet Dóminus plebem suam, * et hæreditátem suam non derelinquet;

Quoadusque justítia convertátur in judícium, * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversùs malignantes? * aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me, * paulò minùs habitasset in inferno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus; * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcepto?

Captábunt in ánimam justi, * et sánguinem innocentem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium, * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; et in malítia eórum disperdet eos : * disperdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Factus est mihi Dóminus in refúgium, et Deus meus in adjutórium spei meæ. *Ps.* 93.

Capitulum. (*Hebr.* 10.)

Nolite amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem : patiéntia enim vobis necessária est; ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem.

℟.*br.* Bonum est confídere in Dómino, * Quàm confídere in hómine. Bonum est. ℣. Bonum est * speráre in Dómino, * Quàm confídere in hómine. Glória Patri. Bonum est. *Ps.* 117.

℣. Mihi adhærére Deo bonum est, ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72.

AD VESPERAS.

Ant. 7. d. Oculi nostri.

PSALMUS 122.

Ad te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce, sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum :

Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ suæ ;* ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî ; * quia multùm repléti sumus despectióne ;

Quia multùm repléta est ánima nostra :* oppróbrium abundántibus, et despéctio superbis.

Ant. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

Ant. 5. a. Qui confíd . .

PSALMUS 124.

Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion : * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus, et Dóminus in circúitu populi sui, * ex hoc nunc, et usque in séculum ;

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum ; * ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * et rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax super Israel.

Ant. Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion : non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. 8. c. Beátus vir.

PSALMUS 126.

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum labora-

vérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite, postquàm sedéritis, qui manducátis panem dolóris, cùm déderit dilectis suis somnum.

Ecce hæréditas Dómini, fílii : * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in porta.

Ant. Beátus vir qui implévit desidérium suum: non confundétur, cùm loquétur inimícis suis.

Ant. 1. a. Sustínuit.

PSALMUS 129.

De profundis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israel in Dómino;

Quia apud Dóminum misericórdia, * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Sustínuit ánima mea in verbo ejus : sperávit ánima mea in Dómino.

Ant. 4. a. Speret.

PSALMUS 130.

Domine, non est exaltátum cor meum,* neque eláti sunt óculi mei;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam;

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israel in Dómino, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

Ant. Speret Israel in Dómino.

Capitulum. (*Rom.* 15.)

Deus spei répleat vos omni gáudio et pace in credendo; ut abundétis in spe, et virtúte Spíritûs sancti.

HYMNUS.

Horres superbos, nec tuam
Das álteri laudem, Deus;
Humána nil isthinc sibi
Decerpat arrogántia.

Ingrata quippe mens tuæ
Fluenta sistit grátiæ;

Tristíque marcescit statim,
Ceu gramen exustum siti.
Ut servus in manus heri
Intenta figit lúmina;
Sic ora sacris móntibus
Non dimovémus ánxii.
Desideratam si dare
Opem moráris; spes tamen,
Tenácis instar ánchoræ,
Immóta fundat péctora.
Sit summa Patri glória:
Sit summa Nato, qui dedit
Nobis futúræ Spíritum
Hæreditátis óbsidem. Amen.

℣. A custódia matutína usque ad noctem speret Israel in Dómino. ℟. Quia apud Dóminum misericordia. *Ps.* 129.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. E. Conserva me.

PSALMUS 10.

In Dómino confído; * quómodò dícitis ánimæ meæ: Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretra, * ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecisti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo: * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias dilexit: * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 13.

Dixit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulcrum patens est guttur eórum; linguis suis dolósè agébant: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est: * velóces pedes eórum ad effundendum sánguinem.

Contrítio et infelícitas in viis eórum, et viam pacis non cognovérunt: * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognoscent omnes

qui operantur iniquitátem,* qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt: illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor; * quóniam Dóminus in generatióne justa est.

Consílium ínopis confudistis, * quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, et lætábitur Israel.

PSALMUS 15.

CONSERVA me, Dómine; * quóniam sperávi in te.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * pósteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ et cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intellectum: * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspectu meo semper; * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiescet in spe;

Quóniam non derelinques ánimam meam in inferno, * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplébis me lætítià cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Conserva me, Dómine; quóniam sperávi in te. *Ps.* 15.

FERIA QUINTA.

OFFICII FINIS.

Deus verax : ipsi credendum ; hinc fides christiana.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Hodie si vocem Dómini audiéritis, * Nolíte obduráre corda vestra. *Ps.* 94.

HYMNUS.

Iisdem creáti flúctibus
Pisces natant, volant aves :
Utrumque mortáli genus
Parátur esca córpori.

Menti sed ætérnæ cibus
Debétur alter : hæc Dei
Sermóne vivit : hanc fovet
Cœlestis et nutrit fides.

Quæsita Christi sánguine
Manávit in terras fides,
Et impiárum péctora
Victrix subégit géntium.

Fax illa puris córdibus
Monstráre cœlos éfficax,
Æterna dignis íncitat
Factis meréri præmia.

Sancti leónum, per fidem,
Mulsére rugítus : truces
Fregére regnantûm minas ;
Risére stridentes rogos.

Hac luce signátum, Deus,
Calcáre dona trámitem,
Et caritátis úberes
Fructus eundo cárpere.

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. b. Rectum est verbum Dómini.

PSALMUS 19.

Exaudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto,* et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui ; * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secundùm cor tuum, * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo, * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis ; * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et ceci-

dérunt; * nos autem surréximus, et erecti sumus.

Dómine, salvum fac regem; * et exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

PSALMUS 32.

Exultate, justi, in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdiâ Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt; * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris, * ponens in thesauris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem;

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in æternum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem

DIVISIO PSALMI 32.

Beata gens, cujus est Dóminus Deus ejus : * pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

De cœlo respexit Dóminus: * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respexit super omnes qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem; * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * et in eis qui sperant super misericórdia e us;

Ut éruat à morte ánimas eórum, * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum; * quóniam adjútor et protector noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum, * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

Ant. Rectum est verbum Dómini, et ómnia ópera ejus in fide. *Ps.* 32.

IN II ° NOCTURNO.

Ant. 4. A. Dóminus.

PSALMUS 67.

Exurgat Deus, et dissipen-

tur inimíci ejus; * et fúgiant, qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant : * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, * et delectentur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei qui ascendit super occásum.

Dóminus nomen illi : * exultáte in conspectu ejus.

Turbabuntur à fácie ejus, * patris orphanórum, et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo: * Deus qui inhabitáre facit uníus moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepulcris.

Deus, cùm egrederéris in conspectu pópuli tui, * cùm pertransíres in deserto,

Terra mota est : * étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sínaï, à fácie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ : * et infirmáta est, tu verò perfecisti eam.

Animália tua habitábunt in ea : * parasti in dulcédine tua páuperi, Deus.

DIVISIO PSALMI 67.

DOMINUS dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multâ.

Rex virtùtum dilecti di-lecti : * et speciéi domûs divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ columbæ deargentátæ; * et posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, * nive dealbabuntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis: * mons coagulátus, mons pinguis.

Ut quid suspicámini montes coagulátos? * mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium : * Dóminus in eis in Sina, in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitátem : * accepisti dona in homínibus.

Etenim non credentes, * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedictus Dóminus die quotídie : * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciendi; * et Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capilli perambulántium in delictis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convertam, * convertam in profundum maris;

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingressus tuos, Deus, * ingressus Dei mei, Regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjuncti psállentibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

ALTERA DIVISIO PSALMI 67.

In ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israel.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excessu.

Príncipes Juda, duces eórum: * príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ: * confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis; congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti sunt argento.

Díssipa gentes quæ bella volunt: * vénient legáti ex Ægypto; Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo, * psállite Dómino.

Psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli * ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis: * date glóriam Deo.

Super Israel magnificéntia ejus, * et virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis; Deus Israël ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: * benedictus Deus.

Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus: Deus Israel ipse dabit fortitúdinem plebi suæ.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 8. G. Dómine.

PSALMUS 88.

Misericordias Dómini * in æternum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo;

Quóniam dixisti: In æternum misericórdia ædificábitur in cœlis, * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testamentum electis meis; * jurávi David servo meo.

Usque in æternum præparábo semen tuum; * et ædificábo in generatiónem et generatiónem sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio sanctórum; * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es,

Dómine; et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliasti sicut vulnerátum, superbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersisti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra: * orbem terræ et plenitúdinem ejus tu fundasti;

Aquilónem et mare tu creasti: * Thabor et Hermon in nómine tuo exultábunt.

Tuum bráchium cum poténtia: * firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua.

Justítia et judícium præparátio sedis tuæ; * misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam.

DIVISIO PSALMI 88.

Beatus pópulus qui scit jubilatiónem: * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt,

Et in nómine tuo exultábunt totâ die, * et in justítia tua exaltabuntur;

Quóniam glória virtútis eórum tu es, * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * et Sancti Israel regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixisti: * Pósui adjutórium in potente; et exaltávi electum de plebe mea.

Invéni David servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * et odientes eum in fugam convertam.

Et véritas mea et misericórdia mea cum ipso; * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, et susceptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excelsum præ régibus terræ.

In æternum servábo illi misericórdiam meam, * et testamentum meum fidéle ipsi;

Et ponam in séculum séculi semen ejus, * et thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam, * et in judíciis meis non ambuláverint;

Si justítias meas profanáverint, * et mandáta mea non custodíerint,

Visitábo in virga iniquitátes eórum, * et in verbéribus peccáta eórum

Misericórdiam autem meam non dispergam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea;

Neque profanábo testamentum meum; * et quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

ALTERA DIVISIO PSALMI 88.

SEMEL jurávi in sancto meo, * si David méntiar;

Semen ejus in æternum manébit; * et thronus ejus sicut sol in conspectu meo,

Et sicut luna perfecta in æternum, * et testis in cœlo fidélis.

Tu verò repulisti et despexisti, * distulisti Christum tuum.

Evertisti testamentum servi tui: * profanasti in terra sanctuárium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus: * posuisti firmamentum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeuntes viam: * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltasti déxteram depriméntium eum: * lætificasti omnes inimícos ejus.

Avertisti adjutórium gládii ejus, * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatióne, * et sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies témporis ejus: * perfudisti eum confusióne.

Usquequò, Dómine, avertis in finem? * exardescet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vanè constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo qui vivet, et non vidébit mortem? * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurasti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum, * quod contínui in sinu meo, multárum géntium;

Quòd exprobravéruntinimíci tui, Dómine, * quòd exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedictus Dóminus in æternum: * fiat, fiat.

Ant. Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, et in nómine tuo exultábunt totâ die, et in justítia tua exaltabuntur.

℣. Ténebræ non obscurabuntur à te, Dómine; ℟. Et nox sicut dies illuminábitur. *Ps.* 138.

℣. *Sacerd.* Cognoscant quia nomen tibi Dóminus: ℟. Tu solus Altíssimus in omni terra. *Ps.* 82.

AD LAUDES.

Ant. 4. f. Audi.

PSAMUS 80.

EXULTATE Deo adjutóri nos-

tro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum, * psaltérium jucundum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insigni die solemnitátis vestræ;

Quia præceptum in Israel est, * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terra Ægypti : * linguam quam non nóverat, audívit.

Divertit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocasti me, et liberávi te : * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te : * Israel, si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam; * et Israel non intendit mihi.

Et dimísi eos secundùm desidéria cordis eórum : * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audisset me; * Israel si in viis meis ambulasset,

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliassem, * et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimíci Dómini mentiti sunt ei; * et erit tempus eórum in sécula.

Et cibávit eos ex ádipe frumenti; * et de petra, melle saturávit eos.

Ant. Audi, pópulus meus, et contestábor te : ego sum Dóminus Deus tuus.

Ant. 1. *g.* Parátum.

PSALMUS 107.

PARATUM cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo et psallam in glória mea.

Exurge, glória mea, exurge, psaltérium et cíthara : * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * et psallam tibi in natiónibus;

Quia magna est super cœlos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos; Deus; * et super omnem terram glória tua;

Ut liberentur dilecti tui : * salvum fac déxterâ tuâ, et exaudi me.

Ant. Parátum cor meum, Deus; exurgam dilúculo : confitébor tibi, Dómine.

Ant. 6. F. Dómine.

DIVISIO PSALMI 107.

DEUS locútus est in sancto suo : * exultábo, et dívidam Síchimam, et convallem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manasses; * et Ephraim suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos? * et non exíbis, Deus, in virtútibus nostris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Ant. Dómine, vana salus hóminis : in Deo faciémus virtútem.

Ant. 8. c. Deus.

In Feriis,

CANTICUM ANNÆ.

(1. Reg. 2.)

Exultavit cor meum in Dómino, * et exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos ; * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus; neque enim est álius extra te : * et non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, gloriantes : * recédant vétera de ore vestro;

Quia Deus scientiárum Dóminus est, * et ipsi præparantur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est; * et infirmi accincti sunt róbore.

Repléti priùs pro pánibus se locavérunt; * et famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos; * et quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, et vivíficat : * dedúcit ad ínferos, et redúcit.

Dóminus páuperem facit, et ditat : * humíliat et súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * et de stércore élevat páuperem;

Ut sédeat cum princípibus, * et sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * et pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, et ímpii in ténebris conticescent; * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus; * et super ipsos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, et dabit impérium regi suo, * et sublimábit cornu christi sui.

Ant. Deus scientiárum Dóminus est, et ipsi præparantur cogitatiónes.

[*In Festis Sanctorum,*

CANTICUM.

(1. Paral. 29.)

Benedictus es, Dómine,

Deus Israel patris nostri, * ab æterno in æternum.

Tua est, Dómine, magnificéntia, et poténtia, et glória, atque victória; * et tibi laus.

Cuncta enim quæ in cœlo sunt et in terra, * tua sunt.

Tuum, Dómine, regnum; * et tu es super omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, et tua est glória: * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus et poténtia: * in manu tua magnitúdo, et impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noster, confitémur tibi, * et laudámus nomen tuum ínclytum.]

Ant. 5. a. Annúntiat Dóminus.

PSALMUS 147.

Lauda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedixit fíliis tuis in te;

Qui pósuit fines tuos pacem, * et ádipe frumenti sátiat te;

Qui emittit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus;

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit;

Mittit crystallum suam sicut buccellas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, et liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni, * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Annúntiat Dóminus verbum suum Jacob, et judícia sua Israel: non fecit táliter omni natióni.

Capitulum. (1. *Petr.* 2.)

Vos genus electum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis; ut virtútes annuntiétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum.

HYMNUS.

Dignas quis, ô Deus, tibi
Laudes rependat, qui tuo
Pellis tenebras lúmine,
Salútis et monstras viam?

Tu, quam jubes, donas fidem;
Hæc cúltui præest tuo;
Hæc mentis erróres fugat;
Hæc corda sursum dírigit.

Te destitúta spíritu
Nil pompa sacrórum juvat:
Secréta puri blándiùs
Tibi litábunt péctoris.

Vox inde cordi cónsona
Vectígal exsolvet suum,
Et ad salútem líbero
Prométur ore véritas.

O, qui superbos réspuis,
Et símplices amas, Deus,
Ut crescat in nobis fides,

Cordis tumórem cómprime.

Sit summa Patri glória : Sit summa Nato, qui fidem Cruóre fundávit suo : Par sit tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, ℟. Et intellectum dat párvulis. *Ps.* 118.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis, ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. à. Illúminet.

PSALMUS 66.

Deus misereátur nostrî, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostrî ;

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, * confiteantur tibi pópuli omnes.

Lætentur et exultent gentes ; quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus ; * et métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 89.

Domine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priusquàm montes fíerent, aut formarétur terra et orbis ; * à século et usque in séculum tu es Deus.

Ne avertas hóminem in humilitátem ; * et dixisti : Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tanquam dies hesterna quæ prætériit, et custódia in nocte :

Quæ pro níhilo habentur, * eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat et tránseat ; * véspere décidat, indúret et arescat ;

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuisti iniquitátes nostras in conspectu tuo, * séculum nostrum in illuminatióne vultûs tui ;

Quóniam omnes dies nostri defecérunt, et in ira tua defécimus : * anni nostri sicut aránea meditabuntur.

Dies annórum nostrórum in ipsis septuaginta anni : * si autem in potentátibus, octoginta anni,

Et ámplius eórum * labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, * et corripiémur.

DIVISIO PSALMI 89.

Quis novit potestátem iræ tuæ, * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac, * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequò? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdiâ tuâ; * et exultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua; * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: et ópera mánuum nostrárum dírige super nos; * et opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Illúminet Dóminus vultum suum super nos; ut cognoscámus in terra viam tuam, Dómine. *Ps.* 66.

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Credo.

PSALMUS 26.

Dominus illuminátio mea, et salus mea; * quem timébo?

Dóminus protector vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dùm apprópiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

Si consistant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ;

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo: * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

DIVISIO PSALMI 26

Exaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te: * miserére meî, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me: * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelinquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus;

Quóniam pater meus et mater mea dereliquérunt

me : * Dóminus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

PSALMUS 83.

Quam dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum ! * concupiscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus et Deus meus !

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! * in sécula seculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noster, áspice, Deus, * et réspice in fáciem christi tui;

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum;

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus : * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. *Ps.* 26.

Capitulum. (*Hebr.* 11.)

Est fides sperandárum substántia rerum, argumentum non apparéntium.

℟. *br.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * Quam abscondisti timéntibus te ! Quàm magna. ℣. Perfecisti eis * qui sperant in te, * Quam abscondisti. Glória Patri. Quàm magna. *Ps.* 30.

℣. Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; ℟. Sed non ut lex tua. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 8. *G.* Veníte, fílii.

PSALMUS 22.

Dominus regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala; * quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguasti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

PSALMUS 33.

Benedicam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et lætentur.

Magnificáte Dóminum mecum; * et exaltémus nomen ejus in idipsum.

Exquisívi Dóminum; et exaudívit me, * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini; * et fácies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamávit; et Dóminus exaudívit eum, * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immittet ángelus Dómini in circúitu timéntium eum; * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus; * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquirentes autem Dóminum non minuentur omni bono.

DIVISIO PSALMI 33.

Venite, fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo; * et lábia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos, * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super facientes mala, * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi; et Dóminus exaudívit eos; * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum; * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima; * et qui odérunt justum, delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum; * et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos. *Ps.* 33.

Capitulum. (*Jac.* 2.)

Sicut corpus sine spíritu mórtuum est, ita et fides sine opéribus mórtua est.

℟. *br.* Gressus meos dírige, Dómine, * Secundùm elóquium tuum. Gressus. ℣. Ut custódiam * mandáta tua, Glória Patri. Gressus meos.

℣. Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me; ℟. Quia mandátis tuis crédidi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Exultent.

PSALMUS 69.

Deus, in adjutórium meum intende: * Dómine, ad adjuvandum me festína.

Confundantur, et revereantur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te; * et dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus et pauper sum: * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus et liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

PSALMUS 79

Qui regis Israel, intende; * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraïm, Bénjamin, et Manasse.

Excita poténtiam tuam; * et veni, ut salvos fácias nos:

Deus, converte nos, et ostende fáciem tuam; * et salvi érimus.

Dómine Deus virtutum, * quousque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum, * et potum dabis nobis in lácrymis in mensúra?

Posuisti nos in contradictiónem vicínis nostris; * et

inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, converte nos, et ostende fáciem tuam; * et salvi erimus.

DIVISIO PSALMI 79.

Domine] víneam de Ægypto transtulisti: * ejecisti gentes, et plantasti eam.

Dux itíneris fuisti in conspectu ejus; * plantasti radíces ejus, et implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * et arbusta ejus cedros Dei.

Extendit pálmites suos usque ad mare, * et usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxisti macériam ejus; * et vindémiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

Extermінávit eam aper de silva, * et singuláris ferus depastus est eam.

Deus virtútum, convértere: * réspice de cœlo, et vide, vísita víneam istam.

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua, * et super fílium hóminis quem confirmasti tibi.

Incensa igni, et suffossa: * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * et super fílium hóminis quem confirmasti tibi.

Et non discédimus à te: * vivificábis nos, et nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, converte nos, et ostende fáciem tuam; * et salvi érimus.

Ant. Exultent et lætentur in te qui díligunt salutáre tuum, Dómine. *Ps.* 69.

Capitulum. (*Rom.* 4.)

Credenti in eum qui justíficat ímpium, reputátur fides ejus ad justítiam, secundùm propósitum grátiæ Dei.

℟. *br.* Salvávit eos Dóminus, * Et credidérunt verbis ejus. Salvávit. ℣. Et laudavérunt * laudem ejus, * Et credidérunt. Glória Patri. Salvávit. *Ps.* 105.

℣. In conspectu géntium revelávit justítiam suam: ℟. Recordátus est misericórdiæ suæ. *Ps.* 97.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Crédidi.

PSALMUS 115.

Credidi, propter quod locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspectu Dómini mors Sanctorum ejus.

O Dómine, quia ego ser-

vus tuus :* ego servus tuus, et fílius ancillæ tuæ.

Dirupisti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspectu omnis pópuli ejus,* in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúsalem.

Ant. Crédidi, propter quod locútus sum; ego autem humiliátus sum nimis.

Ant. 1. g. Confitébor.

PSALMUS 137.

Confitebor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum,

Et confitébor nómini tuo super misericórdia tua et veritáte tua; * quóniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excelsus Dóminus, et humília réspicit, * et alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine, misericórdia tua in séculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdia tua et veritáte tua.

Ant. 7. d. Generátio.

PSALMUS 144.

Exaltabo te, Deus meu rex : * et benedícam nómini tuo in séculum, et in séculum séculi.

Per síngulos dies benedícam tibi : * et laudábo nomen tuum in séculum, et in séculum séculi.

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis; * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua, * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, * et justítiâ tuâ exultábunt.

Ant. Generátio et generátio laudábit ópera tua, et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Ant. 4. D. Fidélis.

DIVISIO PSALMI 144.

Miserator et miséricors

Dóminus: * pátiens, et multùm misericors.

Suávis Dóminus univérsis, * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * et poténtiam tuam loquentur;

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium seculórum; * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * et imples omne ánimal benedictióne.

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Ant. 8. c. Propè est Dóminus.

ALTERA DIVISIO PSALMI 144.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis, * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, et deprecatiónem eórum exáudiet, * et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligentes se, * et omnes peccatóres disperdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum: * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, et in séculum séculi.

Ant. Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Capitulum. (*Rom.* 10.)

Corde créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem; dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum.

HYMNUS.

O fortis, ô clemens Deus,
Salútis auctor, tu fidem
Nostris potenter ínsere,
Germen salútis, córdibus.

Hinc omne robur dúcimus:
Hæc arma nobis; hoc manus
Protecta scuto, flámmea
Retundet hostis spícula.

Hinc fúndimus preces tibi
Sacri sub umbra nóminis,
Quo nítitur spes ómnium
Uno salútis pígnore.

Placatus illo nómine,
Labántibus feres opem;
Dabisque, sanctam dégener
Ne vita deturpet fidem.

Sit laus Patri, laus Filio:
Par sit tibi laus, Spíritus,
Infúsa per quem córdibus
Relúcet imis véritas.

Amen.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Potens est Dóminus, et sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. f. Salvum me fac Dómine.

PSALMUS 11.

Salvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus, * quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquisque ad próximum suum: * lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Disperdat Dóminus universa lábia dolósa, * et linguam magníloquam;

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt: * quis noster Dóminus est?

Propter miseriam ínopum, et gémitum páuperum, * nunc exurgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári: * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta: * argentum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos; * et custódies nos à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * secundùm altitúdinem tuam multiplicasti fílios hóminum.

PSALMUS 38.

Dixi: Custódiam vias meas, * ut non delinquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor adversùm me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui à bonis; * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, et in meditatióne meá exardescet ignis: * locútus sum in lingua mea.

Notum fac mihi, Dómine, finem meum, et númerum diérum meórum, quis est; * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuisti dies meos: * et substántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen universa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertransit homo; * sed et frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? * et substántia mea apud te est.

DIVISIO PSALMI 38.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me : * oppróbrium insipienti dedisti me.

Obmútui, et non apérui os meum ; * quóniam tu fecisti.

Amove à me plagas tuas:* à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuisti hóminem, et tabéscere fecisti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi ut refrígerer, priusquàm ábeam ; * et ampliùs non ero.

Ant. Salvum me fac, Dómine, quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum. *Ps.* 11.

FERIA SEXTA.

OFFICII FINIS.

Exemplo Christi patientis, ad perferendas vitæ hujus ærumnas animetur Fidelis.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Venite, adorémus, et procidámus ante Deum : * Plorémus coram Dómino qui fecit nos. *Ps.* 94.

HYMNUS.

Jam sánctius moves opus,
Tecum, Deus, delíberans :
Mundo recenti príncipem,
Tibíque præcónem paras.

Homo creátur : hunc sacro
Cœlestis oris hálitu
Succendis, et vivam tuî
Spiráre das imáginem.

Ergo per omnes æquoris,
Tellúris omnes et sinus
Regnábit : at memor suî
Deo minórem se gerat.

Heu, cæca cordis právitas!
Jugum rebellis éxcutit;
Deo superbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.

Hinc quanta lúctuum cohors
Incumbit orbi pérdito!
O Christe, ni feras opem,
Spes tota sontes déserat.

Qui nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Cujus movémur hálitu,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 7. b. Contristátus sum.

PSALMUS 51.

Quid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua: * sicut novácula acúta fecisti dolum.

Dilexisti malítiam super benignitátem, * iniquitátem magis quàm loqui æquitátem.

Dilexisti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptéreà Deus déstruet te in finem: * evellet te, et emigrábit te de tabernáculo tuo, et radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, et timébunt, et super eum ridébunt; * et dicent: Ecce homo qui non pósuit Deum adjutórem suum;

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum, * et præváluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei: * sperávi in misericórdia Dei in æternum, et in séculum séculi.

Confitébor tibi in séculum quia fecisti; * et expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspectu sanctórum tuórum.

PSALMUS 54.

Exaudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: * inténde mihi, et exaudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea, * et conturbátus sum à voce inimíci, et à tribulatióne peccatóris;

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * et in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me, * et formído mortis cécidit super me.

Timor et tremor venérunt super me, * et contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? * et volábo, et requiescam.

Ecce elongávi fúgiens, * et mansi in solitúdine.

Expectábam eum qui salvum me fecit à pusillanimitáte spíritûs; * et tempestáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem et contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas; * et labor in médio ejus, et injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra et dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixisset mihi, * sustinuissem útique;

Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuisset, * abscondissem me fórsitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus et notus meus,

Qui simul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum consensu.

Veniat mors super illos,* et descendant in infernum viventes;

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamavi; * et Dóminus salvábit me.

DIVISIO PSALMI 54.

Vespere, et mane, et merídie narrábo et annuntiábo; * et exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi : * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, et humiliábit illos, * qui est ante sécula.

Non enim est illis commutátio, et non timuérunt Deum : * extendit manum suam in retribuendo.

Contaminavérunt testamentum ejus, divísi sunt ab ira vultûs ejus; * et appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum; * et ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam; et ipse te enútriet : * non dabit in æternum fluctuatiónem justo.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum intéritûs.

Viri sánguinum et dolósi non dimidiábunt dies suos;* ego autem sperábo in te, Dómine.

Ant. Contristátus sum in exercitatióne mea, et conturbátus sum; quóniam declinavérunt in me iniquitátes. *Ps.* 54.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Ab insurgéntibus in me.

PSALMUS 58.

Eripe me de inimícis meis, Deus meus; * et ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * et de viris sánguinum salva me;

Quia ecce cepérunt ánimam meam : * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine; * sine iniquitáte cucurri, et direxi.

Exurge in occursum meum, et vide; * et tu, Dómine Deus virtútum, Deus Israel.

Intende ad visitandas omnes gentes : * non misereáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

Convertentur ad vésperam; * et famem patientur ut canes, et circuíbunt civitátem.

Ecce loquentur in ore suo, et gládius in lábiis eórum; * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te

custódiam, quia Deus susceptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

DIVISIO PSALMI 58.

DEUS ostendet mihi super inimícos meos: * ne occídas eos, nequando obliviscantur pópuli mei.

Disperge illos in virtúte tua, * et depóne eos, protector meus, Dómine.

Delictum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum;* et comprehendantur in supérbia sua.

Et de execratióne et mendácio annuntiabuntur in consummatióne; * in ira consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob, * et fínium terræ.

Convertentur ad vésperam; * et famem patientur ut canes, et circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergentur ad manducandum; * si verò non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * et exultábo mane misericórdiam tuam;

Quia factus es susceptor meus et refúgium meum * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: * Deus meus, misericórdia mea.

PSALMUS 60.

EXAUDI, Deus, deprecatiónem meam: * intende oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi, dùm anxiarétur cor meum: * in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sécula: * prótegar in velamento alárum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudisti oratiónem meam,* dedisti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in æternum in conspectu Dei: * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Ab insurgéntibus in me líbera me, Dómine; quia irruérunt in me fortes. *Ps.* 58.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. a. In conspectu.

PSALMUS 68.

SALVUM me fac, Deus, * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo pro-

fundi, * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris, * et tempestas demersit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injustè : * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam ; * et delicta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubescant in me qui expectant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundantur super me, * qui quærunt te, Deus Israel.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium, * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus fíliis matris meæ ;

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me, * et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam ; * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestimentum meum cilícium : * et factus sum illis in parábolam.

Adversùm me loquebantur qui sedébant in porta ; * et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine : * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar : * líbera me ab iis qui odérunt me, et de profundis aquárum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum, * neque urgeat super me púteus os suum.

DIVISIO PSALMI 68.

Exaudi me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua : * secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo : * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

Intende ánimæ meæ, et líbera eam : * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me : * impropérium expectávit cor meum, et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit ; * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel ; * et in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram

ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.

Obscurentur óculi eórum, ne vídeant; * et dorsum eórum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam; * et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitátio eórum deserta; * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt; * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum; * et non intrent in justítiam tuam.

Deleantur de libro vivéntium; * et cum justis non scribantur.

ALTERA DIVISIO PSALMI 68.

Ego sum pauper et dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * et magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novellum, * córnua producentem et úngulas.

Vídeant páuperes, et læténtur: * quærite Deum, et vivet ánima vestra;

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli et terra, * mare, et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * et ædificabuntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * et hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam; * et qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. In conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me: impropérium expectávit cor meum, et misériam.

℣. Die ac nocte graváta est super me manus tua: ℟. Conversus sum in ærumna mea, dum confígitur spina. *Ps.* 31.

℣. *Sacerd.* Laudans invocábo Dóminum; ℟. Et ab inimícis meis salvus ero. *Ps.* 17.

AD LAUDES.

Ant. 1. a. Auribus.

PSALMUS 53.

Deus, in nómine tuo salvum me fac, * et in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei;

Quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me, et fortes quæsiérunt ánimam meam, * et non proposuérunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me; * et Dóminus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimícis meis; * et in veritate tua disperde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi; * et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuisti me; * et super inimícos meos despexit óculus meus.

Ant. Auribus pércipe, Dómine, verba oris mei; quóniam alieni insurrexérunt adversùm me.

Ant. 7. ç. Deus meus.

PSALMUS 70.

In te, Dómine, sperávi, non confundar in æternum: * in justítia tua líbera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munítum, * ut salvum me fácias;

Quóniam firmamentum meum * et refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * et de manu contra legem agentis, et íniqui;

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: * Dómine, spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero: de ventre matris meæ tu es protector meus; * in te cantátio mea semper.

Tanquam prodígium factus sum multis, * et tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totà die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis: * cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini, et comprehéndite eum, * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundantur et defíciant detrahentes ánimæ meæ: * operiantur confusióne et pudóre qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo, * et adjíciam super omnem laudem tuam.

Ant. Deus meus, éripe me de manu peccatóris; quóniam tu es patiéntia mea.

Ant. 3. a. Lingua mea.

DIVISIO PSALMI 70.

Os meum annuntiábit justítiam tuam, * totà die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus, docuisti me à juventúte mea; * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et usque in senectam et sénium: * Deus, ne derelinquas me;

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni quæ ventúra est,

Poténtiam tuam et justítiam tuam, Deus, usque in

altíssima quæ fecisti magnália : * Deus, quis símilis tibi ?

Quantas ostendisti mihi tribulatiónes multas, et malas ! * et conversus, vivificasti me, et de abyssis terræ íterùm reduxisti me.

Multiplicasti magnificéntiam tuam ; * et conversus, consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam, Deus : * psallam tibi in cíthara, Sanctus Israel.

Exultábunt lábia mea, cùm cantávero tibi : * et ánima mea, quam redemisti.

Sed et lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, * cùm confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, cùm confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. 8. G. Cùm irátus fúeris.

In Feriis,

CANTICUM HABACUC.

(Cap. 3.)

Domine, audívi auditiónem tuam, * et tímui.

Dómine, opus tuum : * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies : * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet, * et Sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus, * et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit, córnua in mánibus ejus : * ibi abscóndita est fortitúdo ejus.

Ante fáciem ejus ibit mors ; * et egrediétur diábolus ante pedes ejus.

Stetit, et mensus est terram : * aspexit, et dissolvit gentes ; et contríti sunt montes séculi.

Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ : * turbabuntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine ? * aut in flumínibus furor tuus ? vel in mari indignátio tua ?

Qui ascendes super equos tuos, * et quadrígæ tuæ salvátio ;

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juramenta tríbubus quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ : vidérunt te, et doluérunt montes ; * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol et luna stetérunt in habitáculo suo ; * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurantis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * et in furóre obstupefácies gentes.

Egressus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum christo tuo.

Percussisti caput de domo ímpii, * denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

Maledixisti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus : * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * et subter me scáteat;

Ut requiéscam in die tribulatiónis, * ut ascendam ad pópulum accinctum nostrum.

Ficus enim non florébit; * et non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ; * et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus; * et non erit armentum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * et exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea; * et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excelsa mea dedúcet me victor * in psalmis canentem.

Ant. Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

[*In Festis Sanctorum,*

CANTICUM.

(Isaiæ 26.)

Urbs fortitúdinis nostræ Sion : * Salvátor ponétur in ea murus et antemurále.

Aperíte portas, * et ingrediátur gens justa, custódiens veritátem.

Vetus error ábiit : servábis pacem; * pacem, quia in te sperávimus.

Sperastis in Dómino in séculis æternis, * in Dómino Deo forti in perpétuum.

Quia incurvábit habitantes in excelso, * civitátem sublímem humiliábit.

Humiliábit eam usque ad terram, * détrahet eam usque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes páuperis, gressus egenórum.

Sémita justi recta est, * rectus callis justi ad ambulandum.

Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te : * nomen tuum, et memoriále tuum in desidério ánimæ.

Anima mea desiderávit te in nocte; * sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terra, * justítiam discent habitatóres orbis.

Misereámur ímpio, et non discet justítiam : * in terra

sanctórum iníqua gessit, et non vidébit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * et non vídeant:

Vídeant, et confundantur zelantes pópuli; * et ignis hostes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera nostra operátus es nobis.]

Ant. 4. *D.* Laudábo.

PSALMUS 145.

LAUDA, ánima mea, Dóminum: * laudábo Dóminum in vita mea; psallam Deo meo, quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos; * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos: * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas: pupillum et víduam suscípiet; * et vias peccatórum disperdet.

Regnábit Dóminus in sécula: * Deus tuus, Sion, in generatiónem et generatiónem.

Ant. Laudábo in vita mea Dóminum, qui facit judícium injúriam patiéntibus.

Capitulum. (*Is.* 33.)

DOMINE, miserére nostrî; te enim expectávimus: esto bráchium nostrum in mane, et salus nostra in témpore tribulatiónis.

HYMNUS.

ULTRICIBUS nos úndique
Dum sáucias telis, Deus,
Quis ferre, te præter, queat
Mœréntibus solátium?

MUNDUS facessat: nil opis
Favóre præstat fútili:
Fallácibus quin ásperat
Alitque fomentis malum.

FLAGELLA nos terrent tua;
Non illa spem demunt tamen:
Quæ ferre nos jubes, Pater,
Fiunt medéla vúlnerum.

AT ímpetus libídinum
Ferocientes cómprime:
Hæc vera nos vexant mala,
Sanáre quæ solus potes.

QUID ergo cessas? íngruunt
Intùs forìsque prælia;
Hosti-ne præda mens erit
Christi redempta sánguine?

AUDIS precantes: ánxiæ
Spes blanda jam menti redit:
O Christe, tetros mors tua
Mortis pavóres díscutit.

Sit Trinitáti glória,
Quæ sic flagellis quos amat
Exercet, ut cleméntiæ
Rursum recordétur suæ.
Amen.

℣. Exultábo mane misericórdiam tuam; ℟. Quia factus es susceptor meus in die tribulatiónis. *Ps.* 58.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos óriens ex alto, illumináre his qui in ténebris et in umbra mortis sedent. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant 3. c. Exurge.

PSALMUS 43.

Deus, áuribus nostris audívimus, patres nostri annuntiavérunt nobis opus * quod operátus es in diébus eórum, et in diébus antíquis.

Manus tua gentes dispérdidit, et plantasti eos: * afflixisti pópulos, et expulisti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * et bráchium eórum non salvávit eos.

Sed déxtera tua, et bráchium tuum, et illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuisti in eis.

Tu es ipse rex meus, et Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * et in nómine tuo spernémus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo, * et gládius meus non salvábit me.

Salvasti enim nos de affligéntibus nos, * et odientes nos confudisti.

DIVISIO PSALMI 43.

In Deo laudábimur totâ die; * et in nómine tuo confitébimur in séculum.

Nunc autem repulisti, et confudisti nos; * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertisti nos retrorsùm post inimícos nostros; * et qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedisti nos tanquam oves escárum, * et in géntibus dispersisti nos.

Vendidisti pópulum tuum sine prétio, * et non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuisti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem et derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuisti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me est; * et confúsio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrantis et obloquentis, * à fácie inimíci et persequentis.

Hæc ómnia venérunt super nos; nec oblíti sumus te, * et iníque non égimus in testamento tuo.

Et non recessit retrò cor

nostrum, * et declinasti sémitas nostras à via tua;

Quóniam humiliasti nos in loco afflictiónis, * et coopéruit nos umbra mortis.

ALTERA DIVISIO PSALMI 43.

Si oblíti sumus nomen Dei nostri, * et si expándimus manus nostras ad deum aliénum,

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exurge, quare obdormis, Dómine? * exurge, et ne repellas in finem.

Quare fáciem tuam avertis? * oblivísceris inópiæ nostræ et tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra, * conglutinátus est in terra venter noster.

Exurge, Dómine, ádjuva nos; * et rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Exuge; quare, obdormis, Dómine? exurge, et ne repellas in finem.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Circumdedérunt.

PSALMUS 39.

Expectans expectávi Dóminum, * et intendit mihi.

Et exaudívit preces meas; * et eduxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos, * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt; * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus, * et non respexit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecisti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium et oblatiónem noluisti; * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum et pro peccáto non postulasti: * tunc dixi, Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

DIVISIO PSALMI 39.

Annuntiavi justítiam tuam in ecclésia magna; * ecce lábia mea non prohibébo: Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscondi in corde meo: * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam et veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me: * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número; * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei; * et cor meum dereliquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adjuvandum me réspice.

Confundantur et revereantur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertantur retrorsum, et revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et lætentur super te omnes quærentes te; * et dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum et pauper: * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, et protector meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 57.

Si verè útique justítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injustítias manus vestræ concinnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero: * locúti sunt falsa.

Furor illis secundùm similitúdinem serpentis: * sicut áspidis surdæ, et obturantis aures suas;

Quæ non exáudiet vocem incantántium, * et venéfici incantantis sapienter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decurrens: * intendit arcum suum, donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur: * supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priusquàm intellígerent spinæ vestræ rhamnum; * sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

Lætábitur justus, cùm víderit vindictam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique est fructus justo, * útique est Deus júdicans eos in terra.

Ant. Circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: compláceat tibi, Dómine, ut éruas me. *Ps.* 39.

Capitulum. (2. *Cor.* 1.)

Supra modum graváti sumus supra virtútem, ita ut tæderet nos étiam vívere. Sed ipsi nobismetipsis res-

ponsum mortis habúimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui súscitat mórtuos; qui de tantis perículis nos erípuit, et éruit; in quem sperámus quóniam et adhuc erípiet.

℟. br. Multiplicáti sunt, * Qui odérunt me gratis. Multiplicáti sunt. ℣. Confortáti sunt * qui persecúti sunt me injuste, * Qui odérunt me gratis. Glória Patri. Multiplicáti sunt. Ps. 68.

℣. Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: ℟. Ad defensiónem meam cónspice. Ps. 21.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Potum meum.

PSALMUS 101.

Domine, exaudi oratiónem meam; * et clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me: * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me;

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, et áruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pelicáno solitúdinis: * factus sum sicut nycticorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totà die exprobrábant mihi inimíci mei; * et qui laudábant me, adversùm me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ et indignatiónis tuæ; * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt; * et ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes; * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

DIVISIO PSALMI 101.

Tu exurgens miseréberis Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * et terræ ejus miserebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * et vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * et non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera: * et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia prospexit de excelso

sancto suo : * Dóminus de cœlo in terram aspexit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * et laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniendo pópulos in unum, et reges, * ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

ALTERA DIVISIO PSALMI 101.

Initio tu, Dómine, terram fundasti : * et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt; * tu autem pérmanes :

Et omnes sicut vestimentum veterascent; * et sicut opertórium mutábis eos, et mutabuntur.

Tu autem idem ipse es, * et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt; * et semen eórum in séculum dirigétur.

Ant. Potum meum cum fletu miscébam, à fácie iræ et indignatiónis tuæ, Dómine.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

Vobis, tanquam fíliis, lóquitur [Deus] dicens : Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris : quem enim díligit Dóminus, castígat; flagellat autem omnem fílium quem récipit. In disciplína perseveráte.

℟. *br.* Ego, Dómine, * In flagella parátus sum. Ego.
℣. Et dolor meus * in conspectu meo semper : * In flagella. Glória Patri. Ego, Dómine.

℣. Dómine, ante te omne desidérium meum; ℟. Et gémitus meus à te non est abscónditus. *Ps.* 37.

AD NONAM.

Ant. 6. *F.* Deus meus.

PSALMUS 21.

Deus, Deus meus, réspice in me : quare me dereliquisti? * longè à salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies; * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberasti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt; * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo ; * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes videntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxisti me de véntre; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projectus sum ex útero: * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

DIVISIO PSALMI 21.

[Deus meus] ne discésseris à me, * quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum, * et dispersa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in médio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis; * et in púlverem mortis deduxisti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi; * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * et à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

ALTERA DIVISIO PSALMI 21.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * universum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israel; * quóniam non sprévit neque despexit deprecatiónem páuperis.

Nec avertit fáciem suam à me; * et cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna: * vota mea reddam in conspectu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabuntur; et laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in séculum séculi.

Reminiscentur et convertentur ad Dóminum * universi fines terræ.

Et adorábunt in conspectu ejus * universæ famíliæ géntium;

Quóniam Dómini est regnum, * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adora-

vérunt omnes pingues terræ : * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet ; * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra ; * et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Deus meus, quare me dereliquisti ? longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

Capitulum. (*Thren.* 5.)

Quare in perpétuum oblivíscéris nostrî ? derelinques nos in longitúdine diérum ? Converte nos, Dómine, ad te, et convertémur : ínnova dies nostros, sicut à princípio ; sed projíciens repulisti nos, irátus es contra nos vehementer.

℟. *br.* Usquequò, Dómine, * Oblivíscéris me in finem ? Usquequò. ℣. Usquequò exaltábitur * inimícus meus super me ? * Oblivíscéris me. Glória Patri. Usquequò. *Ps.* 12.

℣. Exurge, Dómine Deus, exaltétur manus tua : ℟. Ne obliviscáris páuperum. *Ps.* 9.

AD VESPERAS.

Ant. 4. A. Supra dorsum.

PSALMUS 128.

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Israel.

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea ; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus * concídit cervíces peccatórum.

Confundantur et convertantur retrorsùm * omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum, * quod, priusquàm evellátur, exáruit :

De quo non implévit manum suam, qui metit ; * et sinum suum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant : Benedíctio Dómini super vos : * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : prolongavérunt iniquitátem suam.

Ant. 2. D. Posuisti.

PSALMUS 138.

Dómine, probasti me, et cognovisti me : * tu cognovisti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexisti cogitatiónes meas de longè : * sémitam meam et funículum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti, * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovisti ómnia, novíssima et

antíqua : * tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo? * et quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illìc es : * si descéndero in infernum, ades :

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me; * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabuntur à te; et nox sicut dies illuminábitur : * sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos : * sucepisti me de útero matris meæ.

Ant. Posuisti super me manum tuam, Dómine : quò à fácie tua fúgiam?

Ant. 6. F. Confitébor tibi.

DIVISIO PSALMI 138.

Confitebor tibi, [Dómine] quia terribíliter magnificátus es; * mirabília ópera tua, et ánima mea cognoscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecisti in occulto; * et substántia mea in inferióribus terræ.

Impęrfectum meum vidérunt óculi tui; et in libro tuo omnes scribentur : * dies formabuntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabuntur : * exurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres : * viri sánguinum, declináte à me;

Quia dícitis in cogitatióne : * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam? * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfecto ódio óderam illos; * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognosce sémitas meas;

Et vide si via iniquitátis in me est, * et deduc me in via æterna.

Ant. Confitébor tibi, Dómine, quia terribíliter magnificátus es; ánima mea cognoscit nimis.

Ant. 3. b. Custódi me, Dómine.

PSALMUS 139.

Eripe me, Dómine, ab hómine malo : * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * totà die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpentis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris; * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt superbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Ant. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris.

Ant. 7. c. Dómine, Dómine.

DIVISIO PSALMI 139.

Domine, Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me; ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes : in ignem dejícies eos; * in miseriis non subsistent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injustum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * et vindictam páuperum.

Verúmtamen justi confitebuntur nómini tuo; * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Dómine, Dómine, virtus salútis meæ, ne derelinquas me.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

Deponentes omne pondus et circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen; aspicientes in auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui, propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contemptâ.

HYMNUS.

Lugete, pacis Angeli :
Mortális en ultrò Deus,
Culpæ gerens imáginem,
Pœnam nocentûm sústinet.

Amoris ô miráculum!
O cordis humáni stupor!
Insons Deus neci datur;
Pigébit et sontes pati!

Nos sempiternis crux tua,
O Christe, flammis éruit :
Hic ure vindex, hìc seca,
Parcas in æternum modò.

Caro reclámat; sed Patris
Urget voluntas : nos tuâ
Virtúte da fortes sequi,
Jesu, quod exemplo doces.

Livore sanátos tuo,
Tuoque lotos sánguine,
Peccando ne novam sinas
Paráre nos tibi crucem.

Qui Fílium tradit, Patri,
Natoque sit laus víctimæ :
Par sit tibi laus, qui sacram

Succendis aram, Spíritus. Amen.

℣. Clamávi ad te, Dómine, totâ die : ℟. Expandi ad te manus meas. *Ps.* 87.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *D.* Fecit Dóminus poténtiam in bráchio suo : dispersit superbos mente cordis sui. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Dómine.

PSALMUS 37.

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ : * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum : * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum et curvátus sum usque in finem : * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus ; * et non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliátus sum nimis : * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum ; * et gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea ; * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum

DIVISIO PSALMI 37.

Amici mei, et próximi mei * adversùm me appropinquavérunt et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt ; * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * et dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam, * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequando supergáudeant mihi inimíci mei ; * et, dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum ; * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo ; * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vi-

vunt, et confirmáti sunt super me; * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus : * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

PSALMUS 55.

MISERERE meî, Deus, quóniam conculcávit me homo : * totâ die impugnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die, * quóniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitúdine diéi timébo; * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabantur : * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt, et abscondent : * ipsi calcáneum meum observabunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuisti lácrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissióne tua.

Tunc convertentur inimíci mei retrorsùm * in quacumque die invocávero te.

Ecce cognóvi * quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum : * in Dómino laudábo sermónem.

In Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam laudatiónes tibi;

Quóniam eripuisti ánimam meam de morte; et pedes meos de lapsu; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Dómine Deus meus, ne discésseris à me. *Ps.* 37.

SABBATO.

OFFICII FINIS.

Bonorum operum Deus merces magna nimis, Canticis gratiarum actionis celebratur.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Dominus ipse est Deus noster : * Veníte, adorémus. *Ps.* 94.

HYMNUS.

Tandem peractis, ô Deus,
Sexto diérum límite,
Ponis modum labóribus,
Orbíque plaudis cóndito.

At dum perenni séptimam
Lucem quiéti cónsecras,
En te reposcit dénuo
Alter creatórem labor.

Te cúncta nempe prædicant;
Te terra, pontus, sídera
Cantu celébrant æmulo;
Peccátor unus díssonat.

Tu pectus aufer sáxeum;
Tu cárneum pectus crea :
Et caritátis úberes
Fructus canent hymnum tibi.

Hæc te juvant præcónia,
Si facta voci cónsonent :
Sic efficáci fléctitur
Divína majestas prece.

Æterna laus et glória
Uni sit et trino Deo;
Qui cuncta nutu cóndidit,
Nutúque servat cóndita.
Amen.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 3. a. Propter innocéntiam.

PSALMUS 40.

Beatus qui intélligit super egénum et páuperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * universum stratum ejus versasti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miserére meî; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur : * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur forás, * et loquebátur in idipsum.



ANNONCIATION

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei : * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me : * numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, et resúscita me; * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluisti me,*quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepisti, * et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dóminus Deus Israel à século, et usque in séculum : * fiat, fiat.

PSALMUS 48.

Audite hæc, omnes gentes : * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem,

Quique terrígenæ, et fílii hóminum, * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam, * et meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua, * et in multitúdine divitiárum suárum gloriantur.

Frater non rédimit, rédimet homo : * non dabit Deo placatiónem suam;

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * et laborábit in æternum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, * cùm víderit sapientes morientes.

Simul insípiens et stultus períbunt, * et relinquent aliénis divítias suas.

Et sepulcra eórum domus illórum in æternum; tabernácula eórum in progénie et progénie : * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cùm in honóre esset, non intellexit : * comparátus est jumentis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis; * et pósteà in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inferno pósiti sunt : * mors depascet eos.

Et dominabuntur eórum justi in matutíno;*et auxílium eórum veterascet in inferno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

DIVISIO PSALMI 48.

Ne timúeris, cùm dives factus fúerit homo, * et cùm

multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam, cùm interíerit, non sumet ómnia; * neque descéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur : * confitébitur tibi, cùm benefé-ceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum; * et usque in æternum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre esset, non intellexit : * comparátus est jumentis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Ant. Propter innocéntiam suscepisti me, Deus; et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. *Ps.* 40.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 5. F. Tibi, Deus.

PSALMUS 61.

Nonne Deo subjecta erit ánima mea ? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus : * susceptor meus, non movébor ámpliùs.

Quousque irrúitis in hóminem ? * interfícitis universi vos tanquam paríeti inclináto, et macériæ depulsæ ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; cucurri in siti : * ore suo benedicébant, et corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjecta esto, ánima mea; * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, et Salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, et glória mea : * Deus auxílii mei : et spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda vestra : * Deus adjútor noster in æternum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris, * ut decípiant ipsi de vanitáte in idipsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, et rapínas nolíte concupíscere : * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi; quia potestas Dei est, et tibi, Dómine, misericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

PSALMUS 63.

Exaudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor : * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexisti me à conventu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem;

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum, rem amáram,

ut sagittent in occultis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscondérent láqueos : * dixérunt, Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes:* defecérunt scrutantes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * et exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum; * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos; * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei; * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo; * et laudabuntur omnes recti corde.

PSALMUS 74.

Confitebimur tibi, Deus,* confitébimur, et invocábimus nomen tuum : narrábimus mirabília tua.

Cùm accépero tempus, * ego justítias judicábo.

Liquefacta est terra, et omnes qui hábitant in ea :* ego confirmávi columnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníquè ágere;* et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui adversùs Deum iniquitátem;

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, * neque à desertis móntibus.

Quóniam Deus judex est:* hunc humíliat, et hunc exaltat.

Quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto; * et inclinávit ex hoc in hoc.

Verúmtamen fæx ejus non est exinaníta; * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in séculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confringam; * et exaltabuntur córnua justi.

Ant. Tibi, Deus, confitébimur, et invocábimus nomen tuum : narrábimus mirabília tua. *Ps.* 74.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Cogitátio hóminis.

PSALMUS 75.

Notus in Judæa Deus : * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus æternis : * turbáti sunt omnes insipientes corde.

Dormiérunt somnum suum; * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecisti judícium: * terra trémuit, et quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi, * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera,

Terríbili, et ei qui aufert spíritum príncipum; * terríbili apud reges terræ.

PSALMUS 82.

Deus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt: * et qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * et cogitavérunt adversùs sanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, et disperdámus eos de gente, * et non memorétur nomen Israel ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter: * simul adversùm te testamentum disposuerunt tabernácula Idumæórum et Ismahelítæ,

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis; * facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, et Sísaræ, * sicut Jabin in torrente Cisson.

Disperiérunt in Endor; * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb, et Zeb, * et Zébee, et Sálmana;

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt: Hæreditáte possideámus sanctuárium Dei.

DIVISIO PSALMI 82.

Deus meus, pone illos ut rotam, * et sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit sylvam, * et sicut flamma combúrens montes;

Ita persequéris illos in tempestáte tua, * et in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ; * et quærent nomen tuum, Dómine.

Erubescant et conturbentur in séculum séculi, * et confundantur, et péreant:

Et cognoscant quia nomen tibi, Dóminus; * tu solus Altíssimus in omni terra.

Ant. Cogitátio hóminis confitébitur tibi; et relíquiæ

cogitatiónis diem festum agent tibi. *Ps.* 75.

℣. Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; ℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144.

℣. *Sacerd.* Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, ℟. Totà die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

AD LAUDES.

Ant. 4. d. Pérfice.

PSALMUS 16.

Exaudi, Dómine, justítiam meam: * intende deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probasti cor meum, et visitasti nocte: * igne me examinasti; et non est inventa in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum, * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis, * ut non moveantur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudisti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Miríﬁca misericórdias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupillam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Ant. Pérfice gressus meos in sémitis tuis, Dómine, ut non moveantur vestígia mea.

Ant. 7. b. In justítia.

DIVISIO PSALMI 16.

Inimici mei ánimam meam circumdedérunt; ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projicientes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exurge, Dómine, præveni eum, et supplanta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis; * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cùm apparúerit glória tua.

Ant. In justítia apparébo conspéctui tuo: satiábor cùm apparúerit glória tua.

Ant. 1. *f.* Parátum.

PSALMUS 56.

Miserere meî, Deus, mi-

serére meî, * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cœlo, et liberávit me : * dedit in oppróbrium conculcantes me.

Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam; * et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum : dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma et sagittæ; * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cœlos, Deus; * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis; * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam; * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo et psalmum dicam.

Exurge, glória mea; exurge, psaltérium et cíthara : * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine : * et psalmum dicam tibi in géntibus;

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus; * et super omnem terram glória tua.

Ant. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum : cantábo, et psalmum dicam.

Ant. 5. a. Date magnificéntiam.

In Feriis,

CANTICUM MOYSI.

(Deut. 32.)

Audite, cœli, quæ loquor : * áudiat terra verba oris mei.

Concrescat ut plúvia doctrína mea : * fluat ut ros elóquium meum.

Quasi imber super herbam, * et quasi stillæ super grámina.

Quia nomen Dómini invocábo : * date magnificéntiam Deo nostro.

Dei perfecta sunt ópera, et omnes viæ ejus judícia : * Deus fidélis, et absque ulla iniquitáte, justus et rectus.

Peccavérunt ei, et non filii ejus in sórdibus : * generátio prava atque perversa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule stulte et insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, et fecit, et creávit te?

Meménto diérum antiquórum : * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, et annuntiábit tibi : * majóres tuos, et dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes, * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Israel.

Pars autem Dómini pópulus ejus : * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, et vastæ solitúdinis.

Circumduxit eum, et dócuit, * et custodivit quasi pupillam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volandum pullos suos, * et super eos vólitans,

Expandit alas suas, et assumpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit; * et non erat cum eo deus aliénus.

Constítuit eum super excelsam terram, * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra,* oleumque de saxo duríssimo;

Bútyrum de armento, et lac de óvibus, * cum ádipe agnórum et aríetum filiórum Basan,

Et hircos cum medulla trítici; * et sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est dilectus, et recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem suum, * et recessit à Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis; * et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, et non Deo; * diis quos ignorábant.

Novi recentesque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquisti; * et oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, et ad iracúndiam concitátus est; * quia provocavérunt eum fílii sui, et fíliæ.

Et ait: Abscondam fáciem meam ab eis, * et considerábo novíssima eórum;

Generátio enim perversa est, * et infidéles fílii.

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat deus, * et irritavérunt in vanitátibus suis.

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus, * et in gente stulta irritábo illos.

Ignis succensus est in furóre meo, * et ardébit usque ad inferni novíssima;

Devorabitque terram cum gérmine suo, * et móntium fundamenta combúret.

Congregábo super eos mala; * et sagittas meas complébo in eis.

Consumentur fame, * et devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius et intùs pavor, * júvenem simul ac vírginem, lactentem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli, * ne fortè superbírent hostes eórum;

Et dícerent: Manus nostra excelsa, et non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, et sine prudéntia: * útinam sáperent, et intellígerent, ac novíssima providérent!

Quómodò persequátur unus mille, * et duo fugent decem míllia?

Nonne ídeò quia Deus suus véndidit eos, * et Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum; * et inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * et de suburbánis Gomorrhæ.

Uva eórum, uva fellis; * et botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * et venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * et signáta in thesauris meis?

Mea est últio, et ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà est dies perditiónis; * et adesse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit manus, * et clausi quoque defecérunt, residuíque consumpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam;

De quorum víctimis comedébant ádipes, * et bibébant vinum libáminum?

Surgant, et opitulentur vobis, * et in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus, * et non sit álius Deus præter me.

Ego occídam, et ego vívere fáciam; percútiam, et ego sanábo: * et non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, et dicam: * Vivo ego in æternum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * et arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóstibus meis; * et his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo sagittas meas sánguine, * et gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum, * et de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur:

Et vindictam retríbuet in hostes eórum, * et propítius erit terræ pópuli sui.

Ant. Date magnificéntiam Deo nostro: Dei perfecta sunt ópera.

[*In Festis Sanctorum*,

CANTICUM.

(Judith 16.)

INCIPITE Dómino in tympa-

nis : * cantáte Dómino in cymbalis.

Moduláimini illi psalmum novum : * exaltáte, et invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella : * Dóminus nomen est illi.

Qui pósuit castra sua in médio pópuli sui, * ut erí-peret nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

Venit Assur ex móntibus ab Aquilóne, * in multitúdine fortitúdinis suæ :

Cujus multitúdo obturávit torrentes, * et equi eórum cooperuérunt valles.

Dixit se incensúrum fines meos, * et júvenes meos occisúrum gládio,

Infantes meos dare in prædam, * et vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnípotens nócuit eum, et trádidit eum in manus féminæ, * et confódit eum.]

Ant. 2. D. Laudáte Dómin.

PSALMUS 116.

LAUDATE Dóminum, omnes gentes : * laudáte eum, omnes pópuli ;

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Laudáte Dóminum, omnes pópuli; quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

Capitulum. (*Coloss.* 1.)

NON cessámus pro vobis orantes, et postulantes ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni sapiéntia et intellectu spiritáli ; ut ambulétis dignè Deo, per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificantes, et crescentes in sciéntia Dei, in omni virtúte confortáti secundùm poténtiam claritátis ejus.

HYMNUS.

RERUM Creátor ómnium,
Nostros labóres ádjuva;
Ut casta Christi nómine
Nos vita dignos árguat.

Tu nempe sanctus et potens,
Placére das solus tibi :
Tu legis auctor das sequi
Quod lege præmonstras iter.

CINGUNT iter perícula,
Tu lúbricos firma pedes ;
Et certióre férvidi
Pergémus ad metam gradu.

O META felix, pax ubi
Et vera nos manet quies ;
Ubi voluptátis sacro
Torrente potábis tuos !

TE mens, ô alma Trínitas,
Anhélat ardens, te sitit :
Tuà redemptis grátià,
Æterna redde præmia.
Amen.

℣. Deduc me, Dómine, in via tua et ingrédiar in veritáte tua : ℟. Lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum. *Ps.* 85.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israel. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Notam.

PSALMUS 87.

Domine Deus salútis meæ, * in die clamávi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam;

Quia repléta est malis ánima mea, * et vita mea inferno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber :

Sicut vulneráti dormientes in sepulcris, quorum non es memor ámpliùs; * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus, * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longè fecisti notos meos à me : * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici suscitábunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepulcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua; * et justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam? * avertis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, et in labóribus à juventúte mea : * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ; * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua totà die; * circumdedérunt me simul.

Elongasti à me amícum et próximum, * et notos meos à miséria.

PSALMUS 142.

Domine, exaudi oratiónem meam : * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi; * et anxiátus est super me spíritus meus : in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum : meditátus sum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te ; * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine ; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me ; * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam ; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

DIVISIO PSALMI 142.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * et in misericórdia tua disperdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam ; * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Notam fac mihi viam in qua ámbulem ; quia ad te levávi ánimam meam, Dómine. *Ps.* 142.

AD TERTIAM.

Ant. 4. a. Afferte Dómino.

PSALMUS 28.

Afferte Dómino, fílii Dei ; * afferte Dómino fílios aríetum.

Afferte Dómino glóriam et honórem ; afferte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas ; Deus majestátis intónuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringentis cedros ; * et confringet Dóminus cedros Líbani,

Et comminuet eas tanquam vítulum Líbani ; * et dilectus quemádmodùm fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidentis flammam ignis : vox Dómini concutientis desertum ; * et commovébit Dóminus desertum Cades.

Vox Dómini præparantis cervos, et revelábit condensa ; * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit, * et sedébit Dóminus rex in æternum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

PSALMUS 44.

Eructavit cor meum ver-

bum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea * cálamus scribæ velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum : diffúsa est grátia in lábiis tuis; * proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ et pulchritúdine tuâ intende, * próspere procéde,

Et regna propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam; * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi : * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem; * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia à vestimentis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietate.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui :

Et concupiscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus; et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus : * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs : * in fímbriis áureis, circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia et exultatióne; * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum, * et in séculum séculi.

PSALMUS 149.

CANTATE Dómino cánticum novum : * laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo qui fecit eum; * et fílii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano et psaltério psallant ei;

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo, * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória : * lætabuntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gút-

ture eórum; * et gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciendam vindictam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:

Ad alligandos reges eórum in compédibus, * et nóbiles eórum in mánicis férreis;

Ut fáciant in eis judícium conscriptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Ant. Afferte Dómino glóriam et honórem. *Ps.* 28.

Capitulum. (*Coloss.* 3.)

Omne quodcumque fácitis, in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi; grátias agentes Deo et Patri per ipsum.

℟. *br.* Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus * in ore meo, * In omni témpore. Glória Patri. Benedícam. *Ps.* 33.

℣. Laudábo Dóminum in vita mea: ℟. Psallam Deo meo, quámdiu fúero. *Ps.* 145.

AD SEXTAM.

Ant. 1. *g.* Adjútor.

PSALMUS 45.

Deus noster refúgium et virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus, dum turbábitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram, * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confringet arma, * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 47.

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ

congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi videntes sic admiráti sunt, * conturbáti sunt, commóti sunt.

Tremor apprehendit eos : * ibi dolóres ut parturientis.

In spíritu vehementi * conteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in æternum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exultent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus, et distribúite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera ;

Quóniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in séculum séculi : * ipse reget nos in sécula.

PSALMUS 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis, * sciéntium me.

Ecce alienígenæ et Tyrus, et pópulus Æthíopum ; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea ; * et ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Adjútor noster Deus; proptéreà non timébimus. *Ps.* 45.

Capitulum. (2. *Petr.* 1.)

SATAGITE ut per bona ópera certam vestram vocatiónem et electiónem faciátis; hæc enim facientes, non peccábitis aliquando.

℟. *br.* Quærite Dóminum, * Et confirmámini. Quærite. ℣. Quærite * fáciem ejus semper, * Et confirmámini. Glória Patri. Quærite Dóminum. *Ps.* 104.

℣. Accédite ad eum, et illuminámini ; ℟. Et fácies vestræ non confundentur. *Ps.* 33.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Pauper.

PSALMUS 59.

DEUS, repulisti nos, et destruxisti nos : * irátus es, et misertus es nobis.

Commovisti terram, et conturbasti eam : * sana con-

tritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendisti pópulo tuo dura: * potasti nos vino compunctiónis.

Dedisti metuéntibus te significatiónem, * ut fúgiant à fácie arcûs;

Ut liberentur dilecti tui: * salvum fac déxterà tuà, et exaudi me.

Deus locútus est in sancto suo: * Lætábor, et partíbor Síchimam, et convallem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, et meus est Manasses; * et Ephraim fortitúdo cápitis mei:

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos? * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * et ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos.

PSALMUS 73.

Ut quid, Deus, repulisti in finem? * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedisti ab inítio.

Redemisti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa; * et non cognovérunt, sicut in éxitu super summum.

Quasi in sylva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idipsum: * in secúri et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum: * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terra.

Signa nostra non vídimus: jam non est prophéta; * et nos non cognoscet ámpliùs.

DIVISIO PSALMI 73.

Usquequo, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam et déxteram tuam * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem, rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmasti in virtúte tua mare; * contribulasti cápita dracónum in aquis.

Tu confregisti cápita dracónis: * dedisti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupisti fontes et torrentes: * tu siccasti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecisti omnes términos terræ: * æstátem et ver, tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino;* et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi; * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testamentum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exurge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totâ die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

Ant. Pauper et inops laudábunt nomen tuum, Dómine. *Ps.* 73.

Capitulum. (*Philipp.* 4.)

QUÆCUMQUE sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte.

℟. *br.* Mandasti justítiam * Testimónia tua. Mandasti.

℣. Et veritátem tuam * nimis, * Testimónia tua. Glória Patri. Mandasti.

℣. Feci judícium et justítiam: ℟. Non tradas me calumniántibus me. *Ps.* 118.

AD VESPERAS.

Ant. 4. *D.* Beáti omnes.

PSALMUS 127.

BEATI omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui sicut novellæ olivárum * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Ant. Beáti omnes qui ti-

ment Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

Ant. 1. a. Surge, Dómine.

PSALMUS 131.

Memento, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eam in campis sylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam; * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induantur justítiam; * et sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, * non avertas fáciem christi tui.

Ant. Surge, Dómine, in réquiem tuam; et sancti tui exultent.

Ant. 7. ç. Sion réquies mea.

DIVISIO PSALMI 131.

Juravit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testamentum meum, * et testimónia mea hæc quæ docébo eos;

Et fílii eórum usque in séculum * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in séculum séculi: * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári; * et sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David: * parávi lucernam christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne; * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Sion réquies mea in séculum séculi: sancti ejus exultatióne exultábunt.

Ant. 2. D. Deus meus.

PSALMUS 143.

Benedictus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, et refúgium meum; * susceptor meus, et liberátor meus.

Protector meus, et in ipso sperávi: * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuisti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est: * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, et descende: * tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, et dissipábis eos: * emitte sagittas tuas, et conturbábis eos.

Emitte manum tuam de alto: éripe me, et líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem; * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Ant. Deus meus, misericórdia mea, et susceptor meus.

Ant. 6. F. Beátus.

DIVISIO PSALMI 143.

Deus, cánticum novum cantábo tibi: * in psaltério decachordo psallam tibi.

Qui das salútem régibus; * qui redemisti David servum tuum de gládio maligno, éripe me,

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem; * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis:

Quorum fílii sicut novellæ plantatiónes * in juventúte sua.

Fíliæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis; * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc sunt: * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Capitulum. (*Tit.* 2.)

Salvator noster Jesus Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, et mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum.

HYMNUS.

Supreme motor córdium,
Tu sanctitátis frúgibus
Justos ab orbe cóndito
Tenóre ditas pérpeti.

Hic spes, fides et cáritas
Dulci cohærent vínculo:
Præsentis ævi post diem
Manébit una cáritas.

O caritas! ô véritas!
O lux perennis! en erit,
Post tot labóres, ut tuo
Tandem fruámur Sábbato.

Hic mille per discrímina
Semen gementes spárgimus:
Illic ovante spléndidam
Gestábimus messem manu.

Tu trine, tu potens Deus,
Fructus adauge quos petis:

Mox dona, justus árbiter,
Cœlo coronábis tua. Amen.

℣. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo; ℟. Et exaltábit mansuétos in salútem. *Ps.* 149.

Ad Magníficat, *Antiph. et Collecta, ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. G. Miserére meî.

PSALMUS 50.

Miserere meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum* dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * et à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * et peccátum meum contra me est semper:

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexisti: * incerta et occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exultábunt ossa humiliáta

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui; * et spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas:* et ímpii ad te convertentur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrifícium, dedissem útique; * holocaustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, *ut ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes et holocausta; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

PSALMUS 85.

Inclina, Dómine, aurem tuam, et exaudi me; * quóniam inops et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam,

quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserére meî, Dómine ; quóniam ad te clamávi totâ die : * lætífica ánimam servi tui ; quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis ; * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam ; * et intende voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudisti me.

Non est símilis tuî in diis, Dómine ; * et non est secundùm ópera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, vénient et adorábunt coram te, Dómine, * et glorificábunt nomen tuum ;

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília ; * tu es Deus solus.

DIVISIO PSALMI 85.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in æternum ;

Quia misericórdia tua magna est super me, * et eruisti ánimam meam ex inferno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam ; * et non proposuérunt te in conspectu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax.

Réspice in me, et miserére meî : * da impérium tuum púero tuo, et salvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundantur ; * quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, et consolátus es me.

Ant. Miserére meî, Dómine ; quóniam ad te clamávi totâ die. *Ps.* 85.

Hymnus, Capit. etc. habentur in Ordinario Brev. post Suffragia ad Vesperas.

Psallite Domino Deo nostro, Psallite : quoniam Rex omnis terræ Deus : Psallite sapienter. *Ps*. 46.

Nec clamans, sed amans cantat in ore Dei : audit enim ille vocem cordis, sine quâ sonum oris contemnit. Quare videndum est, ut qui spiritu psallunt, et mente psallant. *Concil. Trev. an*. 1549. *Can*. 6.

ORDINARIUM BREVIARII.

Ante Orationem, præpara animam tuam; et noli esse quasi homo qui tentat Deum. *Eccli.* 18.
Domine, doce nos orare. *Luc.* 11.

ANTE RECITATIONEM DIVINI OFFICII DICETUR AD DEVOTIONEM ORATIO SEQUENS.

Aperi, Dómine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum; munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, perversis et aliénis cogitatiónibus; intellectum illúmina, affectum inflamma; ut dignè, attentè, ac devótè hoc Offícium recitáre váleam, et exaudíri mérear ante conspectum divínæ majestátis tuæ: Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Dómine Jesu, in unióne illíus divínæ intentiónis, quâ ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi Horas persolvo.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Dicitur secretò :

Pater noster, qui es in cœlis; sanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra: panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: et dimitte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris: et ne nos indúcas in tentatiónem; sed líbera nos à malo. Amen. *Matth.* 6.

Ave, María, grátiâ plena; Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. *Luc.* 1.

Sancta María, mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, et in hora mortis nostræ. Amen.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatórem cœli et terræ: Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum: qui conceptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine: passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, et sepultus: descendit ad ínferos: tértiâ die resurrexit à mórtuis: ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis: inde ventúrus est judicáre vivos et mór-

tuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen

Deindè altâ voce dicitur, pollice signando sibi os signo crucis.

Domine, ✝ lábia mea apéries; ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50.

Tùm signando se à fronte ad pectus, et à sinistro humero ad dextrum.

Deus, ✝ in adjutórium meum intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto : Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sécula seculórum. Amen. Allelúia.

A Septuagesima ad Pascha, loco Allelúia, *dicitur* Laus tibi, Dómine, Rex æternæ glóriæ.

Sequitur Invitatorium quod sicut et ceteræ partes Officii infrà designandæ, reperitur vel in Psalterio, vel in Proprio de Tempore, vel denique in Proprio aut in Communi Sanctorum.

Invitatorium autem semper bis dicitur ante Psalmum Veníte. *Et si Festum sit Solemne aut Annuale, repetitur etiam integrè post singulos ejusdem Psalmi versus; in Duplicibus verò et infrà, post secundum et quartum Versum, repetitur tantùm à reclamatione, quæ designatur per Asteriscum* *.

PSALMUS 94.

Venite, exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro : præoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et rex magnus super omnes deos : quóniam non repellet Dóminus plebem suam; quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus : veníte, adorémus, et procidámus ante Deum : plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne, secundùm diem tentatiónis in deserto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Quadraginta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde; ipsi verò non cognovérunt vias meas : quibus jurávi in ira mea, Si introíbunt in réquiem meam.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto : Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sécula seculórum. Amen.

*Hic in quolibet Festo fit tantùm reclamatio designata per Asteriscum *, deindè semel integrè repetitur Invitatorium.*

Hymnus, Antiphonæ, Versiculi, habentur in Psalterio, vel in propriis locis; Psalmi autem dicuntur prout distribuuntur in Psalterio pro singulis Hebdomadæ diebus, nisi aliter in quibusdam Festis notetur.

Dominica et in Officiis novem Lectionum, post singulos tres Psalmos cum suis Antiphonis et Versiculo, dicitur secretò, Pater noster.

Altâ voce,

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

Deinde Absolutio et Benedictiones ut sequitur.

IN I.° NOCTURNO,

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.)

Adaperiat Deus cor nostrum in lege sua, et in præceptis suis; et det nobis cor ómnibus, ut colámus eum.

℟. Amen.

Antè quamlibet Lectionem, Lector petit Benedictionem, dicens : Jube, Domne, benedícere, *quod omittit qui solus recitat.*

BENEDICTIONES.

1. Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

Sic respondetur post omnes Absolutiones et Benedictiones.

2. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joan.* 5.

3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16.

IN II.° NOCTURNO.

ABSOLUTIO.

(3. Reg. 8.)

Deus noster inclínet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus.

BENEDICTIONES.

In Dominicis ac Festis Domini.

4. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1.

5. Sciámus supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3.

6. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis et dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2.

In Festis B. Mariæ Virginis.

4. Deus à quo missus est Angelus Gábriel ad Vírginem Maríam, mittat nobis de cœlis sapiéntiam. *Luc.* 1. *Sap.* 6.

5. Fílius Altíssimi, quem Virgo concépit et péperit, det nobis fílios Dei fíeri. *Luc.* 1. *Joan.* 1.

6. Spíritus sanctus de quo est, quod in María natum est, sanctíficet nos per ómnia. *Matth.* 1. *Thess.* 5.

In Festis Sanctorum.

4. Deus det nobis illumináto s óculos cordis, ut sciámus quæ sit spes vocatiónis ejus in Sanctis. *Ephes.* c. 1.

5. Dignos nos fáciat in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. *Coloss.* 1.

6. Aperiantur óculi nostri, ut convertámur à ténebris ad lucem, et accipiámus sortem inter Sanctos. *Act.* 26.

IN III.º NOCTURNO.

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.

Deus memínerit testamenti sui quod locútus est, et exáudiat oratiónes nostras.

BENEDICTIONES.

7. Detur nobis sermo in apertióne oris nostri cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangélii. *Ephes.* c. 6.

8. Occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.

9. Deus spei répleat nos omni gáudio et pace in credendo; ut abundémus in spe et virtúte Spíritûs sancti. *Rom.* 15.

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evang. cum Homilia, tunc nona Benedictio erit :

9. Evangélium non sit in sermóne tantùm, sed et in virtúte. *Rom.* 1.

Si tria legantur Evangelia, septima Benedictio erit :

7. Detur nobis sermo in apertióne oris nostri cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangélii. *Ephes.* 6.

8. Evangélium non sit in sermóne tantùm, sed et in virtúte. *Rom.* 1.

9. Permaneámus in fide fundáti, et immóbiles à spe Evangélii. *Coloss.* 1.

Si nona Lectio sit de Sancto, Benedictio erit :

9. Digni habeámur regno Dei, cùm vénerit in Sanctis suis admirábilis fíeri. 2. *Thess.* 1.

[*Quando D. Episcopus Lectionem lecturus est, postquàm ipse præmisit ex more,* Jube, domne, benedícere, *dignior post ipsum dicit illi :* Ora pro nobis, Pater. *Ipse autem Episcopus respondet :* Oro ut cáritas vestra magis ac magis abundet in sciéntia et in omni sensu. *Philipp.* 1. *Chorus,* ℟. Amen.

Idem observatur, ubi unicus est Presbyter.]

In Officio trium Lectionum post novem Psalmos

cum tribus Antiphonis et Versiculo, dicto Pater noster, *ut suprà, dicuntur Absolutiones et Benedict. ut sequitur.*

IN OFFICIO FERIALI.

Feriâ II et V.

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.)

Adaperiat Deus cor nostrum in lege sua, et in præceptis suis; et det nobis cor ómnibus, ut colámus eum. ℟. Amen.

BENEDICTIONES.

1. Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes.* 1.
2. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joan.* 5.
3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16.

Feriâ III et VI.

ABSOLUTIO.

(3. Reg. 8.)

Deus noster inclínet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus.

BENEDICTIONES.

1. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1.
2. Sciámus supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3.
3. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis, et dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2.

Feria IV et Sabbato.

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.)

Deus memínerit testamenti sui quod locútus est, et exáudiat oratiónes nostras.

BENEDICTIONES.

1. Pater Dómini nostri Jesu Christi det nobis Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. *Ephes.* 3.
2. Occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.
3. Deus spei répleat nos omni gáudio et pace in credendo; ut abundémus in spe et virtúte Spíritûs sancti. *Rom.* 15.

Si tertia Lectio sit de Evangelio, Benedictio erit in qualibet Feria.

Evangélium virtus Dei sit in salútem omni credenti. *Rom.* 1.

In Officiis B. M. V. *quæ sunt trium Lectionum,*

Absolutio secundùm Feriam.

Benedictiones ut suprà in II. Nocturno pro Festis Beatæ Mariæ Virginis.

In Festis Sanctorum, *quæ sunt trium Lectionum,*

Absolutio erit secundùm Feriam, Benedict. verò ut

suprà in II. Nocturno pro Festis Sanctorum.

In Feriis Adventus, *ac intrà Octavas Domini, et Beatæ Mariæ, si tertia Lectio sit de Sancto, tunc tertia* Benedictio *erit :*

Digni habeámur regno Dei cùm vénerit in Sanctis suis admirábilis fíeri. 1. *Thess.* 1.

In Festis *trium Lectionum, si tertia Lectio sit de Evangelio,* Benedictio *erit :*

Evangélium virtus Dei sit in salútem omni credenti. *Rom.* 1.

Lectiones et Responsoria habentur in Proprio de Tempore et de Sanctis.

Post ultimum Responsorium, dicitur, si dicendus sit, sequens

HYMNUS.

Te Deum laudámus, * te Dóminum confitémur.

Te æternum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli; * tibi cœli, et universæ potestátes;

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant :

Sanctus,
Sanctus,
Sanctus,
Dóminus Deus sábaoth.

Pleni sunt cœli et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem * immensæ majestátis :

Venerandum tuum verum, * et únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christé.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius :

Tu, ad liberandum susceptúrus hóminem, * non horruisti Vírginis úterum :

Tu, devicto mortis acúleo, * aperuisti credéntibus regna cœlórum :

Tu ad déxteram Dei sedes * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemisti.

Æternâ fac * cum Sanctis tuis in glóriâ numerări.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hæreditáti tuæ;

Et rege eos, * et extolle illos usque in æternum.

Per síngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuum in séculum, * et in séculum séculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostrî, Dómine; * miserére nostrî.

Fiat misericórdia tua,

Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi ; * non confundar in æternum.

Dicto Te Deum, *aut si non dicatur, post ultimum Responsorium, dicitur* ℣. *Sacerdotalis ; et si non continuò sequantur Laudes, hìc dicitur :*

Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Deindè Collecta *propria cum integra conclusione, et iterùm.*

Dóminus vobiscum. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. *Submissâ voce :* **Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.**

Pater noster, *secretò.*

Sic terminantur Laudes, Officium Capituli, Tertia, Sexta, Nona et Vesperæ, quando unam ex his Horis aliud Officium non sequitur.

In eo autem casu ante Laudes aut aliam quamcumque suprà dictam Horam, Officium præcedens continuò non sequentem, dicitur secretò Pater *et* Ave.

AD LAUDES.

Deus, ✠ in adjutórium meum intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto : Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sécula seculórum. Amen. Allelúia.

A Septuagesima ad Pascha, loco Allelúia, *dicitur,* Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Psalmi, Antiphonæ, Capitulum, Hymnus, Versiculus, ut notantur in Breviario.

In Solemnibus et suprà, Antiphona ad Benedictus *dicitur integra ante et post Canticum.*

CANTICUM ZACHARIÆ.

(Luc. 1.)

Benedictus Dóminus Deus Israel, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ ;

Et erexit cornu salútis nobis * in domo David púeri sui :

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à século sunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium qui odérunt nos ;

Ad faciendam misericórdiam cum pátribus nostris, * et memorári testamenti sui sancti :

Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis ;

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi,

In sanctitáte et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis ; * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus ;

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum ;

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris et in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Post Antiphonam, dicitur Dóminus vobiscum, *Collecta propria, etc. ut suprà.*

Si facienda sit aliqua Commemoratio, fit eo loco per Ant. quæ posita est ad Benedictus *in Officio de quo fit Commemoratio, et Versiculum qui habetur post Hymnum Laudum; deindè dicitur Collecta ut notatur in Proprio, quæ, si non sequatur alia Commemoratio, terminatur per integram conclusionem. Si autem plures sint, ultima tantùm integrâ conclusione finitur, et iterùm dicitur* Dóminus vobiscum. Benedicámus Dómino, *etc.*

In Feriis Adventus ante Collectam dicuntur Preces, ut habentur in Proprio de Tempore, 174.

In Feriis autem à Præsentatione Domini ad Quadragesimam post ultimam Commemorationem, si quæ sint, fiunt Suffragia ut sequitur.

DE S. CRUCE.

[*In Officio Feriali tantùm.*]

Ant. Peccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus. 1. *Petr.* 2.

℣. Ipse rédimet Israel ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps.* 129.

COLLECTA. ℣ Orémus.

Perpetua nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es; Qui vivis et regnas Deus.

℟. Amen.

DE B. MARIA VIRGINE.

Ant. Benedicentur in te et in sémine tuo cunctæ tribus terræ. *Gen.* 28.

℣. Pópuli confitebuntur tibi in æternum : ℟. Mémores erunt nóminis tui. *Ps.* 44.

COLLECTA. Orémus.

Concede nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis et córporis sanitáte gaudére; et gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítia, et æternâ pérfrui lætítiâ; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.]

Posteà fit Commem. de Patrono Ecclesiæ, ac de Titulari, si à Patrono differat. Si autem Ecclesia dedicata sit sub titulo SS. Trinitatis, aut S. Spiritûs, vel alicujus ex Mysteriis Christi, ejusmodi Commemoratio fit suo loco, ante vel post Orationem de Cruce; sed semper ante Suffragium de Beatâ. Quòd si in honorem S. Crucis dedicata sit, supradicta Commem. de Cruce fit

in Festis simplicibus.
sub invocatione B. Ma-
on fit alia Commemor.
quàm quæ hìc habetur.

Cathedrali, et in tota
...

DE S. LEONTIO.

Curávit gentem suam
...vit eam à perditió-
...li. 50.
Pavit eos in innocén-
...dis sui; ℟. Et in in-
...ibus mánuum suárum
...it eos. *Ps.* 77.

...LLECTA. Orémus.

Pontíficis Leóntii suf-
... recolentes, quæsu-
Dómine, ut et ipsius
...nio lætári, et vene-
virtútum exempla
...mur imitári; Per
...tum Dóminum nos-
℟. Amen.

...deà fit Commem. de om-
Sanctis, et speciatim de
...rum Corpora aut sal-
...liquiæ habentur.

...t. Hi sunt ante thro-
Dei, et sérviunt ei die
...cte in templo ejus; et
...det in throno, habitá-
...per illos. *Apoc.* 7.
In æternum exultá-
et habitábis in eis; ℟.
...riabuntur in te, Dó-
Ps. 5.

Collecta sequenti, extra
. omittitur vox [hac].

...LLECTA. Orémus.

...TIARE, quæsumus, Dómine, fámulis tuis, per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiescunt, et ómnium Sanctórum, mérita gloriósa; ut eórum intercessióne ab ómnibus semper protegámur adversis; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

ULTIMO, PRO PACE.

Ant. Deus qui fecit nobiscum secundùm suam misericórdiam, det nobis jucunditátem cordis, et fíeri pacem in diébus nostris. *Eccli.* 50.

℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit: ℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *Ps.* 28.

COLLECTA. Orémus.

Deus, à quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut, et corda nostra mandátis tuis dédita, et, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.
℣. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

AD PRIMAM.

Pater, Ave, *si separetur à Laudibus.*

℣. Deus, ✝ in adjutórium meum intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.
Glória Patri.

HYMNUS.

Jam lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Nostras ut ipse dírigat,
Lux increáta, sémitas.

Nil lingua, nil peccet manus,
Nil mens ináne cógitet:
In ore simplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Christe, custos pérvigil,
Quas sævus hostis óbsidet
Portas tuére sénsuum.

Præsta diurnus ut tuæ
Subsérviat laudi labor:
Auctóre quæ te cœpimus,
Da te favente prósequi.

Superba ne nimis caro
Menti licenter ímperet;
Carnis domet supérbiam
Potûs cibíque párcitas.

* Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

* *Hæc Doxologia omittitur, quando alia assignatur, in Proprio de Tempore vel de Sanctis; et sic ad alias Horas.*

[*In Dominicis à Præsentatione Domini ad Septuagesimam et in Feriali Officio, Psalmi et Antiph. dicuntur ut in Psalterio assignantur pro singulis diebus.*

In aliis Dominicis, in Feriis Adventûs, et in quocumque Festo, Antiphona sumitur de Proprio, vel de Communi, et est prima de Laudibus, nisi propria assignetur; Psalmi autem dicuntur ut in Psalterio.]

[*Quoties dicti sunt Psalmi de Dominica, dicitur sequens,*

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

Eratis aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut Fílii lucis ambuláte; fructus enim lucis est in omni bonitáte, et justítiâ, et veritáte : probantes quid sit beneplácitum Deo.

℟. Deo grátias.]

Aliis diebus,

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

Videte, fratres, quómodò cautè ambulétis, non quasi insipientes, sed ut sapientes; redimentes tempus, quóniam dies mali sunt.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. ℣. Qui sedes * ad déxteram Patris. [*Hic versus quandoquè mutandus est, ut notatur in Proprio.*] * Miserére nobis. Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis.

Matth. 16. *Tob.* 8. *Heb.* 1.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

[*In omni Officio Semiduplici et suprà, et à Circumcisione Domini ad Præsentationem ejusdem, et quando fit Officium B. Mariæ in Sabbato, hic dicitur* Dóminus vobiscum, *deindè Collecta* Dómine, Deus, *ut infrà.*]

Aliis diebus dicuntur sequentes

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. *Ps.* 87.

℣. Repleátur os meum laude; ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

℣. Averte fáciem tuam à peccátis meis; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. *Ps.* 50.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui; ℟. Et spíritu principáli confirma me. *Ps.* 50.

[*In Feriis Adventûs adduntur sequentes* ℣℣. *ante* Adjutórium.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo: ℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. *Ps.* 58.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem; ℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ps.* 58.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. *Ps.* 60.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, et doce me; ℟. Quia tu es Deus salvátor meus. *Ps.* 24.

℣. Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, ℟. Et misericordiárum tuárum quæ à século sunt. *Ps.* 24.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. *Ps.* 102.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et noli oblivisci omnes retributiónes ejus. *Ps.* 102.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. *Ps.* 102.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam; ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. *Ps.* 102.

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum: ℟. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102.]

[*Deindè signando se signo Crucis,*

℣. Adjutórium nostrum ✝ in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum et terram. *Ps.* 123.

Hebdomadar. facit Confessionem, mediocri voce dicens:

Confiteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, [et vobis, fratres] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere, *ad sequentia verba ter percutitur pectus:* meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, [et vos, fratres,] oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus dicit:

Misereatur tuî omnípotens Deus; et, dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam æternam. *Hebdomadarius respondet,* Amen.

Deindè Chorus facit Confessionem; et ubi dictum est vobis, fratres, *et vos,* fratres, *dicit* tibi, pater, *et* te, pater.

[*Mulieres in suis Conventibus, loco* fratres *et* pater, *dicunt,* soróres *et* mater.]

Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit:

Misereatur vestrì omnípotens Deus; et, dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

[*Qui solus recitat, semel dicit,* Confíteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, et additâ particulâ* et, *ante voces* ómnibus *et* omnes. *Deindè* Misereátur, *semel, ad quod dicit,* nostrî, nostris, nós. *Idem observatur quando nullus adest Presbyter.*

Deindè signando se signo Crucis,

Indulgentiam, ✝ absolutiónem, et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Elevans, vocem dicit:

℣. Exaudi nos, Deus, salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64.

℣. Miserére nostrî, Dómine; ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum.

COLLECTA. Orémus.

Domine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecisti, tuâ nos hódiè salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam

nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes et ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

AD OFFICIUM CAPITULI.

Primò fit lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur; sed statim Hebdomadarius dicit : ℣. Pretiósa, *et cetera quæ sequuntur; si verò non legatur Martyrol. Officium Capituli incipitur absolutè sic :*

℣. Pretiósa in conspectu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

SANCTA María, et omnes Sancti ádjuvent nos in oratiónibus suis pro nobis ad Deum; ut secundùm eum qui vocávit nos, Sanctum, et ipsi in omni conversatióne sancti simus. *Rom.* 15. 1. *Petr.* 1. ℟. Amen.

[*Deindè, ubi legitur Necrologium, post ejus lectionem dicitur Ps.* De profundis, 84, *et in fine,* Réquiem, *cum* ℣℣. Requiescant in pace. Sancta et salúbris. Dómine exaudi, Dóminus vobiscum, *deindè Collecta ut sequitur; ubi verò non legitur Necrologium, dicitur tantùm sequens* ℣. *cum Collecta.*]

℣. Sancta et salúbris est cogitátio pro Defunctis exoráre, ℟. Ut à peccátis solvantur. 2. *Mach.* 12.

ABSOLVE, quæsumus, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glóriâ, inter sanctos et electos tuos ressuscitáti respírent: per eum qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et séculum per ignem.

℟. Amen.

[*In Dominicis et Festis feriatis à populo, hic fit Lectio Canonis ut infrà.*]

Aliis diebus dicuntur sequentes

PRECES AD OPERA DIURNA.

℣. Deus, in adjutórium meum intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

℣. Deus, in adjutórium meum intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua. ℟. Et dírige fílios eórum.

℣. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; ℟. Et ópera mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89.

Glória Patri, *et* Sicut erat.

COLLECTA. Orémus.

DIRIGERE et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre,

Dómine Deus, Rex cœli et terræ, hódiè corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros, in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum; ut hìc, et in æternum, te auxiliante, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis et regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

LECTIO CANONIS.

Lector, Jube, domne, benedícere. [*Lectrix dicit*, domna;*solus vel sola recitans, dicit absolutè*] *Bened.* Det Dóminus leges suas in mentem nostram, et in corde nostro superscríbat eas. *Hebr.* 8.

℟. Amen.

Tum fit lectio Canonis, qui pro singulis diebus habetur ad calcem Breviarii; in cujus fine dicitur, Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

Post Lectionem, Hebdomadarius dicit : ℣. Adjutórium ✝ nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum et terram. *Ps.* 123.

Submissiori voce dicit : Benedícite. *Lector versus ad eum,* Deus: *Hebd.* Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciámus ejus voluntátem, fáciens in nobis quod pláceat coram se, per Jesum Christum : cui est glória in sécula seculórum. *Hebr.* 13. *Lector,* ℟. Amen.

Post quamlibet Horam, si aliud Officium non sequatur, dicitur secretò :

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. Amen. *Deinde,* Pater noster.

AD TERTIAM.

Pater, Ave, *si separetur à Prima.*

℣. Deus, ✝ in adjutórium meum, *etc.*

HYMNUS.

O FONS amóris, Spíritus,
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

QUI caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Arctis coapta néxibus.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

[*In Dominicis à Præsentatione Domini, et in Feriali Officio, Psalmi et Antiphonæ dicuntur, ut singulis diebus assignantur in Psalterio.*

In quocumque alio Officio, Antiphona semper sumitur de Proprio, vel de Communi, et est secunda de Laudibus, nisi propria assignetur. Psalmi autem dicuntur ut in Psalterio.]

Capitulum et ℟. *breve sumuntur ubi sumitur Antiphona super Psalmos; et sic ad alias Horas.*

PRECES.

Quando ad Laudes dictæ sunt Preces, tunc ad Tertiam, Sextam et Nonam, hæ dicuntur, flexis genibus:

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos; ℟. Et ostende fáciem tuam, et salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum. *Collecta conveniens.*

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino.

AD SEXTAM.

Pater, Ave, *si separetur à Tertia.*

℣. Deus, ✝ in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

HYMNUS.

NUNC solis excelsum jubar
Toto coruscat lúmine;
Sic, Christe, tu mundum novâ,
Sol verus, accendis face.

FAC pura nostris fúlgeat
Lux veritátis méntibus;
Fac nostra plenam cáritas
Crescendo surgat ad diem

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. Psalmi, Capit. ℟. br. ut in Psalt. aut in Proprio. Preces, si dicendæ sint, ut supra ad Tertiam.

Collecta conveniens.

AD NONAM.

Pater, Ave, *si separetur à Sexta.*

℣. Deus, ✝ in adjutórium.

HYMNUS.

PRONO volútus ímpetu
Inclinat in noctem dies
Sic vita suprémam cito
Festínat ad metam gradu.

O CHRISTE, dum fixus cruci
Expandis orbi bráchia,
Amáre da crucem; tuo
Da nos in amplexu mori.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. Psalmi, Capitul. ℟. br. ut in Psalt. aut in Proprio. Preces, si dicendæ sint, ut suprà ad Tertiam.

Collecta conveniens.

AD VESPERAS.

Pater, Ave, *si separentur à Nona.*

℣. Deus, ✝ in adjutórium meum intende, *etc.*

Psalmi ut in Psalterio,

Antiphonæ et Capitulum vel de Psalterio, vel de Proprio.

In I Vesperis Duplicium-majorum, et suprà, ac etiam in II Vesperis Annualium et Solemnium, à Septuagesimâ ad Pascha, dicitur Responsorium ut in Proprio vel in Communi; extrà Septuagesimam verò, in II Vesperis Annualium et Solemnium, loco Responsorii, post Capitulum dicitur Allelúia *cum* ℣. *ut in Proprio vel in Communi.*

Sequitur Hymnus et ℣.

Antiphona ad Magníficat, *in Solemnibus et suprà, dicitur integra ante et post Canticum.*

CANTICUM B. MARIÆ VIRGINIS.

(Luc. 1.)

MAGNIFICAT * ánima mea Dóminum.

Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo;

Quia respexit humilitátem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est; * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Depósuit potentes de sede; * et exaltávit húmiles.

Esurientes implévit bonis, * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham et sémini ejus in sécula.

Post Antiphonam, dicitur: Dóminus vobiscum. *Collecta conveniens. Deindè*

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Si faciendæ sint Commemorationes de Sanctis, fiunt eo loco.

Posteà à Præsentatione Domini ad Quadragesimam in Simplicibus et Feriis, fiunt Suffragia, seu Commemorationes Communes, ut sequitur.

DE SANCTA CRUCE.

[*In Officio Feriali tantùm.*]

Ant. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Galat.* 6.

℣. In Deo salutáre meum,

℟. Et glória mea. *Ps.* 61.

COLLECTA. Orémus.

PERPETUA nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es, Qui vivis et regnas Deus. ℟. Amen.

DE B. MARIA.

Ant. Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

℣. Ipse est Dóminus Deus tuus; et adorábunt eum:

℟. Vultum tuum depreca-

buntur omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

COLLECTA. Orémus.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis et córporis sanitáte gaudére, et gloriósâ beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítia, et æternâ pérfrui lætítiâ; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Posteà fit Commem. de Patrono et Titulari ut dictum est suprà, 156.

In Cathedrali, et in tota Diœcesi.

DE S. LEONTIO.

Ant. Hic est fratrum amátor et pópuli: hic est qui multùm orat pro pópulo, et universâ civitáte. 2. *Mach.* 15.

℣. Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: ℟. Nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum. *Ps.* 19.

COLLECTA. Orémus.

BEATI Pontíficis Leóntii suffrágium recolentes, quæsumus, Dómine, ut et ipsíus patrocínio lætári, et veneranda virtútum exempla mereámur imitári; Per Christum, *etc.* ℟. Amen.

Deindè de omnibus Sanctis et speciatim de iis quorum Corpora aut saltem Reliquiæ habentur.

Ant. Fulgébunt justi sicut sol in regno Patris eórum. *Matth.* 13.

℣. Justi confitebuntur nómini tuo, Dómine; ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Ps.* 139.

COLLECTA. Orémus.

PROPITIARE, quæsumus, Dómine, fámulis tuis, per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiescunt, et ómnium Sanctórum, mérita gloriósa; ut eórum intercessióne ab ómnibus semper protegámur adversis; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

ULTIMO, PRO PACE.

Ant. Deus memínerit testamenti sui, et fáciat pacem; nec déserat in témpore malo. 2. *Mach.* 1.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem ℟. In plebem suam. *Ps.* 84.

COLLECTA. Oremus.

DEUS, à quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut, et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, *etc.*

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino

℟. Deo grátias

AD COMPLETORIUM.

Pollice signando pectus, absolutè dicitur

Converte ✝ nos, Deus salutáris noster; ℟. Et averte iram tuam à nobis. *Ps.* 84.

℣. Deus, ✝ in adjutórium.

Antiphona et Psalmi ut in Psalterio, nisi assignetur Antiphona propria.

In Adventu,

HYMNUS.

In noctis umbrâ désides
Dum somnus artus óccupat,
Ad te, Deus, fidélibus
Mens éxcubat suspíriis.

Desiderate géntibus,
Verbum Patris, mundi salus,
Audi preces geméntium,
Tandemque lapsos éxcita.

Adsis, Redemptor; et tuæ
Plebis relaxans crímina,
Adæ scelus quas cláuserat,
Reclúde cœlestes domos.

Qui liberátor ádvenis,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

A Vigilia Natalis Domini ad Præsentationem ejusdem exclusivè, in quolibet officio.

HYMNUS.

Mundi salus qui násceris,
Jesu puer, nos réspice:
Da móribus castis tuam
Referre nos infántiam.

Fessos diurno dum levat
Labóre nocturnus sopor,
Defende, Pastor, béstiis
Tuas ab infestis oves.

O Virgo, quæ paris Deum
Fovesque lactentem sinu;
Hunc flecte nobis quâ vales,
Benigna mater, grátiâ.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

A crastino Præsentationis Domini, ad Septuagesimam.

HYMNUS.

Grates, peracto jam die,
Deus, tibi persólvimus;
Pronóque, dum nox íncipit,
Prostérnimus vultu preces.

Quod longa peccávit dies,
Amárus éxpiet dolo
Somno gravátis ne nova
Inflígat hostis vúlnera.

Infestus usque círcuit
Quærens leo quem dévoret:
Umbrâ sub alárum tuos
Defende fílios, Pater.

O quando lucescet tuus
Qui nescit occásum dies!
O quando sancta se dabit
Quæ nescit hostem pátria!

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus
Amen.

Tempore Septuagesimæ

HYMNUS.

O splendor æterni Patris,
Tu, Christe, qui verus dies,
Et vera lux de lúmine,
Mentis fugas calíginem:

En solis abscessit jubar,

Noctisque succédunt vices :
Qui prósperum donas diem,
Da tuta noctis ótia.
Si clausa torpent lúmina,
Suspíret ad te mens vigil :
Potente, qui te díligunt,
Servos tuére déxterâ.
Tu quos molesti córporis
Gravis retardat sárcina,
Fac mentis alis líbero
Sursum volátu téndere.
O spes salútis única,
Votis adesto súpplicum :
Defende quos mercátus es
Mercéde fusi sánguinis.
Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

In omni Officio de Beata Maria Virgine in Adventu, et à Præsentatione Domini inclusivè

HYMNUS.

Virgineis títulis Matris quæ jungis honóres :
Hàc natos fóveas nocte, benigna, tuos.
Fulgida stella maris, secli dum mérgimur undis,
Sis lux in ténebris et benè fida quies.
Si sopor obrépit, casti fac Mater amóris,
Cor vígilans uno spiretamóre Dei.
Numinis alma Parens, própiùs res áspice nostras :
Plebis ames dici vita salusque tuæ.
Gloria summa Patri; compar sit glória Nato;
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus.
Amen.

[*Quoties dicti sunt Psalmi de Dominica, dicitur sequens*

Capitulum. (1. *Thess.* 5.)

Omnes vos fílii lucis estis, et fílii diéi : non sumus noctis, neque tenebrárum : ígitur non dormiámus sicut et céteri, sed vigilémus et sóbrii simus. ℟. Deo grátias.]

Aliis diebus,

Capitulum. (1. *Petr.* 5.)

Sobrii estóte, et vigiláte; quia adversárius vester diábolus, tanquam leo rúgiens, círcuit quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, * Commendo spíritum meum. In manus tuas. ℣. Redemisti me, Dómine, * Deus veritátis :* Commendo. Glória Patri. In manus. *Ps.* 30.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi : ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

In Adventu,

Ant. 5. a. Salutáre tuum.

Tempore Nativitatis,

Ant. 4. D. Dómine.

A Præsentatione Domini ad Septuagesimam,

Ant. 3. c. Sive vigilémus.

Tempore Septuagesimæ,

Ant. 8. c. Moriátur.

CANTICUM SIMEONIS.

(Luc. 2.)

Nunc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum, in pace;

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parasti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israel.

In Adventu, Ant. Salutáre tuum expectábo, Dómine. *Gen.* 49.

Temp. Nat. Ant. Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Joan.* 11.

A Præsentatione ad Septuagesimam, Ant. Sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum Christo vivámus. 1. *Thess.* 5.

Tempore Septuagesimæ, Ant. Moriátur ánima mea morte justórum, et fiant novíssima mea horum simília. *Num.* 23.

In Semiduplicibus et suprà, et à Circumcisione Domini ad ejus Præsentationem hìc dicitur Dóminus vobiscum, *deinde Collecta, ut infrà; aliis diebus dicuntur sequentes*

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. *Sed* líbera nos à malo.

℣. Benedictus es, Dómine, Deus patrum nostrórum; ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sécula. *Dan.* 3.

℣. Benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum; ℟. Et laudábile, et superexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3.

℣. Benedictus es in firmamento cœli; ℟. Et laudábilis, et gloriósus in sécula. *Dan.* 3.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noster: ℟. Benedícat nos Deus. *Ps.* 66.

Deinde fit Confessio ut suprà ad Primam, 160.

℣. Exaudi nos, Deus salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64.

℣. Miserére nostrî, Dómine; ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exaudi, oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

COLLECTA. Orémus.

Illumina, quæsumus, Dómine, ténebras nostras, et totíus hujus noctis insídias tu à nobis repelle propítius; Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs

sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

[*Si domi dicatur, loco præcedentis Collectæ dicitur sequens*

COLLECTA. Orémus.

Visita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longè repelle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen]

℣. Dóminus vobiscum,
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Finito Completorio, submissâ voce dicitur : Grátia Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis. [*Solus vel sola recitans*, nobis.] 2. *Cor.* 13. ℟. Amen.

Posteà dicitur una ex Antiphonis de B. Maria Virgine, ut sequitur, et quidem flexis genibus, exceptis Dominicis et Festis Domini à I Vesperis.

ANTIPHONÆ DE B. MARIA VIRGINE.

In Adventu.

Alma Redemptóris mater, quæ pérvia cœli
Porta manes, et stella maris, succurre cadenti,
Súrgere qui curat, pópulo: tu quæ genuisti,
Natúrâ mirante, tuum sanctum genitórem:
Virgo priùs ac postériùs, Gabriélis ab ore
Sumens illud Ave, peccatórum miserére.

℣. Deus in médio ejus: ℟. Non commovébitur. *Ps.* 45.

COLLECTA. Orémus.

Gratiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infunde; ut qui, Angelo nuntiante, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur; Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

A die Natalis Domini ad Præsentationem ejusdem inclusivè, Ant. Alma, *suprà.*

℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 85.

COLLECTA. Orémus.

Da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo inviolábilem fídei firmitátem; ut qui Unigénitum tuum in tua tecum glória coæternum, in veritáte nostri córporis natum de Matre Vírgine confitémur; eádem sanctíssimâ Genitríce intercedente, et à præséntibus liberémur advérsis, et mansúris gáudiis inserámur: Per eumdem Christum. ℟. Amen.

A crastino Præsentationis Domini ad Feriam IV in Cœna Domini exclusivè.

Ave, Regína cœlórum,
Ave, dómina Angelórum:
Salve, radix; salve, porta,
Ex qua mundo lux est orta:
Gaude, Virgo gloriósa,
Super omnes speciósa:
Vale, ô valde decóra,
Et pro nobis Christum exóra.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

COLLECTA. Orémus.

Concede, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eumdem Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Post completum Offic. dicitur secretò, Pater. Ave. Credo.

Deindè ad devotionem dicitur Oratio sequens.

Orationem sequentem devotè post Officium recitantibus Leo Papa X, defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit.

SACRO-SANCTÆ et indivíduæ Trinitáti, Crucifixi Dómini nostri Jesu Christi Humanitáti, beatíssimæ et gloriosíssimæ semperque Vírginis Maríæ fœcundæ Integritáti, et ómnium Sanctórum Universitáti, sit sempiterna laus, honor, virtus et glória, ab omni creatúra, nobisque remissio ómnium peccatórum, per infiníta sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Beáta Víscera Mariæ Vírginis, quæ portavérunt æterni Patris Fílium;

℟. Et beáta Ubera quæ lactavérunt Christum Dóminum.

Pater noster. Ave, María.



RÉSURRECTION

PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS HIEMALIS.

IN ADVENTU.

In Dominicis Adventus, Officium fit à primis Vesperis ut habetur infrà in qualibet Dominica :

In Feriis fit ut sequitur.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Ante diem 16 *Decembris.*

INVITATORIUM.

Dominum Deum qui ventúrus est, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 1.

Die 16 *Decembris, et deinceps, dicitur sequens*

INVITATORIUM.

Dominus propè est : * Veníte, adorémus. *Philip.* 4.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Instantis adventum Dei
Poscámus ardenti prece;
Festisque munus ínclytum
Præoccupémus cánticis.

Æterna Proles féminæ
Non horret inclúdi sinu;
Fit ipse servus, ut jugo
Nos servitútis éximat.

Mansuetus et clemens venit;
Occurre, festína, Sion :
Ultrò tibi quam pórrigit,
Ne dura pacem réspuas.

Mox nube clarâ fúlgurans
Mundi redíbit árbiter,
Suíque membra córporis
Cœlo triumphátor vehet.

Fœtus tenebrárum, dic
Cedant propinquo crímina :
Adam reformétur vetus,
Imágo succédat novi.

Qui liberátor ádvenis,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

Psalmi de Psalterio, secundùm Feriam, et sic ad cæteras Horas.

Antiphonæ, ℣. *et tria* ℟℟℟. *sumuntur de Dominica præcedenti, ex I et II Nocturno alternatim, ut notatur in qualibet Feria.*

Non dicitur Te Deum.

℣. *Sacerd.* Miserére nostri, Deus ómnium, et réspice nos; ℟. Et ostende nobis lucem miseratiónum tuárum. *Cantic. Eccli.* 36.

AD LAUDES.

Ant. 2. D. Consurge, consurge, indúere fortitúdinem, bráchium Dómini : consurge sicut in diébus antíquis. *Is.* 51

Ant. 1. g. Obsecro, Dómine, mitte quem missúrus es. *Exod.* 4.

Ant. 3. c. Ostende, Dómine, fáciem tuam : placáre, Dómine, ne moréris. *Dan.* 9.

Ant. 7. d. Utinam dirúmperes cœlos, et descénderes? à fácie tuâ montes deflúerent. *Is.* 64.

Ant. 6. F. Expectátio Israel, Salvátor ejus in témpore tribulatiónis, ne derelinquas nos. *Jerem.* 14.

Capitulum. (*Zach.* 6.)

Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens : Ecce vir, Oriens, nomen ejus ; et subter eum oriétur, et ædificábit templum Dómino.

HYMNUS.

Jordanis oras prævia
Vox ecce Baptistæ quatit :
Præcónis ad grandes sonos
Ignávus abscédat sopor.

Auctoris adventum sui
Tellus, et æther, et mare
Prægestiente séntiunt,
Et jam salútant gáudio.

Mundemus et nos péctora :
Deo propinquanti viam
Sternámus; et dignam domum
Tanto parémus hóspiti.

Tu nostra, tu, Jesu, salus;
Tu robur et solátium :
Arens ut herba, te sine
Mortále tabescit genus.

Ægris salutárem manum
Extende : prostrátos leva :
Ostende vultum, jam suus
Mundo reflorescet decor.

Qui liberátor ádvenis,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Tu exurgens, Dómine, miseréberis Sion; ℟. Quia venit tempus miserendi ejus. *Ps.* 101.

Ad Benedictus, *Antiphona propria, ut infrà in qualibet Feria.*

Post Antiph. dicuntur sequentes Preces, *sed non flexis genibus, nisi sit dies jejunii, aut aliter indictum.*

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò.*

Altâ voce. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum; ℟. Donec misereátur nostrî. *Ps.* 122.

℣. Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine? ℟. Sicut jurasti David in veritáte tua. *Ps.* 88.

℣. Exurge, Dómine Deus, exaltétur manus tua ; ℟. Ne obliviscáris páuperum. *Ps.* 9.

℣. Orémus pro universo Clero. ℟. Sacerdótes sanctificáti ímmolent : fratres étiam suos præparent. 2 *Paral.* 35.

℣. Pro Papâ nostro *N.* ℟. Protector noster áspice,

Deus, et réspice in fáciem Christi tui. *Ps.* 83.

℣. Pro Antístite nostro N. ℟. Mitte de cœlis sapiéntiam, ut cum eo sit et labóret, *Sap.* 9.

℣. Pro Ecclésiâ sanctâ Dei. ℟. Deus virtútum, réspice de cœlo, et vide, et vísita víneam istam. *Ps.* 79.

Pro Rege nostro *N.* ℟. Magnífica salútes Regis, et fac misericórdiam Christo tuo et sémini ejus. *Ps.* 17.

℣. Pro cuncto Pópulo. ℟. Animas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem; Réspice in testamentum tuum. *Ps.* 73.

℣. Pro Pace. ℟. Oriátur in diébus Dómini justítia et abundántia pacis. *Ps.* 71.

℣. Pro Frátribus nostris abséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis et rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Pro Infirmis, Afflictis et Captívis. ℟. Líbera, Deus, Israel, ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro cunctis Fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, et vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

Deinde dicitur Psalmus De profundis, *cum* Glória Patri, *ut in Vesp. Fer. quartæ,* 84.

Finito Psalmo dicitur.

℣. Dómine Deus virtútum convérte nos: ℟. Et ostende fáciem tuam, et salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Collecta de Dominica præcedenti, nisi propria assignetur.

Deinde fiunt Commemorationes de Sanctis, si quæ occurrant.

Postremò fit Commemoratio de Beata Maria Virgine Deum paritura.

Ant. María invenisti grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries Fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam: ℟. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Ps.* 131.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti; præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spiritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino.

Hæc Commemoratio fit ad Laudes, toto Tempore Adventûs, etiam in Festis, exceptis Solemnibus, et supra, et nisi aliter notetur.

Ad Horas, in fine Hymnorum, dicitur Doxologia sequens, etiam in Festis, nisi aliter notetur.

Mundo redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, cumque spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Consurge, *prima de Laudibus.*

In ℟. *br.* ℣. Qui ventúrus es in mundum, * Miserére.

Et sic dicitur etiam in Festis, nisi aliter notetur.

Preces, ut in Ordinario Brev. 159, *sed non flexis genibus, nisi sit dies jejunii.*

Canon, ut habetur pro singulis diebus ad calcem Breviarii.

Cetera omnia ut in Ordinario Brev. 161.

AD TERTIAM.

Ant. 1. g. Obsecro.

Capitulum. (*Isaiæ* 62.)

Propter Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiescam, donec egrediátur ut splendor Justus ejus, et salvátor ejus ut lampas accendátur.

℟. *br.* Memento nostrî, Dómine, * In beneplácito pópuli tui. Memento. ℣. Vísita nos in salutári tuo, * In beneplácito pópuli tui. Glória Patri. Memento. *Ps.* 105.

℣. Quis dabit ex Sion salutáre Israel? ℟. Cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, et lætábitur Israel. *Ps.* 52.

Preces, sed non flexis genibus, nisi sit dies jejunii, ut in Ord. Brev. 163.

Collecta de Laudibus Dominicæ nisi sit propria, et sic ad Sextam et Nonam.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Ostende.

Capitulum. (*Isaiæ* 46.)

Audite me, duro corde, qui longè estis à justítia : propè feci justítiam meam ; non elongábitur, et salus mea non morábitur.

℟. *br.* Ostende nobis, Dómine, * Misericórdiam tuam. Ostende. ℣. Et salutáre tuum da nobis : * Misericórdiam tuam. Glória Patri. Ostende nobis, Dómine. *Ps.* 84.

℣. Mirífica misericórdias tuas, ℟. Qui salvos facis sperantes in te. *Ps.* 16.

Preces ut in Ordrinario Breviarii 163, *sed non flexis genibus, nisi sit dies jejunii.*

AD NONAM.

Ant. 1. f. Expectátio Israel.

Capitulum. (*Jerem*. 50.)

In témpore illo, ait Dóminus, quærétur iníquitas Israel, et non erit: et peccátum Juda, et non inveniétur; quóniam propítius ero eis quos relíquero.

℟. *br*. Prope timentes Dóminum * Salutáre ipsíus. Prope timentes. ℣. Ut inhábitet glória * in terra nostra, * Salutáre ipsíus. Glória Patri. Prope timentes Dóminum.

℣. Justítia ante eum ambulábit: ℟. Et ponet in via gressus suos. *Ps*. 84.

Preces ut in Ord. Brev. 163, *sed non flexis genibus, nisi sit dies jejunii.*

AD VESPERAS.

Psalmi de Psalterio, secundùm Feriam; Antiphonæ ut suprà in Laudibus.

Capitulum. (*Habac*. 2.)

Apparebit in finem, et non mentiétur: si moram fécerit, expecta illum; quia véniens véniet, et non tardábit.

HYMNUS.

Statuta decréto Dei
Tandem propinquant témpora:
Emptus tot annórum morâ
Affulget è cœlo dies,

Patris nefando crímine
Proles jacébat sáucia:
In mortis umbra cónditum
Sedébat humánum genus.

Morti secundæ débitos
Et sempiternis ígnibus
Horrenda justi Júdicis
Manébat expectátio.

Heu! quis ruínæ tam gravis
Sarcíre damna; quæ manus
Afferre tam grandi queat
Parem medélam vúlneri?

Tu Christe, tu solus tuo
Delapsus è throno Deus,
Imágini potes tuæ
Formam decusque réddere.

Rorate, cœli, désuper;
Justumque fœcundo sinu
Complexa tellus, pérdito
Orbi salútem gérminet.

Sit sempiterna laus tibi,
Verbum Patris factum caro,
Cum Patre, cumque Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

℣. Adjútor meus et protector meus tu es: ℟. Deus meus, ne tardáveris. *Ps*. 39.

Ad Magníficat, *Antiphona propria, ut infrà in qualibet Feria.*

Collecta Dominicæ præcedentis, vel propria.

Deinde fiunt Commemorationes de Sanctis occurentibus.

Postremò fit Commemoratio de B. Maria Virgine Deum paritura.

Ant. María inventa est in útero habens de spíritu sancto. *Matth*. 2.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps*. 131.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntíante carnem suscípere voluisti; præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

Et hæc Commemoratio fit ad Vesperas, usque ad diem 15 *decemb. etiam in Festis, exceptis Solemnibus et suprà, et nisi aliter notetur.*

AD COMPLETORIUM.

Ant. et Psalmi de Psalterio, cætera ut in Ordinario Breviarii, 166.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Duplex-Majus.

IN I VESPERIS.

Psalmi de Sabbato.

Ant. 1. a. Præparáre in occursum Dei tui, Israel. *Amos* 4.

Ant. 7. d. Lætáre et exulta, rex Israel Dóminus in médio tuî. *Sophon.* 4.

Ant. 6. F. Non timébis malum ultrà : Dóminus fortis, ipse salvábit. *Sophon.* 3.

Ant. 3. a. Hoc est nomen quod vocábunt eum, Dóminus justus noster. *Jerem.* 33.

Ant. 5. a. Dóminus spes pópuli sui, et fortitúdo filiórum Israel. *Joel* 3.

Capitulum. (*Jerem.* 23.)

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen justum; et regnábit rex, et sápiens erit, et fáciet judícium et justítiam in terra. ℟. Deo grátias.

℟. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant Justum : * Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem; et justítia oriátur simul. ℣. Christus Jesus factus est nobis sapiéntia à Deo, et justítia, et redémptio. * Aperiátur. Glória. * Aperiátur. *Is.* 45. 1. *Cor.* 1.

Hymn. Statúta, *suprà*, 177.

℣. Oriétur in diébus ejus justítia ℟. Et abundántia pacis :

Ad Magníficat, *Ant.* J. Sicut terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum gérminat; sic Dóminus Deus germinábit justítiam et laudem coram universis géntibus. *Is.* 61.

Collecta, Excita, quæsumus, Dómine, *ut infrà ad Laudes.*

Ad Completorium, *ut in Ordinario Breviarii, servatis quæ propria sunt Tempori Adventûs.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Dominum Deum qui ven-

túrus est, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Instantis adventum Dei, *suprà, p.* 173.

Psalmi de Dominica, ut in Psalterio.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ: dícite fíliæ Sion, Ecce Salvátor tuus venit. *Is.* 62.

Ant. 1. a. Rex tuus véniet tibi justus, et salvátor; et loquétur pacem géntibus. *Zach.* 9.

Ant. 7. d. Congregábit Israel, et custódiet eum sicut pastor gregem suum; redémit enim Dóminus Jacob, et liberávit eum. *Jerem.* 31.

℣. Salvos nos fac, Dómine Deus noster, et cóngrega nos de natiónibus; ℟. Ut confiteámur nómini sancto tuo. *Ps.* 105.

Pater noster, *Absol. et Benedict. ut suprà in Ordinario Breviarii.*

LECTIO I.

Incipit liber Isaíæ Prophétæ.

(Cap. 1.)

Visio Isaíæ fílii Amos, quam vidit super Judam et Jerúsalem in diébus Ozíæ, Jóathan, Achaz, et Ezechíæ, regum Juda. Audíte, cœli; et áuribus pércipe, terra, quóniam Dóminus locútus est: Fílios enutrívi, et exaltávi; ipsi autem sprevérunt me. Cognóvit bos possessórem suum, et ásinus præsépe dómini sui; Israel autem me non cognóvit, et pópulus meus non intellexit. Væ genti peccatríci, pópulo gravi iniquitáte, sémini nequam, fíliis scelerátis: dereliquérunt Dóminum, blasphemavérunt Sanctum Israel, abalienáti sunt retrorsùm. Super quo percútiam vos ultrà, addentes prævaricatiónem? Omne caput lánguidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad vérticem non est in eo sánitas: vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligáta, nec curáta medicámine, neque fota óleo. Terra vestra deserta; civitátes vestræ succensæ igni: regiónem vestram coram vobis aliéni dévorant, et desolábitur sicut in vastitáte hostíli. Et derelinquétur fília Sion, ut umbráculum in vínea, et sicut tugúrium in cucumerário, et sicut cívitas quæ vastátur. * Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis.

[* *Sic terminantur omnes Lectiones ex Isaia per Adventum, etiam in officio de sanctis, nihil respondendo.*]

℟. Attende, Dómine, de cœlo, et vide de habitáculo sancto tuo: * Tu enim pater noster, et Abraham nescívit nos: † Tu, Dómine, redemptor noster, § A século nomen tuum: ¶ Utinam dirúmperes cœlos, et descénderes!

℣. Adjuva nos, misertus nostrî, Dómine : * Tu enim pater noster, et Abraham nescívit nos. ℣. Non áliud nomen est sub cœlo datum, in quo opórteat nos salvos fíeri. † Tu, Dómine, redemptor noster. ℣. Nos credídimus et cognóvimus quia tu es Fílius Dei; § A século nomen tuum. ¶ Utinam dirúmperes cœlos, et descénderes ! ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. *Chorus*, ¶ Utinam dirúmperes cœlos, et descénderes! *Repetitur* ℟. Attende, *usque ad* ℣. Adjuva nos. *Is.* 63 *et* 64. *Marc.* 9. *Act.* 4. *Joan.* 6.

LECTIO II.

Nisi Dóminus exercítuum reliquisset nobis semen, quasi Sódoma fuissémus, et quasi Gomorrha símiles essémus. Audíte verbum Dómini, príncipes Sodomórum : percípite áuribus legem Dei nostri, pópulus Gomorrhæ. Quò mihi multitúdinem victimárum vestrárum, dicit Dóminus plenus sum : holocausta aríetum, et ádipem pínguium et sánguinem vitulórum, et agnórum, et hircórum nólui. Cùm venirétis ante conspectum meum, quis quæsívit hæc de mánibus vestris, ut ambularétis in átriis meis? Ne offerátis ultrà sacrifícium frustrà : incensum abominátio est mihi. Neoméniam, et sábbatum, et festivitátes álias non feram; iníqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, et solemnitátes vestras odívit ánima mea : facta sunt mihi molesta, laborávi sústinens. Et cùm extendéritis manus vestras, avertam óculos meos à vobis : et cùm multiplicavéritis oratiónem, non exáudiam; manus enim vestræ sánguine plenæ sunt. Lavámini, mundi estóte, auferte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis : quiéscite ágere perversè, díscite benefácere : quærite judícium, subveníte oppresso, judicáte pupillo, defféndite víduam. Et veníte, et argúite me, dicit Dóminus; si fúerint peccáta vestra ut cóccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fúerint rubra quasi vermículus, velut lana alba erunt. Si voluéritis, et audiéritis me, bona terræ comedétis. Quòd si noluéritis, et me ad iracúndiam provocavéritis, gládius devorábit vos; quia os Dómini locútum est. Hæc dicit.

℟. Statim véniet ad templum suum Dominátor : * Ipse quasi ignis conflans purgábit fílios Levi; et erunt offerentes sacrifícia in justítia : et placébit Dómino sacrifícium. ℣. Lex constítuit sacerdótes infirmitátem habentes; sermo autem, qui post legem est, Fílium in æternum perfectum. * Ipse quasi ignis conflans. *Malach.* 3. *Hebr.* 7.

LECTIO III.

QUOMODO facta est méretrix cívitas fidélis, plena judícii? justítia habitávit in ea, nunc autem homicídæ. Argentum tuum versum est in scóriam : vinum tuum mixtum est aquâ. Príncipes tui infidéles, sócii furum : omnes díligunt múnera, sequuntur retributiónes. Pupillo non júdicant; et causa víduæ non ingréditur ad illos. Propter hoc ait Dóminus Deus exercítuum, Fortis Israel : Heu, consolábor super hóstibus meis, et vindicábor de inimícis meis. Et convertam manum meam ad te, et éxcoquam ad purum scóriam tuam, et áuferam omne stannum tuum. Et restítuam júdices tuos ut fuérunt priùs, et consiliários tuos sicut antíquitus : post hæc vocáberis cívitas justi, urbs fidélis, Sion in judício redimétur, et redúcent eam in justítia. Hæc dicit.

℟. Quare mœróre contráheris, fília Sion? numquid rex non est tibi, aut consiliárius tuus périit? * Liberáberis : † Rédimet te Dóminus de manu inimicórum tuórum. ℣. Venit Fílius hóminis quærere et salvum fácere quod períerat. * Liberáberis. Glória Patri. † Rédimet te. *Mich.* 4. *Luc.* 19.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 2. D. Cùm vénerit Sion Redemptor, hoc fœdus meum cum eis, dicit Dóminus : Spíritus meus qui est in te, non recédet. *Is.* 59.

Ant. 4. E. In misericórdia sempiterna misertus sum tuî, Sion ; et fœdus pacis meæ non movébitur, dixit miserátor tuus Dóminus. *Is.* 54.

Ant. 6. F. Consolábor vos, et consolabímini : vidébitis, et gaudébit cor vestrum ; et congnoscétur manus Dómini servis ejus. *Is.* 66.

℣. Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum : ℟. Omnibus invocántibus eum in veritáte. *Ps.* 144.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. 4, n. 1, de Adventu Domini.)

DIGNUM est, fratres, ut totâ cum devotióne Dómini celebrétis Adventum, delectáti tantâ consolatióne, stupefacti tantâ dignatióne, inflammáti tantâ dilectióne. Nec verò solùm cogitétis adventum quo venit quærere et salvum fácere quod períerat; sed et illum nihilóminus quo véniet et assúmet nos ad seipsum. Utinam circa hos duos adventus jugi meditatióne versémini, ruminantes in córdibus vestris quantùm in prióre præstíterit, quantùm promíserit in secundo. ¶ Tu autem, Dómine, mi-

serére nostrî. ℟. Deo grátias.

¶ *Sic terminantur Lectiones per annum; nisi aliter notetur.*]

℟. Ecce servus meus, dicit Dóminus : non contendet, neque clamábit, nec audiétur vox ejus foris, * Donec ponat in terra judícium : et legem ejus ínsulæ expectábunt. ℣. Nunc annúntiat homínibus ut omnes ubíque pœniténtiam agant, * Donec ponat in terra. *Is.* 42. *Matth.* 12. *Act.* 17.

LECTIO V.

(N. 3.)

Tempus est, fratres, ut judícium incípiat à domo Dei. Quis finis eórum qui non obédiunt Evangélio? Quod judícium his qui in hoc judício non resurgunt? Quicunque enim judicári dissímulant eo judício quod nunc est, in quo princeps hujus mundi ejícitur foras, júdicem expectent, vel magis tímeant, à quo cum ipso príncipe suo foras ejicientur et ipsi. Nos autem si perfectè judicámur nunc, secúri Salvatórem expectémus Dóminum nostrum Jesum Christum.

℟. Confortáre, omnis pópulus terræ; * Quóniam ego vobiscum sum, dicit Dóminus exercítuum : et Spíritus meus erit in médio vestrûm. ℣. Non dicent, Ecce hic; aut, Ecce illic : ecce enim regnum Dei intra vos est; * Quóniam. *Agg.* 2. *Luc.* 17.

LECTIO VI.

(N. 4.)

Adveniens enim Salvátor reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, si tamen priùs fúerit cor reformátum, et configurátum humilitáti cordis ipsíus. Propter quod et dicébat : Díscite à me quia mitis sum et húmilis corde. Consídera sanè in his verbis, quóniam humílitas duplex est : áltera cognitiónis, áltera affectiónis, quæ hîc dícitur cordis. Prióre cognóscimus quòd nihil sumus; et hanc díscimus à nobis ipsis, et ab infirmitáte própria : posterióre calcámus glóriam mundi; et hanc ab illo díscimus, qui exinanívit semetipsum, formam servi accípiens.

℟. Expectat Dóminus ut misereátur vestrî; et ídeò exaltábitur parcens vobis : * Deus judícii Dóminus; † Beáti omnes qui expectant eum. ℣. Apparébit expectántibus se in salútem. * Deus. Glória Patri. † Beáti. *Is.* 30. *Hebr.* 9.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 8. c. Egrediétur sicut in die certáminis, et véniet Dóminus Deus meus, omnesque sancti cum eo. *Zach.* 14.

Ant. 3. *à.* Ecce venit in sanctis míllibus suis, fácere judícium, et argúere omnes ímpios. *Ep. Jud.*

Ant. 1. *D.* Judicábit judícium plebis suæ, et oblectábit justos misericórdiâ suâ. *Eccli.* 35.

℣. Cùm exárserit in brevi ira ejus, ℟. Beáti omnes qui confídunt in eo. *Ps.* 2.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 21.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Erunt signa in sole, et luna, et stellis : et in terris pressúra géntium. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homília 1, in Evang. n. 1.)

Dominus ac Redemptor noster, fratres caríssimi, parátos nos inveníre desíderans, senescentem mundum quæ mala sequantur denúntiat, ut nos ab ejus amóre compescat. Appropinquantem ejus términum quantæ percussiónes prævéniant, innotescit; ut si Deum metúere in tranquillitáte nólumus, vicínum ejus judícium, vel percussiónibus attríti timeámus.

℟. Erunt signa in sole, et lunâ, et stellis; et in terris pressúra géntium : * Tunc vidébunt Fílium hóminis venientem in nube cum potestáte magna et majestáte. ℣. Sol convertétur in ténebras, et luna in sánguinem, ántequàm véniat dies Dómini magnus et horríbilis : * Tunc. *Luc.* 21. *Joel* 2.

LECTIO VIII.

(N. 2 et 3.)

Tunc vidébunt Fílium hóminis venientem in núbibus cum potestáte magna et majestáte. Ac si apertè dicerétur : In potestáte et majestáte visúri sunt, quem in humilitáte pósitum audíre noluérunt; ut virtútem ejus tantò tunc distríctiùs séntiant, quantò nunc cervícem cordis ad ejus patiéntiam non inclínant. Sed quia hæc contra réprobos dicta sunt, mox ad electórum consolatiónem verba vertuntur. Nam et súbditur : His autem fíeri incipiéntibus, respícite, et leváte cápita vestra; quóniam appropinquat redémptio vestra.

℟. Deus manifestè véniet, Deus noster, et non silébit. Ignis in conspectu ejus exardescet : advocábit cœlum et terram discérnere pópulum suum. * Congregáte illi sanctos ejus. ℣. Timéte Dóminum, et date illi honórem; quia venit hora judícii ejus : * Congregáte. *Ps.* 49. *Apoc.* 14.

LECTIO IX.

(N. 4.)

Levare cápita, est mentes

nostras ad gáudia pátriæ cœlestis erígere. Qui ergo Deum díligunt, ex mundi fine gaudére atque hilaréscere jubentur; quia vidélicet eum quem amant, mox invéniunt, dum transit is quem non amavérunt. Absit enim ut fidélis quisque qui Deum vidére desíderat, de mundi percussiónibus lúgeat, quem finíri eisdem suis percussiónibus non ignórat. Scriptum namque est: Quicumque volúerit amícus esse séculi hujus, inimícus Dei constitúitur. Qui ergo appropinquante mundi fine non gaudet, amícum se illíus esse testátur, atque per hoc inimícus Dei esse convíncitur. Sed absit hoc à fidélium córdibus; absit ab his qui et esse áliam vitam per fidem credunt, et eam per operatiónem díligunt.

℟. Lætentur cœli, et exultet terra, et dicant in natiónibus: Dóminus regnávit. * Tunc laudábunt ligna saltûs coram Dómino; quia venit judicáre terram. ℣. Expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expectat; quia et ipsa creatúra liberábitur à servitúte corruptiónis. * Tunc. Glória. ¶ *Repetitur* ℟. Lætentur, *usque ad* ℣. Expectátio. 1. *Paral.* 16. *Rom.* 8.

¶ *Is ritus observatur in omni Officio novem Lectionum, in quo non dicitur* Te Deum.]

℣. *Sacerd.* Surge, Deus, júdica terram; ℟. Quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus. *Ps.* 81.

AD LAUDES.

Psalmi de Domínica.

Ant. 1. D. Ecce cum núbibus cœli quasi Fílius hóminis veniébat; et Antíquus diérum dedit ei potestátem, et honórem, et regnum. *Dan.* 7.

Ant. 3. a. Omnes pópuli, tribus, et linguæ ipsi sérvient. *Dan.* 7.

Ant. 7. *d.* Potestas ejus, potestas ætérna quæ non auferétur, et regnum ejus quod non corrumpétur. *Dan.* 7.

Ant. 5. C. Fluent ad eum pópuli, et judicábit inter pópulos multos, et corrípiet gentes fortes usque in longinquum. *Mich.* 4.

Ant. 4. f. Ambulábimus in nómine Dómini Dei nostri; et regnábit Dóminus in monte Sion, ex hoc nunc et usque in ætérnum. *Mich.* 4.

Capitulum. (1. *Tim.* 6.)

Adventum Dómini nostri Jesu Christi suis tempóribus ostendet beátus et solus potens, Rex regum, et Dóminus dominántium: qui solus habet immortalitátem, et lucem inhábitat inaccessíbilem: quem nullus hóminum vidit, sed nec vidére potest: cui honor, et impérium sempitérnum.

Hymn. Jordánis, *supr.* 174.

℣. Intende, prospere procéde, ℟. Et regna propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. *Ps.* 44.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Scitóte quóniam propè est regnum Dei : amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant. *Luc.* 21.

COLLECTA. Orémus.

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni; ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, mereámur te protegente éripi, te liberante salvári : Qui vivis et regnas.

Collecta cujuslibet Dominicæ Adv. dicitur ad Horas per Hebdomad. nisi aliter notetur.

Ad Horas, *Antiphonæ sumuntur ex Laudibus, quartá prætermissâ; quod semper observatur, nisi aliter notetur.*

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. Ecce cum núbibus cœli.

In ℟. *br.* ℣. Qui ventúrus es in mundum, * Miserére nobis. *Joan.* 6.

Cetera ut in Psalterio.

Canones ad calcem.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Omnes pópuli.

Capitulum. (*Zach.* 14.)

Erit Dóminus rex super omnem terram : in die illa erit Dóminus unus, et erit nomen ejus unum.

℟. *br.* Timébunt gentes * Nomen tuum, Dómine. Timébunt. ℣. Et omnes reges terræ * glóriam tuam, * Nomen tuum. Glória. Timébunt.

℣. Omnes gentes quascumque fecisti vénient; ℟. Et adorábunt coram te, Dómine. *Ps.* 83.

AD SEXTAM.

Ant. 7. *d.* Potestas ejus.

Capitulum. (*Dan.* 7.)

Judicium sedébit ut auferátur poténtia, et conterátur, et dispéreat usque in finem : regnum autem, et potestas, et magnitúdo regni quæ est subter omne cœlum, detur pópulo sanctórum Altíssimi; cujus regnum sempiternum est.

℟. *br.* Regnum tuum, Dómine, * Regnum ómnium seculórum. Regnum tuum. ℣. Et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem, * Regnum. Glória Patri. Regnum tuum. *Ps.* 144.

℣. Tua est, Dómine, poténtia et glória : ℟. Tu es super omnes príncipes. 1. *Paral.* 29.

AD NONAM.

Ant. 4. f. Ambulábimus.

Capitulum. (*Ezech.* 39.)

Ponam glóriam meam in géntibus, et vidébunt omnes gentes judícium meum quod fécerim, et manum meam quam posúerim super eos;

et scient domus Israel quia ego Dóminus Deus eórum à die illa, et deinceps.

℟. *br*. Lætentur et exultent gentes; * Quóniam júdicas pópulos in æquitáte. Lætentur. ℣. Et gentes* in terra dírigis; * Quóniam. Glória Patri. Lætentur. *Ps*. 66.

℣. Judicábit orbem terrárum in justítia, ℟. Et pópulos in æquitáte. *Ps*. 97.

AD II VESPERAS.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. f. Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, et bráchium ejus dominábitur, allelúia. *Is*. 40.

Ant. 5. C. Ecce merces Dómini cum eo, et opus illíus coram illo, allelúia. *Is*. 40.

Ant. 7. a. De Jerúsalem dabit vocem suam Dóminus, spes pópuli sui, et fortitúdo filiórum Israel, allelúia. *Joel* 3.

Ant. 3. a. Replébitur terra, ut cognoscant glóriam Dómini, allelúia. *Habac*. 2.

Ant. 4. *D*. Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit; quia in monte Sion erit salvátio, allelúia. *Joel* 2.

Capitulum. (*Apocal*. 22.)

Qui justus est justificétur adhuc, et sanctus sanctificétur adhuc. Ecce vénio citò, et merces mea mecum est, réddere unicuíque secundùm ópera sua.

Hymn. Statúta, *suprà*, 177.

℣. Excita poténtiam tuam, et veni, ℟. Ut salvos fácias nos. *Ps*. 79.

Ad Magníficat, *Ant*. 6. F. Vigiláte, omni témpore orantes; ut digni habeámini stare ante Fílium hóminis, allelúia. *Luc*. 21.

COLLECTA. Orémus.

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni; ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, mereámur te protegente éripi, te liberante salvári: Qui vivis et regnas.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 2.)

Erit in novíssimis diébus præparátus mons domûs Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles; et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi, et dicent: Veníte, et ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei Jacob: et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis ejus; quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem. Et judicábit gentes, et árguet pópulos multos, et conflábunt gládios suos in vómeres, et lánceas suas in falces: non levábit gens contra gentem gládium, nec

exercebuntur ultrà ad prælium. Domus Jacob, veníte, et ambulémus in lúmine Dómini. Projecisti enim pópulum tuum, domum Jacob; quia repléti sunt ut olim, et áugures habuérunt ut Philístiim, et púeris aliénis adhæsérunt. Hæc dicit.

℟. Dixit Dóminus : Dómui Juda miserébor, * Et salvábo eos : et erit ubi dicétur eis, non pópulus meus vos; dicétur eis, Fílii Dei viventis. ℣. Mittam Fílium meum dilectum, * Et salvábo eos. *Os.* 1. *Luc.* 20.

LECTIO II.

(Cap. 3.)

Ecce enim dominátor Dóminus exercítuum áuferet à Jerúsalem et à Juda válidum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ : fortem, et virum bellatórem, júdicem, et prophétam, et aríolum, et senem; príncipem super quinquaginta, et honorábilem vultu, et consiliárium, et sapientem de architectis, et prudentem elóquii mystici. Et dabo púeros príncipes eórum; et effemináti dominabuntur eis. Hæc dicit.

℟. Statim véniet, 180.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

In die illa erit germen Dómini in magnificéntia et glória, et fructus terræ sublímis, et exultátio his qui salváti fúerint de Israel. Et erit : Omnis qui relictus fúerit in Sion, et resíduus in Jerúsalem, sanctus vocábitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerúsalem : si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion, et sánguinem Jerúsalem láverit de médio ejus in spíritu judícii, et spíritu ardóris. Et creábit Dóminus super omnem locum montis Sion, et ubi invocátus est, nubem per diem, et fumum et splendórem ignis flammantis in nocte; super omnem enim glóriam protéctio. Hæc dicit.

℟. Quare mœróre, 181.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Non tardat Dóminus promissiónem suam : advéniet dies Dómini. 2. *Petr.* 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Ecce prædixi vobis ómnia : cùm vidéritis hæc fíeri, scitóte quòd in próximo sit in óstiis. *Marc.* 13.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 5.)

Cantabo dilecto meo cánticum patruélis mei víneæ suæ. Vínea facta est dilecto meo in cornu fílio ólei. Et sepívit eam, et lápides elégit ex illa, et plantávit eam electam, et ædificávit turrim in médio ejus; et torcúlar extruxit in ea; et expectávit ut fáceret uvas, et fecit la-

bruscas. Nunc ergo, habitatóres Jerúsalem, et viri Juda, judicáte inter me et víneam meam. Quid est quod débui ultra fácere víneæ meæ, et non feci ei? An quòd expectávi ut fáceret uvas, et fecit labruscas? Hæc dicit.

℟. Ecce servus, 182.

LECTIO II.

Et nunc ostendam vobis quid ego fáciam víneæ meæ: Auferam sepem ejus, et erit in direptiónem; díruam macériam ejus, et erit in conculcatiónem. Et ponam eam desertam: non putábitur, et non fodiétur; et ascendent vepres et spinæ: et núbibus mandábo ne pluant super eam imbrem. Vínea enim Dómini exercítuum domus Israel est, et vir Juda germen ejus delectábile: et expectávi ut fáceret judícium, et ecce iníquitas; et justítiam, et ecce clamor. Væ qui conjúngitis domum ad domum, et agrum agro copulátis usque ad términum loci; numquid habitábitis vos soli in médio terræ? In áuribus meis sunt hæc, dicit Dóminus exercítuum. Hæc dicit.

℟. Confortáre, 182.

LECTIO III.

Væ qui consúrgitis mane ad ebrietátem sectandam, et potandum usque ad vésperam, ut vino æstuétis. Cíthara, et lyra, et tympanum, et tíbia, et vinum in convíviis vestris: et opus Dómini non respícitis, nec ópera mánuum ejus considerátis. Proptéreà captívus ductus est pópulus meus, quia non hábuit sciéntiam; et nóbiles ejus interiérunt fame, et multitúdo ejus siti exáruit. Proptéreà dilatávit infernus ánimam suam, et apéruit os suum absque ullo término, et descendent fortes ejus, et pópulus ejus, et sublímes, gloriosíque ejus ad eum. Et incurvábitur homo, et humiliábitur vir, et óculi sublímium deprimentur. Et exaltábitur Dóminus exercítuum in judício, et Deus sanctus sanctificábitur in justítia. Hæc dicit.

℟. Expectat, 182.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. a. Quales oportet vos esse in sanctis conversatiónibus, expectantes et properantes in adventum diéi Dómini? 2. *Petr.* 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *d.* Atténdite ne graventur corda vestra in crápula, et ebrietáte, et curis hujus vitæ. *Luc.* 21.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 5.)

Væ qui tráhitis iniquitátem in funículis vanitátis, et quasi vínculum plaustri peccátum. Qui dícitis: Festínet,

et citò véniat opus ejus, ut videámus, et appropiet; et véniat consílium Sancti Israel, et sciémus illud. Væ qui dícitis malum bonum, et bonum malum: ponentes ténebras lucem, et lucem ténebras: ponentes amárum in dulce, et dulce in amárum. Væ qui sapientes estis in óculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietátem: qui justificátis ímpium pro munéribus, et justítiam justi aufertis ab eo. Hæc dicit.

℟. Dixit Dóminus, 187.

LECTIO II.

Propter hoc, sicut dévorat stípulam lingua ignis, et calor flammæ exúrit; sic radix eórum quasi favilla erit, et germen eórum ut pulvis ascendet. Abjecérunt enim legem Dómini exercítuum, et elóquium sancti Israel blasphemáverunt. Ideò irátus est furor Dómini in pópulum sûum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum; et conturbáti sunt montes, et facta sunt morticína eórum quasi stercus in médio plateárum. In his ómnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Et elevábit signum in natiónibus procul, et sibilábit ad eum de fínibus terræ: et ecce festínus velóciter véniet. Hæc dicit.

℟. Statim véniet, 180.

LECTIO III.

(Cap. 8.)

Dominum exercítuum ipsum sanctificáte: ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificatiónem: in lápidem autem offensiónis et in petram scándali duábus dómibus Israel; in láqueum et in ruínam habitántibus Jerúsalem. Et offendent ex eis plúrimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur. Liga testimónium, signa legem in discípulis meis. Et expectáboDóminum qui abscondit fáciem suam à domo Jacob, et præstolábor eum. Hæc dicit.

℟. Quare mœróre, 181.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. g. Satágite immaculáti et inviolati ei inveníri in pace. 2. *Petr.* 3.

Ad Magníf. *Ant.* 3. c. Vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum; ut, cùm vénerit, confestim apériant ei. *Luc.* 12.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 10.)

Et erit in die illa: non adjíciet resíduum Israel, et hi qui fúgerint de domo Jacob, inníti super eo qui percutit

eos; sed innitétur super Dóminum Sanctum Israel in veritáte. Relíquiæ convertentur, relíquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. Si enim fúerit pópulus tuus Israel quasi aréna maris, relíquiæ convertentur ex eo: consummátio abbreviáta inundábit justítiam. Consummatiónem enim et abbreviatiónem Dóminus Deus exercítuum fáciet in médio omnis terræ. Propter hoc, hæc dicit Dóminus Deus exercítuum: Noli timére, pópulus meus habitátor Sïon, ab Assur: in virga percútiet te, et báculum suum levábit super te in via Ægypti. Adhuc enim páululum modicumque, et consummábitur indignátio et furor meus super scelus eórum. Hæc dicit.

℟. Ecce servus, 182.

LECTIO II.

(Cap. 11.)

In die illa radix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabuntur; et erit sepulcrum ejus gloriósum. Et erit in die illa: Adjíciet Dóminus secundò manum suam ad possidendum resíduum pópuli sui, quod relinquétur ab Assyriis, et ab Ægypto, et à Phetros, et ab Æthiópia, et ab Elam, et à Sénnaar, et ab Emath, et ab ínsulis maris. Et levábit signum in natiónes, et congregábit prófugos Israel, et dispersos Juda cólliget à quátuor plagis terræ. Hæc dicit.

℟. Confortáre, 182.

LECTIO III.

(Cap. 14.)

Prope est ut véniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Miserébitur enim Dóminus Jacob, et éliget adhuc de Israel; et requiéscere eos fáciet super humum suam: adjungétur ádvena ad eos, et adhærébit dómui Jacob. Et tenébunt eos pópuli, et addúcent eos in locum suum; et possidébit eos domus Israel super terram Dómini in servos et ancillas; et erunt capientes eos qui se céperant, et subjícient exactóres suos, et erit in die illa: cùm réquiem déderit tibi Deus à labóre tuo, et à concussióne tua, et à servitúte dura quâ antè servisti, sumes parábolam istam contra regem Babylónis, et dices: Quómodò cessávit exactor, quiévit tribútum? Contrívit Dóminus báculum impiórum, virgam dominántium, cædentem pópulos in indignatióne, plagâ insanábili, subjicientem in furóre gentes, persequentem crudéliter. Conquiévit et síluit omnis terra, gavísa est et exultávit. Hæc dicit.

℟. Expectat, 182.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. A. Grátia vobis et pax à Deo, ut nihil desit in ulla grátia

expectántibus revelatiónem Dómini. 1. *Cor.* 1.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. F. Ecce vénio : beátus qui vígilat, et custódit vestimenta sua, ne nudus ámbulet. *Apoc.* 16.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 16.)

Emitte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de Petra deserti ad montem fíliæ Sion. Et erit : Sicut avis fúgiens, et pulli de nido avolantes, sic erunt fíliæ Moab in transcensu Arnon. Ini consílium, coge concílium : pone quasi noctem umbram tuam in merídie. Absconde fugientes, et vagos ne prodas. Habitábunt apud te prófugi mei : Moab, esto latíbulum eórum à fácie vastatóris : finítus est enim pulvis, consummátus est miser : defécit qui conculcábat terram. Et præparábitur in misericórdia sólium, et sedébit super illud in veritáte in tabernáculo David, júdicans et quærens judícium, et velóciter reddens quod justum est. Hæc dicit.

℟. Dixit Dóminus, 187.

LECTIO II.

(Cap. 17.)

Et erit in die illa : Attenuábitur glória Jacob, et pinguédo carnis ejus marcescet. Et erit sicut cóngregans in messe quod restíterit, et bráchium ejus spicas leget : et erit sicut quærens spicas in valle Ráphaïm. Et relinquétur in eo sicut racémus, et sicut excússio óleæ duárum vel trium olivárum in summitáte rami, sive quátuor aut quinque in cacumínibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israel. In die illa inclinábitur homo ad factórem suum, et óculi ejus ad Sanctum Israel respícient; et non inclinábitur ad altária quæ fecérunt manus ejus; et quæ operáti sunt dígiti ejus, non respíciet lucos et delúbra. Hæc dicit.

℟. Statim véniet, 180.

LECTIO III.

(Cap. 19.)

In die illa erit altáre Dómini in médio terræ Ægypti; et títulus Dómini juxta términum ejus erit in signum et in testimónium Dómino exercítuum in terra Ægypti. Clamábunt enim ad Dóminum à fácie tribulantis, et mittet eis salvatórem et propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis et in munéribus; et vota vovébunt Dómino, et solvent. Et percútiet Dóminus Ægyptum plagâ, et sanábit

eam: et revertentur ad Dóminum; et placábitur eis, et sanábit eos. Hæc dicit.

℟. Quare mœróre, 181.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Integer spíritus vester, et ánima, et corpus sine queréla in adventu Dómini nostri Jesu Christi servétur. 1. *Thess.* 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Sicut fulgur coruscans de sub cœlo in ea quæ sub cœlo sunt, fulget; ita erit Fílius hóminis in die sua. *Luc.* 17.

SABBATO.

LECTIO I.

De Isaía prophéta.

(Cap. 28.)

In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exultatiónis resíduo pópuli sui: et spíritus judícii sedenti super judícium, et fortitúdo reverténtibus de bello ad portam. Verùm hi quoque præ vino nesciérunt, et præ ebrietáte erravérunt: sacerdos et prophéta nesciérunt præ ebrietáte, absorpti sunt à vino, erravérunt in ebrietáte, nesciérunt videntem, ignoravérunt judícium. Omnes enim mensæ replétæ sunt vómitu, sordiumque, ita ut non esset ultrà locus. Quem docébit sciéntiam? et quem intellígere fáciet audítum? ablactátos à lacte, avulsos ab ubéribus. Hæc dicit.

℟. *Ecce servus,* 182.

LECTIO II.

Propter hoc audíte verbum Dómini, viri illusóres, qui dominámini super pópulum meum qui est in Jerúsalem. Dixistis enim: Percússimus fœdus cum morte, et cum inferno fécimus pactum. Flagellum inundans cùm transíerit, non véniet super nos; quia posúimus mendácium spem nostram, et mendácio protecti sumus. Idcirco hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lápidem, lápidem probátum, angulárem, pretiósum, in fundamento fundátum; qui credíderit, non festínet. Et ponam in póndere judícium, et justítiam in mensúra: et subvertet grando spem mendácii, et protectiónem aquæ inundábunt. Et delébitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans cùm transíerit, éritis ei in conculcatiónem. Hæc dicit.

℟. Confortáre, 182.

LECTIO III.

(Cap. 29.)

Væ qui profundi estis corde, ut à Dómino abscondátis consílium; quorum sunt in ténebris ópera, et dicunt: Quis videt nos, et quis novit nos? Perversa est hæc vestra cogitátio: quasi si lutum

contra fígulum cógitet, et dicat opus factóri suo : Non fecisti me; et figmentum dicat fictóri suo : Non intélligis. Nonne adhuc in módico et in brevi convertétur Líbanus in Carmel, et Carmel in saltum reputábitur? Et áudient in die illa surdi verba libri, et de ténebris et calígine óculi cæcórum vidébunt. Et addent mites in Dómino lætítiam, et páuperes hómines in Sancto Israel exultábunt; quóniam defécit qui prævalébat, consummátus est illúsor, et succísi sunt omnes qui vigilábant super iniquitátem. Hæc dicit.

℟. Expectat, 182.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Exaltábitur Dóminus exercítuum in judício, et Deus sanctus sanctificábitur in justítia. *Is.* 5.

AD VESPERAS.

Psalmi de Sabbato; Ant. ut in I Vesp. Dominicæ primæ Adventûs, 178.

Capitulum. (*Deut.* 18.)

PROPHETAM de gente tua, et de frátribus tuis sicut me, suscitábit tibi Dóminus Deus tuus : ipsum áudies

Hymnus, Statúta, 177.

℣. Accédite ad eum, et illumináminí; ℟. Et fácies vestræ non confundentur. *Ps.* 33.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Míserans miserébitur tuî Dóminus, et non fáciet avoláre à te ultrà doctórem tuum; et erunt óculi tui videntes præceptórem tuum. *Is.* 30.

Collecta, ut infrà ad Laud.

DOMINICA II ADVENTUS.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

DOMINUM Deum qui ventúrus est, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Instantis, 173.

Psalmi ut in Psalterio.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Scriptum est in Prophétis : Erunt omnes docíbiles Dei. *Joan.* 6.

Ant. 2. D. Non caligábunt óculi vidéntium, et aures audiéntium diligenter auscultábunt. *Is.* 32.

Ant. 3. *à*. Cor stultórum intélliget sciéntiam, et lingua balbórum velóciter loquétur, et planè. *Is.* 32.

℣. Déxteram tuam sic notam fac, Dómine, ℟. Et erudítos corde in sapiéntia. *Ps.* 89.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 32.)

ECCE in justítia regnábit rex; et príncipes in judício præerunt. Et erit vir sicut qui abscónditur à vento, et celat se à tempestáte, sicut rivi aquárum in siti, et um-

bra petræ prominentis in terra deserta. Non caligábunt óculi vidéntium, et aures audiéntium diligenter auscultábunt. Et cor stultórum intélliget sciéntiam, et lingua balbórum velóciter loquetur, et planè. Non vocábitur ultrà is qui insípiens est, princeps; neque fraudulentus appellábitur major. Hæc dicit.

℟. Vos testes mei, dicit Dóminus, et servus meus quem elégi; * Ut sciátis et credátis mihi, et intelligátis quia ego ipse sum. ℣. Qui de cœlo venit, super omnes est: et quod vidit, et audívit, hoc testátur; * Ut. *Is.* 43. *Joan.* 3.

LECTIO II.

(Cap. 33.)

Audite, qui longè estis, quæ fécerim; et cognóscite, vicíni, fortitúdinem meam. Contérriti sunt in Sion peccatóres, possédit tremor hypócritas. Quis póterit habitáre de vobis cum igne devorante? Quis habitábit ex vobis cum ardóribus sempiternis? Qui ámbulat in justítiis, et lóquitur veritátem: qui prójicit avarítiam ex calúmnia, et éxcutit manus suas ab omni múnere: qui obtúrat aures suas ne áudiat sánguinem, et claudit óculos suos ne vídeat malum; *iste* in excelsis habitábit, *munimenta saxórum* sublímitas ejus: panis ei datus est, aquæ ejus fidéles sunt. Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus, cernent terram de longè. Hæc dicit.

℟. Pópulus durâ cervíce convertétur; et scient quia ego sum Dóminus Deus eórum: et * Dabo eis cor, et intélligent; aures, et áudient: et laudábunt me. ℣. Scriptum est: Dedit illis Deus óculos ut non vídeant, et aures ut non áudiant, usque in hodiernum diem. * Dabo eis. *Baruch* 2. *Rom.* 11.

LECTIO III.

(Cap. 35.)

Lætabitur deserta et ínvia, et exultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exultábit lætabunda et laudans: glória Libani data est ei: decor Carméli, et Saron. Ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte. Dícite pusillánimis: Confortámini, et nolíte timére: ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipse véniet, et salvábit vos. Tunc aperientur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus, claudus: et aperta erit lingua mutórum; quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitúdine. Et quæ erat árida, erit in stagnum; et sí-

tiens, in fontes aquárum. Hæc dicit.

℟. Properábunt gentes multæ, et dicent : Veníte ascendámus ad montem Dómini, et * Docébit nos de viis suis, et † Ibimus in sémitis ejus. ℣. Messías venit, qui dícitur Christus : cùm vénerit ille, nobis annuntiábit ómnia : * Docébit. Glória Patri. † Ibimus. *Mich.* 4. *Joan.* 4.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 1. g. Magnificátus est Dóminus : implévit Sion judício et justítiâ; et erit fides in tempóribus tuis. *Is.* 33.

Ant. 4. f. Divítiæ salútis sapiéntia et sciéntia : timor Dómini ipse est thesaurus ejus. *Is.* 33.

Ant. 5. a. Tempus requiréndi Dóminum, cùm vénerit qui docébit vos justítiam. *Osee* 10.

℣. Propè es tu, Dómine ; ℟. Et omnes viæ tuæ véritas. *Ps.* 118.

LECTIO IV.

Sermo sancti Leónis papæ.

(*Serm.* 1. de jejunio decimi mensis, et Collectis. C. 1.)

Si fidéliter, dilectíssimi, atque sapienter creatiónis nostræ intelligámus exórdium, inveniémus hóminem ídeò ad imáginem Dei cónditum, ut imitátor sui esset auctóris : et hanc esse naturálem nostri géneris dignitátem, si in nobis, quasi in quodam spéculo divínæ benignitátis forma respléndeat. Ad quam quotídiè nos útique réparat grátia salvatóris, dum quod cécidit in Adam primo, erígitur in secundo. Causa autem reparatiónis nostræ non est nisi misericórdia Dei, quem non diligerémus, nisi nos prior ipse dilígeret, et ténebras ignorántiæ nostræ, suæ veritátis luce discúteret. Tu autem.

℟. Sapiéntia súscipit inquirentes se, et præíbit in via justítiæ.: * Qui sérviunt ei, obsequentes erunt Sancto; et eos qui díligunt illam, díligit Deus. ℣. Nos Spíritu ex fide, spem justítiæ expectámus in Christo Jesu : * Qui. *Eccli.* 4. *Galat.* 5.

LECTIO V.

Quod quómodò implétum sit, Joannes Apóstolus commémorat, dicens : Scimus quóniam Fílius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum, et simus in vero Fílio ejus. Et íterùm : Nos ergo diligámus Deum, quóniam ipse prior dilexit nos. Diligendo ítaque nos Deus, ad imáginem suam nos réparat; et ut in nobis formam suæ bonitátis invéniat, dat unde ipsi quoque quod operátur, operémur : accendens scílicet méntium nostrárum lucernas, et igne nos suæ caritátis inflammans; ut non

solùm ipsum, sed étiam quidquid díligit, diligámus.

℟. Sensum tuum, Dómine, quis sciet, * Nisi tu sapiéntiam míseris de altíssimis; et sic correctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris, et quæ tibi placent didícerint hómines? ℣. Ego carnális sum, venúmdatus sub peccáto; quod enim óperor, non intélligo. * Nisi tu sapiéntiam míseris. *Sap.* 9. *Rom.* 7.

LECTIO VI.

NAM si inter hómines ea demum firma amicítia est, quam morum similitúdo sociárit, cùm tamen parílitas voluntátum sæpè in réprobos tendat affectus; quantum nobis optandum atque nitendum est, ut in nullo ab iis quæ Deo sunt plácita, discrepémus? De quo dicit Prophéta: Quóniam ira in indignatióne ejus, et vita in voluntáte ejus; quia non áliter in nobis erit dígnitas divínæ majestátis, nisi imitátio fúerit voluntátis.

℟. Quis suscitávit ab oriente Justum? Vidérunt extréma terræ, appropinquavérunt et accessérunt: * Unusquisque próximo suo auxiliábitur, et fratri suo dicet: Confortáre. ℣. Ut unánimes honorificétis Patrem Dómini nostri Jesu Christi, suscípite ínvicem, sicut et Christus suscépit vos in honórem Dei: * Unusquisque. Glória. * Unusquisque. *Is.* 41. *Rom.* 15.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Flos de radíce Jesse ascendet; et requiescet super eum Spíritus sapiéntiæ et intellectûs. *Is.* 11.

Ant. 6. F. In sciéntia sua justificábit ipse multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. *Is.* 53.

Ant. 7. d. Scient errantes spíritu intellectum; et mussitatóres discent legem. *Is.* 29.

℣. Deus, cognoscámus in terra viam tuam: ℟. In ómnibus géntibus salutáre tuum. *Ps.* 66.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 11.)

IN illo témpore; Joannes cùm audisset in vínculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es qui ventúrus es, an álium expectámus? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(In Matth. Lib. 2, c. 11.)

JOANNES non quasi ignórans intérrogat; ipse enim céteris ignorántibus demonstráverat, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi; et Patris vocem audíerat intonantis: Hic est

Fílius meus dilectus, in quo mihi compłácui. Sed quómodò Salvátor intérrogat ubi sit pósitus Lázarus, ut qui locum sepulcri indicábant, saltem sic pararentur ad fidem et vidérent mórtuum resurgentem; sic et Joannes interficiendus ab Heróde, discípulos suos mittit ad Christum, ut per hanc occasiónem videntes signa atque virtútes, crederent in eum, et magistro interrogante sibi díscerent.

℟. Deus ipse véniet, et salvábit vos: tunc aperientur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt: tunc * Sáliet sicut cervus, claudus; et aperta erit lingua mutórum. ℣. Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundantur, surdi áudiunt. * Sáliet sicut cervus claudus, et aperta erit linguá mutórum. *Is.* 35. *Matth.* 11.

LECTIO VIII.

Joannes interrogáverat per discípulos, Tu es qui ventúrus es, an álium expectámus? Christus signa demonstrat; non ad ea respondens quæ interrogátus fúerat, sed ad scándalum nuntiórum. Ite, inquit, et dícite Joanni signa quæ cérnitis; cæcos videntes, et claudos ambulantes, et réliqua. Et quod his non minus est, Páuperes evangelizantur. Vel páuperes spíritu, vel certè ópibus páuperes; ut nulla inter nóbiles et ignóbiles, inter dívites et egénos, in prædicatióne distántia sit. Hæc magistri rigórem, hæc præceptóris cómprobant veritátem; quando omnis apud eum qui salvári potest, æquális est. Quod autem ait: Et beátus qui non fúerit scandalizátus in me, internúntios pércutit, sicut in consequéntibus demonstrábitur.

℟. Audient in die illa surdi verba libri, et * De ténebris et calígine óculi cæcórum vidébunt; et páuperes hómines in sancto Israel exultábunt. ℣. Mórtui resurgunt, páuperes evangelizantur: * De ténebris et calígine óculi cæcórum. *Is.* 29. *Matth.* 11.

LECTIO IX.

Si supérior senténtia contra Joannem proláta fúerat in eo quod ait, Beátus est qui non fúerit scandalizátus in me, quómodò nunc Joannes tantis láudibus prædicátur? Sed quia turba circumstans interrogatiónis mystérium nesciébat, et putábat Joannem dubitáre de Christo, quem ipse monstráverat dígito; ut intellígerent Joannem non sibi interrogasse, sed discípulis suis: Quid, inquit, existis in desertum? Numquid ob hoc, ut hóminem viderétis cálamo símilem, qui omni vento circumfertur, et levitáte mentis de

eo ambígeret, quem ánteà prædicárat? An fórsitan stímulis contra me invídiæ cógitur, et prædicátio ejus vanam sectátur glóriam, ut ex ea quærat lucra? Cur divítias cúpiat? ut áffluat dápibus? Locustis véscitur, et melle silvestri. An ut móllibus vestiátur? Pili camelórum tegmen ejus sunt. Istiúsmodi cibus et vestis cárceris hospítio recipiuntur; et prædicátio veritátis tale habet habitáculum. Qui autem adulatóres sunt, et sectantur lucra, et quærunt divítias, et delíciis áffluunt, et móllibus vestiuntur; isti in dómibus regum sunt. Ex quo osténditur rígidam vitam et austéram prædicatiónem vitáre debére aulas regum, et móllium hóminum palátia declináre. Sed quid existis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis, et plusquàm Prophétam. In eo Joannes Prophétis céteris major est, quòd quem illi prædicavérunt esse ventúrum, hic venisse dígito demonstrávit.

℟. Beátus homo qui audit me: qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem à Dómino; * Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. ℣. Beátus qui non fúerit scandalizátus in me; * Qui autem. Glória. *Repet.* ℟. Beátus homo, *usque ad* ℣. Beátus. *Prov.* 8. *Matth.* 11.

℣. *Sacerd.* Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam; ℟. Quia in te sperávi. *Ps.* 142.

AD LAUDES.

Ant. 2. D. Dóminus formans me ex útero servum sibi, ut redúcam Jacob ad eum, dixit: Ecce dedi te in lucem géntium. *Is.* 49.

Ant. 8. c. Evangelizáre paupéribus misit me, prædicáre captívis remissiónem, et cæcis visum. *Luc.* 4.

Ant. 3. c. Misit me ut prædicárem annum placábilem Dómino, ut consolárer omnes lugentes. *Is.* 61.

Ant. 4. D. Ducam cæcos in viam quam nésciunt; et in sémitis quas ignoravérunt ambuláre eos fáciam. *Is.* 42.

Ant. 5. a. Ponam ténebras coram eis in lucem, et prava in recta. *Is.* 42.

Capitulum. (*Isai.* 50.

Quis ex vobis timens Dóminum, áudiens vocem servi sui? Qui ambulávit in ténebris, et non est lumen ei, speret in nómine Dómini, et innitátur super Deum suum.

Hymn. Jordánis oras prævia, *ut suprà*, 174.

℣. Emitte lucem tuam, Deus, ℟. Et veritátem tuam. *Ps.* 42.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Multos curávit Jesus à languóribus, et plagis, et spirítibus malis; et cæcis multis

donávit visum, et dixit: Euntes renuntiáte Joanni quæ audistis et vidistis, allelúia. *Luc* 7.

COLLECTA. Orémus.

Excita, Dómine, corda nostra ad præparandas Unigéniti tui vias; ut per ejus adventum, purificátis tibi méntibus servíre mereámur; Qui tecum.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Dóminus.

In. ℟. *br.* ℣. Qui ventúrus es * in mundum. *Joan.* 6.

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Evangelizáre.

Capitulum. (*Is.* 48.)

Hæc dicit Dóminus redemptor tuus, sanctus Israel: Ego Dóminus Deus tuus docens te utília, gubernans te in via quâ ámbulas.

℟. *br.* Audiam quid loquátur * Dóminus Deus. Audiam. ℣. Quóniam loquétur pacem * in plebem suam * Dóminus Deus. Glória. Audiam. *Ps.* 84.

℣. Díriget mansuétos in judício; ℟. Docébit mites vias suas. *Ps.* 24.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Misit me.

Capitulum. (*Isaiæ* 54.)

Ponam universos fílios tuos doctos à Dómino, et multitúdinem pacis fíliis tuis; et in justítia fundáberis.

℟. *br.* Disciplína tua, Dómine, * Correxit me in finem. Disciplína tua. ℣. Et disciplína tua * ipsa me docébit: * Correxit. Glória Patri. Disciplína. *Ps.* 17.

℣. Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra: ℟. Justificatiónes tuas doce me. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Ponam.

Capitulum. (*Isaiæ* 60.)

Erit tibi Dóminus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctûs tui. Pópulus autem tuus omnes justi: in perpétuum hæreditábunt terram, germen plantatiónis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum.

℟. *br.* Tu es * Lucerna mea, Dómine. Tu es. ℣. Et tu illuminábis * ténebras meas: * Lucerna mea, Dómine. Glória Patri. Tu es. 2. *Reg.* 22.

℣. Dóminus illuminátio mea, et salus mea; ℟. Quem timébo? *Ps.* 26.

AD VESPERAS.

Ant. 1. f. Ecce ego mitto Angelum meum, et præparábit viam ante fáciem meam: et statim véniet Dóminator, allelúia. *Malach.* 3.

Ant. 5. C. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis bonum, prædicantis salútem, dicentis Sion: Regnábit Deus tuus! allelúia. *Is.* 52.

Ant. 2. D. Præparábitur in misericórdia sólium, et sedébit super illud in veritáte in tabernáculo David, júdicans et velóciter reddens quod justum est, allelúia. *Is.* 16.

Ant. 4. E. Dóminus diléxit eum, fáciet voluntátem suam. Ego, ego adduxi eum, et directa est via ejus, allelúia. *Is.* 48.

Ant. 7. a. Veníte in conspectu ejus : commoveátur à fácie ejus omnis terra, quia venit, allelúia. 1. *Paral.* 16.

Capitulum. (*Isaiæ* 40.)

SUPER montem excelsum ascende tu, qui evangelízas Sion : exalta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem : exalta, noli timére. Dic civitátibus Juda : Ecce Deus vester.

Hymnus, Statúta decréto Dei, 177.

℣. Justítia et judícium præparátio sedis tuæ, Dómine : ℟. Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam. *Ps.* 88.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Dixit Jesus ad turbas de Joanne : Hic est de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. Allelúia. *Matth.* 11.

Collecta, Excita, Dómine, corda nostra, *ut suprà ad Laudes.*

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 41.)

TACEANT ad me ínsulæ, et gentes mutent fortitúdinem : accédant, et tunc loquantur, simul ad judícium propinquémus. Quis suscitávit ab oriente justum, vocávit eum ut sequerétur se? Dabit in conspectu ejus gentes, et reges obtinébit; dabit quasi púlverem gládio ejus, sicut stípulam vento raptam árcui ejus. Persequétur eos, transíbit in pace, sémita in pédibus ejus non apparébit. Quis hæc operátus est et fecit, vocans generatiónes ab exórdio? Ego Dóminus, primus et novíssimus ego sum. Hæc dicit.

℟. Vos testes mei, 194.

LECTIO II.

ET tu, Israel, serve meus, Jacob quem elégi, semen Abraham amíci mei, in quo apprehendi te ab extrémis terræ, et à longinquis ejus vocávi te, et dixi tibi : Servus meus es tu, elégi te, et non abjéci te. Ne tímeas, quia ego tecum sum : ne declínes, quia ego Deus tuus : confortávi te, et auxiliátus sum tibi, et suscépit te déxtera Justi mei. Ecce confundentur et erubescent omnes qui pugnant adversùm te : erunt quasi non sint, et pe-

rîbunt viri qui contradícunt tibi. Quæres eos, et non invénies, viros rebelles tuos; erunt quasi non sint; et véluti consúmptio, hómines bellantes adversùm te. Hæc.

℟. Pópulus, 194.

LECTIO III.

Ego Dóminus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne tímeas, ego adjúvi te. Noli timére, vermis Jacob, qui mórtui estis ex Israel: ego auxiliátus sum tibi, dicit Dóminus, et redemptor tuus Sanctus Israel. Ego pósui te quasi plaustrum tritúrans novum, habens rostra serrántia: triturábis montes, et comminues; et colles quasi púlverem pones. Ventilábis eos, et ventus tollet, et turbo disperget eos; et tu exultábis in Dómino, in Sancto Israel lætáberis. Hæc dicit.

℟. Properábunt, 195.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. In die salútis auxiliátus sum tuî; et dedi te in fœdus pópuli, ut díceres his qui in ténebris: Reveláminí. *Is.* 49.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Dedi te in lucem géntium, ut edúceres de domo cárceris sedentes in ténebris. *Is.* 42.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Isaía Propheta.

(Cap. 42.)

Ecce servus meus, suscípiam eum: electus meus, complácuit sibi in illo ánima mea: dedi Spíritum meum super eum; judícium géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet persónam, nec audiétur vox ejus foris. Cálamum quassátum non cónteret, et linum fúmigans non extinguet: in veritáte edúcet judícium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judícium; et legem ejus ínsulæ expectábunt. Hæc dicit Dóminus Deus, creans cœlos*, et extendens eos: firmans terram, et quæ gérminant ex ea: dans flatum pópulo qui est super eam, et spíritum calcántibus eam. Hæc dicit.

℟. Sapiéntia, 195.

LECTIO II.

Ego Dóminus vocávi te in justítia, et apprehendi manum tuam, et servávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem géntium; ut aperíres óculos cæcórum, et edúceres de conclusióne vinctum, de domo cárceris sedentes in ténebris. Ego Dóminus, hoc est nomen meum: glóriam meam álteri non dabo, et laudem meam sculptílibus. Quæ prima fuérunt, ecce venérunt: nova quoque ego annúntio: ántequàm oriantur, audíta vobis fáciam. Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus ab extrémis terræ: qui descénditis

in mare, et plenitúdo ejus; ínsulæ, et habitatores earum. Hæc dicit.

℞. Sensum tuum, 196.

LECTIO III.

Et ducam cæcos in viam quam nésciunt; et in sémitis quas ignoravérunt, ambuláre eos fáciam: ponam ténebras coram eis in lucem, et prava in recta: hæc verba feci eis, et non derelíqui eos. Conversi sunt retrorsùm: confundantur confusióne qui confídunt in scúlptili, qui dicunt conflátili: Vos dii nostri. Surdi, audite; et cæci, intuémini ad videndum. Quis cæcus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem núntios meos misi? Quis cæcus, nisi qui venúmdatus est? et quis cæcus, nisi servus Dómini? Hæc dicit.

℞. Quis suscitávit, 196.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Congregábo eos ab extrémis terræ, inter quos erunt cæcus et claudus; quia factus sum Israéli pater. *Jerem.* 31.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Salvábo claudicantem: et dabo vos in laudem, cùm convértero captivitátem vestram, dicit Dóminus. *Soph.* 3.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 43.)

Et nunc hæc dicit Dóminus creans te, Jacob, et formans te, Israel: Noli timére, quia redémi te, et vocávi te nómine tuo; meus es tu. Cùm transíeris per aquas, tecum ero, et flúmina non opérient te: cùm ambuláveris in igne, non combuséris, et flamma non ardebit in te. Quia ego Dóminus Deus tuus Sanctus Israel, Salvátor tuus, dedi propitiatiónem tuam Ægyptum, Æthiópiam, et Saba pro te. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis, et gloriósus, ego diléxi te; et dabo hómines pro te, et pópulos pro ánima tua. Hæc dicit.

℞. Vos testes mei, 194.

LECTIO II.

Noli timére, quia ego tecum sum: ab oriente addúcam semen tuum, et ab occidente congregabo te. Dicam aquilóni: Da: et austro: Noli prohibere: affer fílios meos de longinquo, et fílias meas ab extrémis terræ. Et omnem qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam creávi eum, formávi eum, et feci eum. Educ foras pópulum cæcum, et óculos habentem; surdum, et aures ei sunt. Hæc dicit.

℞. Pópulus, 194.

LECTIO III.

Ego sum, ego sum Dóminus, et non est absque me salvator. Ego annuntiávi et salvávi: audítum feci, et

non fuit in vobis aliénus. Vos testes mei, dicit Dóminus, et ego Deus. Et ab inítio ego ipse, et non est qui de manu mea éruat : operábor, et quis avertet illud ? Hæc dicit Dóminus redemptor vester, sanctus Israel : Propter vos misi in Babylónem, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in návibus suis gloriantes. Ego Dóminus Sanctus vester, creans Israel, Rex vester. Hæc dicit.

℟. Properábunt gentes, 195.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. c. Derelinquam in médio tuî pópulum páuperem, et egénum; et sperábunt in nómine Dómini. *Sophon.* 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. A. Ego Dóminus exáudiam páuperes : Deus Israel, non derelinquam eos. *Is.* 41.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Isaía Pprophéta.

(Cap. 44.)

Et nunc audi, Jacob serve meus, et Israel quem elégi. Hæc dicit Dóminus fáciens et formans te, ab útero auxiliátor tuus : Noli timére, serve meus Jacob, et rectíssime quem élegi. Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super áridam : effundam Spíritum meum super semen tuum, et benedictiónem meam super stirpem tuam. Et germinábunt inter herbas quasi sálices juxta præterfluentes aquas. Iste dicet : Dómini ego sum ; et ille vocábit in nómine Jacob; et hic scribet manu suâ : Dómino ; et in nómine Israel assimilábitur. Hæc dicit.

℟. Sapiéntia súscipit inquirentes se, 195.

LECTIO II.

Hæc dicit Dóminus redemptor tuus, et formátor tuus ex útero : Ego sum Dóminus, fáciens ómnia, extendens cœlos solus, stabíliens terram, et nullus mecum ; írrita fáciens signa divinórum, et aríolos in furórem vertens ; convertens sapientes retrorsùm, et sciéntiam eórum stultam fáciens ; súscitans verbum servi sui, et consílium nuntiórum suórum complens ; qui dico Jerúsalem : Habitáberis ; et civitátibus Juda : Ædificabímini, et deserta ejus suscitábo ; qui dico profundo : Desoláre, et flúmina tua arefáciam ; qui dico Cyro : Pastor meus es, et omnem voluntátem meam complébis : qui dico Jerúsalem : Ædificáberis ; et templo : Fundáberis. Hæc dicit.

℟. Sensum tuum, Dómine, 196.

LECTIO III.

(Cap. 45.)

Ego suscitávi eum ad justítiam, et omnes vias ejus di-

rigam: ipse ædificábit civitátem meam, et captivitátem meam dimittet, non in prétio neque in munéribus, dicit Dóminus Deus exercítuum. Hæc dicit Dóminus: Labor Ægypti, et negotiátio Æthiópiæ et Sábaim, viri sublímes ad te transíbunt, et tui erunt: post te ambulábunt, vincti mánicis pergent, et te adorábunt, teque deprecabuntur. Tantùm in te est Deus, et non est absque te Deus. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israel Salvátor. Confúsi sunt, et erubuérunt omnes: simul abiérunt in confusiónem fabricatóres errórum. Israel salvátus est in Dómino salúte æternâ: non confundémini, et non erubescétis usque in séculum séculi. Hæc dicit.

℟. Quis suscitávit, 196.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Domus Jacob, veníte, et ambulémus in lúmine Dómini. *Is.* 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. ç. De Sion egrediétur lex, et verbum Dómini de Jerúsalem. *Mich.* 4.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 49.)

Audite, ínsulæ, et atténdite, pópuli de longè: Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei. Et pósuit os meum quasi glàdium acútum: in umbra manûs suæ protexit me, et pósuit me sicut sagittam electam, in pháretra sua abscondit me. Et dixit mihi: Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriábor. Hæc dicit.

℟. Vos testes mei, 194.

LECTIO II.

Et nunc dicit Dóminus, formans me ex útero servum sibi, ut redúcam Jacob ad eum, et Israel non congregábitur: et glorificátus sum in óculis Dómini, et Deus meus factus est fortitúdo mea. Et dixit: Parùm est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ. Hæc dicit Dóminus redemptor Israel, Sanctus ejus, ad contemptíbilem ánimam, ad abominátam gentem, ad servum dominórum: Reges vidébunt, et consurgent príncipes, et adorábunt propter Dóminum, quia fidélis est, et Sanctum Israel qui elégit te. Hæc dicit.

℟. Pópulus, 194.

LECTIO III.

Hæc dicit Dóminus: In témpore plácito exaudívi te, et in die salútis auxiliátus sum tuî: et servávi te, et dedi te in fœdus pópuli, ut

suscitáres terram, et possidéres hæreditátes dissipátas; ut díceres his qui vincti sunt : Exíte; et his qui in ténebris : Revelámini. Super vias pascentur, et in ómnibus planis páscua eórum. Non esúrient, neque sítient, et non percútiet eos æstus et sol; quia miserátor eórum reget eos, et ad fontes aquárum potábit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, et sémitæ meæ exaltabuntur. Hæc dicit.

℟. Properábunt, 195.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Fílii Sion, exultáte et lætámini in Dómino Deo vestro; quia dedit vobis decórem justítiæ. *Joel* 2.

Ad Magnificat, *Ant.* 1. a. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. *Is.* 55. [*Nisi dicenda sit Antiph.* O sapiéntia.]

SABBATO.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 49.)

Hæc dicit Dóminus Deus : Ecce levábo ad gentes manum meam, et ad pópulos exaltábo signum meum. Et ásserent fílios tuos in ulnis, et fílias tuas super húmeros portábunt. Et erunt reges nutrítii tui, et regínæ nutríces tuæ : vultu in terram demisso, adorábunt te, et púlverem pedum tuórum lingent. Et scies quia ego Dóminus, super quo non confundentur qui expectant eum. Numquid tollétur à forti præda? aut quod captum fúerit à robusto, salvum esse póterit? Quia hæc dicit Dóminus : Equidem, et captívitas à forti tollétur; et quod ablátum fúerit à robusto, salvábitur. Eos verò qui judicavérunt te, ego judicábo; et fílios tuos ego salvábo. Hæc dicit.

℟. Sapiéntia, 195.

LECTIO II.

(Cap. 50.)

Hæc dicit Dóminus : Quis est hic liber repúdii matris vestræ, quo dimísi eam? aut quis est créditor meus, cui véndidi vos? Ecce in iniquitátibus vestris vénditi estis, et in sceléribus vestris dimísi matrem vestram. Quia veni, et non erat vir : vocávi, et non erat qui audíret. Numquid abbreviáta et párvula facta est manus mea, ut non possim redímere? aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatióne mea desertum fáciam mare, ponam flúmina in siccum : computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti. Hæc dicit.

℟. Sensum tuum, 196.

LECTIO III.

Juxta est qui justíficat me,

quis contradícet mihi? Stemus simul, quis est adversárius meus? Accédat ad me. Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus, quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tínea cómedet eos. Quis ex vobis timens Dóminum, áudiens vocem servi sui? Qui ambulávit in ténebris, et non est lumen ei, speret in nómine Dómini, et innitátur super Deum suum. Hæc dicit.

℟. Quis suscitávit, 196.

Si incœptæ fuerint Ant. majores O, tunc ad Laudes et per Horas dicuntur Antiphonæ propriæ, ut ordinantur infrà, ante Officium Vigiliæ Natalis Domini.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. ç. Ponam verba mea in ore ejus; loqueturque ad eos ómnia quæ præcépero illi. *Deuter.* 18.

AD VESPERAS.

Psalmi de Sabbato. Antiphonæ ut in I Vesperis Dominicæ I. Adventûs. Post diem 15, Ant. ut infrà juxta diem mensis.

Capitulum. (*Isaiæ* 59.)

TIMÉBUNT qui ab occidente, nomen Dómini; et qui ab ortu solis, glóriam ejus; cùm vénerit quasi flúvius violentus quem Spíritus Dómini cogit, et vénerit Sion Redemptor.

Hymnus, Statúta, 177.

℣. Visitasti terram, Dómine, ℟. Et inebriasti eam. *Ps.* 64.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; et dicétis in die illa: Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus. *Is.* 12. [*Nisi dicenda sit Ant.* O.]

Collecta, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Ante 16 *Decembris,*

INVITATORIUM.

DOMINUM Deum qui ventúrus est,* Veníte, adorémus *Apoc.* 1.

Die 16, *et posteà,*

INVITATORIUM.

DOMINUS propè est: * Veníte, adoremus. *Philipp.* 4.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Instantis, 173.

Psalmi ut in Psalterio.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Dicit Dóminus: Reversus sum ad Sion, et habitábo in médio Jerúsalem; et vocábitur cívitas veritátis. *Zach.* 8.

Ant. 2. a. In diébus illis, ait Dóminus, vénient fílii Israel, et fílii Juda simul, et Dóminum Deum suum quærent. *Jerem.* 50.

Ant. 3. c. Hæreditábunt terram electi mei qui requi-

siérunt me; et vos qui dereliquístis Dóminum, omnes corruétis. *Is.* 65.

℣. Pópulum húmilem salvum fácies, Dómine; ℟. Et óculos superbórum humiliábis. *Ps.* 17.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 51.)

Audite me, qui sequímini quod justum est, et quæritis Dóminum: atténdite ad petram unde excísi estis, et ad cavernam laci de qua præcísi estis. Atténdite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ péperit vos; quia unum vocávi eum, et benedixi ei, et multiplicávi eum. Consolábitur ergo Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas ejus: et ponet desertum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox laudis. Atténdite ad me, pópule meus, et tribus mea, me audíte: quia lex à me éxiet, et judícium meum in lucem populórum requiescet. Propè est Justus meus, egressus est Salvátor meus, et bráchia mea pópulos judicábunt: me ínsulæ expectábunt, et bráchium meum sustinébunt. Leváte in cœlum óculos vestros, et vidéte sub terra deorsum; quia cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atterétur, et habitatóres ejus sicut hæc interíbunt: Salus autem mea in sempiternum erit, et justítia mea non defíciet. Hæc dicit.

℟. Ego quasi nutrítius Ephraïm, portábam eos in bráchiis meis; et nesciérunt quòd curárem eos: * In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis. ℣. Nemo potest veníre ad me, nisi Pater qui misit me, tráxerit eum: omnis qui audívit à Patre, et dídicit, venit ad me: * In. *Os.* 11. *Joan.* 6.

LECTIO II.

Audite me, qui scitis justum; pópulus meus, lex mea in corde eórum: nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphémias eórum ne metuátis. Sicut enim vestimentum, sic cómedet eos vermis; et sicut lanam, sic devorábit eos tínea. Salus autem mea in sempiternum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum. Consurge, consurge, indúere fortitúdinem, bráchium Dómini: consurge sicut in diébus antíquis, in generatiónibus seculórum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti dracónem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, ut transírent liberáti? Hæc dicit.

℟. Dicit Dóminus ad Je-

rúsalem : Tantùm in te est Deus, et non est absque te Deus. * Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israel Salvátor. ℣. Dómine, quid factum est, quia manifestatúrus es nobis teipsum, et non mundo ? * Verè. *Is.* 45. *Joan.* 14.

LECTIO III.

Ego autem sum Dóminus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus : Dóminus exercítuum nomen meum. Pósui verba mea in ore tuo, et in umbra manûs meæ protexi te, ut plantes cœlos, et fundes terram, et dicas ad Sion : Pópulus meus es tu. Eleváre, eleváre, consurge, Jerúsalem, quæ bibisti de manu Dómini cálicem iræ ejus : usque ad fundum cálicis sopóris bibisti, et potasti usque ad fæces. Non est qui sustentet eam ex ómnibus fíliis quos génuit ; et non est qui apprehendat manum ejus ex ómnibus fíliis quos enutrívit. Duo sunt quæ occurrérunt tibi : quis contristábitur super te ? Vástitas, et contrítio, et fames, et gládius : quis consolábitur te ? Hæc.

℟. Expectátio Israel, Salvátor ejus, Dómine, * Quare futúrus es in terra velut vir vagus ? † Dómine, nomen tuum invocátum est super nos ; ne derelinquas nos. ℣. Tu es Fílius Dei, tu es Rex Israel :* Quare. Glória. † Dómine. *Jerem.* 14. *Joan.* 1.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. c. Mundámini : præcédet vos Dóminus, et congregábit vos Deus Israel. *Is.* 52.

Ant. 1. a. Iste asperget gentes multas : super ipsum continébunt reges os suum. *Is.* 52.

Ant. 7. *d.* Ego suscitávi eum ad justítiam, et omnes vias ejus dírigam, dicit Dóminus Deus exercítuum. *Is.* 45.

℣. Deus meus, impollúta via ejus : ℟. Protector est ómnium sperántium in se. *Ps.* 17.

LECTIO IV.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(Serm. 1. de Jejunio decimi mensis, et Collectis.)

Quod témporis rátio et devotiónis nostræ ádmonet consuetúdo, pastoráli vobis, dilectíssimi, sollicitúdine prædicámus, décimi mensis celebrandum esse jejúnium. quo pro consummátâ perceptióne ómnium frúctuum, diligentíssimè largitóri eórum Deo continéntiæ libámen offertur. Quid enim potest efficácius esse jejúnio, cujus observántiâ appropinquámus Deo, et resistentes diábolo, semper vítia blanda superámus ?

℟. Jejúnium décimi erit dómui Juda in gáudium et in solemnitátes præcláras : *

Veritátem et pacem dilígite. ℣. In Spíritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectióne Dei serváte, expectantes misericórdiam Dómini nostri Jesu Christi : * Veritátem. *Zach.* 8. *Ep. Jud.*

LECTIO V.

Semper virtúti cibus jejúnium fuit. De abstinéntia pródeunt castæ cogitatiónes, rationábiles voluntátes, salubrióra consília : et per voluntárias afflictiónes caro concupiscéntiis móritur, virtútibus spíritus innovátur. Sed quia non solo jejúnio animárum nostrárum salus acquíritur, jejúnium nostrum misericórdiis páuperum suppleámus. Impendámus virtúti, quod subtráhimus voluptáti. Fiat reféctio paúperis, abstinéntia jejunantis.

℟. Hoc est jejúnium quod elégi, dicit Dóminus : Frange esurienti panem tuum, et egénos vagosque induc in domum tuam ; * Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet ; clamábis, et dicet : Ecce adsum. ℣. Cùm vénerit Fílius hóminis, dicet his qui à dextris ejus erunt : Veníte ; esurívi enim, et dedistis mihi manducáre ; * Tunc. *Is*. 58. *Matth*. 25.

LECTIO VI.

Studeamus viduárum defensióni, pupillórum utilitáti, lugéntium consolatióni, dissidéntium paci. Suscipiátur peregrínus, adjuvétur oppressus, vestiátur nudus ; foveátur ægrótus, ut quicumque nostrûm de justis labóribus auctóri bonórum ómnium Deo sacrifícium hujus pietátis obtúlerit, ab eódem, regni cœlestis præmium percípere mereátur.

℟. Qui prójicit avarítiam et éxcutit manus suas ab omni múnere : qui obtúrat aures suas, ne áudiat sánguinem, et claudit óculos suos ne vídeat malum, * Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus. ℣. Uniuscujusque opus dies Dómini declarábit ; si cujus opus mánserit, mercédem accípiet : * Regem in decóre suo vidébunt oculi ejus. Glória. * Regem. *Is*. 33. 1 *Cor*. 3.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 6. F. Vox clamantis in deserto : Paráte viam Dómini. *Is*. 40.

Ant. 8. G. Pœniténtiam ágite ; appropinquávit enim regnum cœlórum. *Matth*. 3.

Ant. 4. d. Confortámini, et nolíte timére : ecce Deus vester. *Is*. 35.

℣. Universæ viæ Dómini misericórdia et véritas, ℟. Requiréntibus testamentum ejus et testimónia ejus. *Ps*. 24.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 1.)

In illo témpore ; Misérunt

Judæi ab Jerosólymis Sacerdótes et Lévitas ad Joannem, ut interrogárent eum: Tu quis es? Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 7, in Evang.)

Ex hujus nobis lectiónis verbis, fratres caríssimi, Joannis humílitas commendátur: qui cùm tantæ virtútis esset, ut Christus credi potuisset, elégit sólidè subsístere in se, ne humánâ opinióne raperétur inániter super se. Nam confessus est, et non negávit; et confessus est: Quia non sum ego Christus. Sed quia dixit, Non sum; negávit planè quod non erat, sed non negávit quod erat; ut veritátem loquens, ejus membrum fíeret cujus sibi nomen falláciter non usurpáret. Cùm ergo non vult appétere nomen Christi, factus est membrum Christi; quia, dum infirmitátem suam stúduit humíliter agnóscere, illíus celsitúdinem méruit veráciter obtinére.

℟. Hoc est testimónium Joannis, quando misérunt Judæi ad eum: * Non sum ego Christus, non sum Elías, non sum Prophéta. ℣. Dómine, non est exaltátum cor meum, neque eláti sunt óculi mei: * Non sum ego Christus. *Joan.* 1. *Ps.* 130.

LECTIO VIII.

Inquisitus à discípulis Dóminus de Elíæ adventu, respondit: Elías jam venit, et non cognovérunt eum, sed fecérunt in eum quæcumque voluérunt. Et, si vultis scire, Joannes ipse est Elías. Requisítus autem Joannes dicit: Non sum Elías. Quid est hoc, fratres caríssimi, quia quod Véritas affirmat, hoc Prophéta Veritátis negat? Sed si subtíliter véritas ipsa requirátur, hoc quod inter se contrárium sónuit, quómodò contrárium non sit, invenítur. Ad Zacharíam namque de Joanne Angelus dicit: Ipse præcédet ante illum in spíritu et virtúte Elíæ. Qui idcirco ventúrus in spíritu et virtúte Elíæ dícitur, quia sicut Elías secundum Dómini adventum prævéniet, ita Joannes prævénit primum. Sicut ille præcursor ventúrus est Júdicis, ita iste præcursor est factus Redemptóris. Joannes ígitur in spíritu Elías erat, in persóna Elías non erat. Quod ergo Dóminus fatétur de spíritu, hoc Joannes dénegat de persóna.

℟. Confessus est Joannes, et non negávit; et confessus est: Quia non sum ego Christus. * Ipse est qui post me ventúrus est, qui ante me factus est. ℣. Ante Dóminum qui elégit me, vílior fiam plusquàm factus sum: * Ipse est qui post me ventúrus est, qui ante me factus est. *Joan.* 1. 2 *Reg.* 6.

LECTIO IX.

Joannes vocem se esse ásserit, quia Verbum præcédit. Adventum ítaque Domínicum præcurrens, Vox dícitur; quia per ejus ministérium Patris Verbum ab homínibus audítur. Qui étiam in deserto clámat; quia derelictæ destitutæque Judææ solátium Redemptóris annúntiat. Quid autem clamet insínuat, cùm subjungit: Dirígite viam Dómini, sicut dixit Isaías prophéta. Via Dómini ad cor dirígitur, cùm veritátis sermo humíliter audítur. Via Dómini ad cor dirígitur, cùm ad præceptum illíus vita præparátur. Unde scriptum est: Si quis díligit me, sermónem meum servábit, et Pater meus díliget eum; et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus.

℟. Vos mihi testimónium perhibétis quod díxerim: Non sum ego Christus; sed * Quia missus sum ante illum. Qui accépit ejus testimónium, signávit quia Deus verax est. ℣. Præparáte viam, plánum fácite iter: ecce Salvátor venit; * Quia missus sum ante illum. Glória Patri. *Repet.* ℟. Vos mihi, *usque ad* ℣. *Joan.* 3. *Is.* 62.

℣. *Sacerd.* Exultábit cor meum in salutári tuo: ℟. Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12.

AD LAUDES.

Ant. 1. D. Véniet ex Sion qui erípiat, et avertat impietátem à Jacob: et hoc illis à me testamentum, cùm abstúlero peccáta eórum. *Rom.* 11.

Ant. 2. D. Dabo eis cor unum et viam unam, ut tímeant me universis diébus, et bene sit eis. *Jerem.* 32.

Ant. 3. à. Fériam eis pactum sempiternum, et non désinam eis benefácere: et timórem meum dabo in corde eórum, ut non recédant à me. *Jerem.* 32.

Ant. 4. *D.* Salvos eos fáciam, et emundábo eos; et erunt mihi pópulus, et ego ero eis Deus. *Ezech.* 37.

Ant. 5. a. Pastor unus erit ómnium eórum: in judíciis meis ambulábunt, et mandáta mea custódient et fácient ea. *Ezech.* 37.

Capitulum. (*Jerem.* 30.)

Revertetur Jacob, et quiescet, et cunctis áffluet bonis, et non erit quem formídet; quóniam tecum ego sum, ait Dóminus, ut salvem te.

Hymnus, Jordánis, 174.

℣. Deus in dómibus Sion cognoscétur, ℟. Cùm suscípiet eam. *Ps.* 47.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. G. Ego baptízo in aqua; médius autem vestrûm stetit, quem vos nescítis: ipse est qui post me ventúrus est. *Joan.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Excita, Dómine, quæsumus, poténtiam tuam, et veni; ut hi qui in tua pietáte confídunt, ab omni cítiùs adversitáte liberentur; Qui vivis.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. Véniet ex Sion.

In ℟. *br.* ℣. Qui ventúrus es * In mundum. *Joan.* 6.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Dabo eis.

Capitulum. (*Jerem.* 33.)

Erit mihi in nomen, et in gáudium, et in laudem, et in exultatiónem cunctis géntibus terræ, quæ audíerint ómnia bona quæ ego factúrus sum eis: et pavébunt, et turbabuntur in universis bonis, et in omni pace quam ego fáciam eis.

℟. *br.* Vísita nos, Dómine, * In salutári tuo. Vísita nos. ℣. Ad videndum in bonitáte * electórum tuórum, * In salutári tuo. Glória. Vísita. *Ps.* 105.

℣. Bénefac, Dómine, bonis, ℟. Et rectis corde. *Ps.* 124.

AD SEXTAM.

Ant. 3. à. Fériam eis.

Capitulum. (*Hebr.* 8.)

Hoc est testamentum quod dispónam dómui Israel post dies illos, dicit Dóminus: Dabo leges meas in mentem eórum, et in corde eórum superscríbam eas, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in pópulum.

℟. *br.* Exurge, Dómine Deus, * In præcepto quod mandasti. Exurge. ℣. Et synagóga populórum * circúmdabit te, * In. Glória. Exurge. *Ps.* 7.

℣. Non discédimus à te, vivificábis nos: ℟. Et nomen tuum invocábimus. *Ps.* 79.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Pastor unus.

Capitulum. (*Mich.* 2.)

Congregatione congregábo, Jacob, totum te: in unum condúcam relíquias Israel; páriter ponam illum quasi gregem in óvili, quasi pecus in médio caulárum: tumultuabuntur à multitúdine hóminum.

℟. *br.* Qui regis Israel, inténde: * Qui dedúcis velut ovem Joseph. Qui regis. ℣. Qui sedes super Chérubim, * manifestáre; * Qui dedúcis. Glória. Qui. *Ps.* 79.

℣. Nos pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, ℟. Confitébimur tibi in séculum. *Ps.* 78.

AD VESPERAS.

Ant. 3. a. Dicit Dóminus redemptor tuus, Israel: Ego sum Dóminus, súscitans verbum servi sui, et consílium nuntiórum suórum complens, allelúia. *Is.* 44.

Ant. 1. D. Locútus sum

super Prophétas, et ego visiónem multiplicávi, et in manu Prophetárum assimilátus sum, allelúia. *Os.* 12.

Ant. 5. C. Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum, allelúia. *Is.* 52.

Ant. 4. A. Bonas fácite vias vestras, et stúdia vestra; et habitábo vobiscum, allelúia. *Jerem.* 7.

Ant. 6. F. Scient omnes gentes quia est qui rédimat, et líberet Israel, allelúia. 1. *Mach.* 4.

Capitulum. (1. *Mach.* 4.)

Nunc clamémus in cœlum; et miserébitur nostrî Dóminus, et memor erit testamenti patrum nostrórum.

Hymnus, Statúta, 177.

℣. Misericórdia Dómini ab æterno et usque in ætérnum, ℟. His qui servant testamentum ejus. *Ps.* 102.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. à. Qui post me ventúrus est, ante me factus est; cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrígiam calceamenti. *Joan.* 1. [*Nisi dicatur Ant.* O.]

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 51.)

Audi hoc, paupércula, et ébria non à vino. Hæc dicit dominátor tuus Dóminus, et Deus tuus, qui pugnávit pro pópulo suo: Ecce tuli de manu tua cálicem sopóris, fundum cálicis indignatiónis meæ; non adjícies ut bibas illum ultrà. Et ponam illum in manu eórum qui te humiliavérunt, et dixérunt ánimæ tuæ: Incurváre, ut transeámus; et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeúntibus. Hæc dicit.

℟. Ego quasi, 207.

LECTIO II.

(Cap. 52.)

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salútem, dicentis Sion: Regnábit Deus tuus! Vox speculatórum tuórum: levavérunt vocem, simul laudábunt; quia óculo ad óculum vidébunt, cùm convérterit Dóminus Sion. Gaudéte, et laudáte simul, deserta Jerúsalem, quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem. Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium: et vidébunt omnes fines terræ Salutáre Dei nostri. Hæc dicit.

℟. Dicit, 207.

LECTIO III.

Recedite, recédite, exíte inde, pollútum nolíte tángere: exíte de médio ejus, mundámini, qui fertis vasa

Dómini. Quóniam non in tumultu exíbitis, nec in fuga properábitis; præcédet enim vos Dóminus, et congregábit vos Deus Israel. Ecce intélliget servus meus, exaltábitur, et elevábitur; et sublímis erit valdè. Sicut obstupuérunt super te multi, sic inglórius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter fílios hóminum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continébunt reges os suum: quia quibus non est narrátum de eo, vidérunt; et qui non audiérunt, contempláti sunt. Hæc dicit.

℞. Expectátio, 208.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. A. Expectábo Dóminum, qui abscondit fáciem suam à domo Jacob; et præstolábor eum. *Is.* 8.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. c. Super Dómino non confundentur qui expectant eum. *Is.* 49. [*Nisi dicatur Ant.* O.]

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 54.)

LAUDA, stérilis, quæ non paris: decanta laudem, et hinni, quæ non pariébas; quóniam multi fílii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum, dicit Dóminus. Diláta locum tentórii tui, et pelles tabernaculórum tuórum extende: ne parcas, longos fac funículos tuos, et clavos tuos consólida. Ad déxteram enim et ad lævam penetrábis: et semen tuum gentes hæreditábit, et civitátes desertas inhabitábit. Hæc

℞. Jejúnium, 208.

LECTIO II.

NOLI timére, quia non confundéris, neque erubesces: non enim te pudébit, quia confusiónis adolescéntiæ tuæ obliviscéris, et oppróbrii viduitátis tuæ non recordáberis ámpliùs. Quia dominábitur tuî qui fecit te: Dóminus exercítuum, nomen ejus; et redemptor tuus, Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocábitur. Quia ut mulíerem derelictam et mœrentem spíritu vocávit te Dóminus, et uxórem ab adolescéntia abjectam, dixit Deus tuus. Ad punctum in módico derelíqui te, et in miseratiónibus magnis congregábo te. In momento indignatiónis abscondi fáciem meam parumper à te, et in misericórdia sempiterna misertus sum tuî, dixit redemptor tuus Dóminus. Hæc dicit.

℞. Hoc est jejúnium, 209.

LECTIO III.

SICUT in diébus Noe istud mihi est, cui jurávi ne indúcerem aquas Noe ultrà super terram; sic jurávi ut non irascar tibi, et non increpem te. Montes enim

commovebuntur, et colles contremiscent; misericórdia autem mea non recédet à te, et fœdus pacis meæ non movébitur, dixit miserátor tuus Dóminus. Paupércula, tempestáte convulsa, absque ulla consolatióne. Ecce ego sternam per órdinem lápides tuos, et fundábo te in sapphíris; et ponam jáspidem propugnácula tua, et portas tuas in lápides sculptos, et omnes términos tuos in lápides desiderábiles, universos fílios tuos doctos à Dómino, et multitúdinem pacis fíliis tuis : et in justítia fundáberis. Hæc dicit.

℟. Qui prójicit, 209.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Ego, ego ipse consolábor vos : Dóminus exercítuum nomen meum. *Is.* 51.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *a.* Clama ad me, et exáudiam te : et suscitábo verbum bonum quod locútus sum ad domum Israel. *Jerem.* 33. [*Nisi dicatur Ant.* O.]

FERIA QUARTA
QUATUOR TEMPORUM.

Ad Nocturnum, *Ant. et* ℣. *è III. Noct. Dominicæ, præcedentis.*

LECTIO I.
De Isaía Prophéta.
(Cap. 55.)

Quærite Dóminum, dum inveníri potest : invocáte eum, dum propè est. Derelinquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum; et miserébitur ejus : et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes vestræ; neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dóminus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ à viis vestris, et cogitatiónes meæ à cogitatiónibus vestris. Hæc dicit.

℟. Súscita, Dómine, prædicatiónes quas locúti sunt in nómine tuo Prophétæ prióres : * Da mercédem sustinéntibus te, ut Prophétæ tui fidéles inveniantur; et exaudi oratiónes servórum tuórum. ℣. Dómine Deus omnípotens, qui es, et qui eras, et qui ventúrus es, advénit tempus réddere mercédem servis tuis : * Da mercédem sustinéntibus te. *Eccli.* 36. *Apoc.* 11.

LECTIO II.

Et quómodò descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultrà non revértitur, sed inébriat terram, et infundit eam, et germináre eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti; sic erit verbum meum quod egrediétur de ore meo : non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcumque vólui, et prosperábitur in iis

ad quæ misi illud. Quia in lætítia egrediémini, et in pace deducémini : montes et colles cantábunt coram vobis laudem, et ómnia ligna regiónis plaudent manu. Pro saliunca ascendet ábies, et pro urtíca crescet myrtus : et erit Dóminus nominátus in signum ætérnum, quod non auferétur. Hæc dicit.

℟. Consolámini, consolámini, pópule meus, dicit Deus vester; quóniam * Compléta est malítia Jerúsalem, dimissa est iníquitas illíus. ℣. Vobis remíssio peccatórum annuntiátur, et ab ómnibus quibus non potuistis in lege Móysi justificári : * Compléta est malítia Jerúsalem, dimissa. *Is.* 40. *Act.* 13.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 1.)

In illo témpore; Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen vírginis, María. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

(In cap. 1 Luc. in Festo Annuntiat. tom. 7.)

Exordium nostræ redemptiónis, fratres caríssimi, hodierna nobis sancti Evangélii léctio commendat, quæ Angelum à Deo de cœlis missum narrat ad Vírginem; ut novam in carne nativitátem Filii Dei prædicáret; per quam nos, abjectâ vetustáte nóxiâ, renovári atque inter fílios Dei computári possímus. Aptum profectò humánæ restauratiónis princípium fuit, ut Angelus à Deo mitterétur ad Vírginem partu consecrandam divíno; quia prima perditiónis humánæ fuit causa, cùm serpens à diábolo mittebátur ad mulíerem spíritu supérbiæ decipiendam : imò ipse in serpente diábolus veniébat, qui genus humánum, deceptis paréntibus primis, immortalitátis glóriâ nudáret.

℟. Ave, grátiâ plena; Dóminus tecum : * Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideòque et † Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. ℣. Creávit Dóminus novum super terram : Fémina circúmdabit virum * Spíritus sanctus. Glória. † Quod nascétur. *Luc.* 1. *Jerem.* 31.

Dicitur Te Deum.

Ad Laudes et ad cæteras Horas, non dicuntur Preces.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Ne tímeas, María; concípies in útero, et páries Fílium : hic erit magnus, et

Fílius Altíssimi vocábitur. *Luc.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Propere esto, Dómine, ómnibus expectántibus te in veritáte; ut in adventu Fílii tui Dómini nostri, plácitis tibi áctibus præsentémur; Per eumdem. *Et dicitur ad Laudes et ad Horas tantùm.*

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus : et regnábit in domo Jacob in æternum : et regni ejus non erit finis. *Luc.* 1. [*Nisi dicatur Ant.* O.]

Collecta Dominicæ præcedentis.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 56.)

Hæc dicit Dóminus : Custodíte judícium, et fácite justítiam ; quia juxtà est salus mea ut véniat, et justítia mea ut revelétur. Beátus vir qui facit hoc, et fílius hóminis qui apprehendet istud : custódiens sábbatum ne pólluat illud, custódiens manus suas ne fáciat omne malum. Hæc dicit.

℟. Ego quasi nutrítius Ephraim, portábam eos in bráchiis meis, 207.

LECTIO II.

Et non dicat fílius ádvenæ qui adhæret Dómino, dicens : Separatióne dívidet me Dóminus à pópulo suo. Et non dicat eunúchus : Ecce ego lignum áridum. Quia hæc dicit Dóminus eunúchis : Qui custodíerint sábbata mea, et elégerint quæ ego vólui, et tenúerint fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen mélius à fíliis et filiábus : nomen sempiternum dabo eis quod non períbit. Et fílios ádvenæ qui adhærent Dómino, ut colant eum, et díligant nomen ejus, ut sint ei in servos; omnem custodientem sábbatum ne pólluat illud, et tenentem fœdus meum, addúcam eos in montem sanctum meum, et lætificábo eos in domo oratiónis meæ. Holocausta eórum et víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo; quia domus mea domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis. Hæc dicit.

℟. Dicit Dóminus, 207.

LECTIO III.

Ait Dóminus Deus qui cóngregat dispersos Israel : Adhuc congregábo ad eum congregátos ejus. Omnes béstiæ agri, veníte ad devorandum, universæ béstiæ saltûs. Speculatóres ejus cæci omnes, nesciérunt universi : canes muti non valentes latráre, videntes vana, dormientes, et amantes sómnia. Et canes impudentíssi-

mi nesciérunt saturitátem : ipsi pastóres ignoravérunt intelligéntiam : omnes in viam suam declinavérunt, unusquisque ad avarítiam suam à summo usque ad novíssimum. Hæc dicit.

℟. Expectátio, 208.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. G. Ecce ego vénio, ait Dóminus : et applicabuntur gentes multæ ad Dóminum, et erunt mihi in pópulum. *Zach.* 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. O, *ut infrà ante Officium Vigiliæ Natalis Domini.*

FERIA SEXTA

QUATUOR TEMPORUM.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 58.)

Clama, ne cesses : quasi tuba exalta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Jacob peccáta eórum. Me étenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt, quasi gens quæ justítiam fécerit, et judícium Dei sui non derelíquerit. Rogant me judícia justítiæ; appropinquáre Deo volunt. Quare jejunávimus, et non aspexisti; humiliávimus ánimas nostras, et nescisti ? Ecce in die jejúnii vestri invenítur voluntas vestra, et omnes debitóres vestros repétitis. Ecce ad lites et contentiónes jejunátis, et percútitis pugno ímpiè. Hæc dicit.

℟. Jejúnium, 208.

*Si hâc die occurrat Festum sancti Thomæ, sequens Lectio dividitur in duas, divisione factâ ad * Asteriscum.*

LECTIO II.

Nolite jejunáre sicut usque ad hanc diem, ut audiátur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejúnium quod elégi, per diem afflígere hóminem ánimam suam ? Numquid contorquére quasi círculum caput suum, et saccum et cínerem stérnere ? Numquid istud vocávi jejúnium, et diem acceptábilem Dómino ? Nonne hoc est magis jejúnium quod elégi ? Dissolve colligatiónes impietátis, solve fascículos depriméntes; dimitte eos qui confracti sunt, líberos, et omne onus dirumpe. * Frange esurienti panem tuum, et egénos vagosque induc in domum tuam : cùm víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítiùs oriétur, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te. Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet; clamábis, et dicet : Ecce adsum. Si abstúleris de médio tuî caténam, et desíeris exténdere dígitum, et lóqui quod non prodest. Cùm ef-

fúderis esurienti ánimam tuam, et ánimam afflictam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, et ténebræ tuæ erunt sicut merídies. Hæc dicit.

℟. Hoc est jejúnium, 209.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

(Cap. 1.)

Exurgens María in diébus illis, ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda; et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elízabeth. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Luc. lib. 2.)

Contuendum est quia supérior venit ad inferiórem, ut inférior adjuvétur; María ad Elízabeth, Christus ad Joannem. Dénique étiam pósteà, ut sanctificáret baptismum Joannis, Dóminus venit ad baptismum. Citò quoque adventûs Maríæ et præséntiæ Domínicæ benefícia declarantur. Simul enim ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth, exultávit infans in útero ejus; et repléta est Spíritu sancto. Vide distinctiónem, singulorumque verbórum proprietátes. Vocem prior Elízabeth audívit, sed Joannes prior grátiam sensit. Illa natúræ órdine audívit, iste exultávit ratióne mystérii, illa Maríæ, iste Dómini sensit adventum. Istæ grátiam loquuntur, illi intùs operantur, pietatisque mystérium maternis adoriuntur proféctibus; duplicique miráculo prophétant matres spíritu parvulórum. Exultávit infans, repléta est mater. Non prius mater repléta quàm fílius; sed cùm fílius esset replétus Spíritu sancto, replévit et matrem.

℟. Unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? * Et beáta quæ credidisti, quóniam † Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. ℣. Benedictus Dóminus, qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum; * Et beáta. Glória. † Perficientur. *Luc.* 1. *Judith.* 13.

Ad Laudes *et per Horas*, *Antiphonæ propriæ, ut infrà ante Officium Vigiliæ Natalis Domini; et sic in sequentibus Feriis.*

Ad Benedictus, *Ant.* 4. A. Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

COLLECTA. Orémus

Aurem tuam, quæsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda, et mentis nostræ ténebras grátià tuæ visitatiónis illustra; Qui vivis.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. O, *ut infrà. Collecta Dominicæ præced.*

SABBATO

QUATUOR TEMPORUM.

Ad Nocturnum. *Ant. et ℣. è III Noct. Dominicæ precedentis.*

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 61.)

Spiritus Dómini super me, eò quòd únxerit Dóminus me : ad annuntiandum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam, et clausis apertiónem ; ut prædicárem annum placábilem Dómino, et diem ultiónis Deo nostro ; ut consolárer omnes lugentes ; ut pónerem lugéntibus Sion, et darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro spíritu mœróris : et vocabuntur in ea fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificandum. Et ædificábunt deserta à século, et ruínas antíquas érigent, et instaurábunt civitátes desertas, dissipátas in generatiónem et generatiónem. Hæc dicit.

℟. Sion, non dissolvantur manus tuæ : Dóminus Deus tuus in médio tuî, fortis ; ipse salvábit : * Gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, exultábit super te in laude. ℣. Fecit Dóminus redemptiónem plebis suæ : * Gaudébit. *Soph.* 3. *Luc.* 1.

*Si hâc die occurrat Festum sancti Thomæ, sequens Lectio dividitur in duas, divisione factâ ad * Asteriscum.*

LECTIO II.

Et stabunt aliéni, et pascent pécora vestra : et filii peregrinórum agrícolæ et vinitóres vestri erunt. Vos autem sacerdótes Dómini vocabímini : Ministri Dei nostri, dicétur vobis. Fortitúdinem géntium comedétis, et in glória eárum superbiétis. Pro confusióne vestra dúplici et rubóre, laudábunt partem suam : propter hoc in terra sua duplícia possidébunt, lætítia sempiterna erit eis. Quia ego Dóminus díligens judícium, et ódio habens rapínam in holocausto ; et dabo opus eórum in veritáte, et fœdus perpétuum fériam eis. * Et scient in Géntibus semen eórum, et germen eórum in médio populórum : omnes qui víderint eos, cognoscent illos ; quia isti sunt semen, cui benedixit Dóminus. Gaudens gaudébo in Dómino, et exultábit ánima mea in Deo meo ; quia índuit me vestimentis salútis, et indumento justítiæ circúmdedit me, quasi sponsum decorátum corónâ, et quasi sponsam ornátam monílibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen

suum gérminat, sic Dóminus Deus germinábit justítiam, et laudem coram universis géntibus. Hæc dicit.

℟. Sion, non vocáberis ultra Derelicta; et terra tua non vocábitur ámpliùs Desoláta: habitábunt in te fílii tui. * Totà die et totà nocte in perpétuum non tacébunt, donec stabíliat laudem in terra Dóminus. ℣. Vénient ab Oriente, et Occidente, et Aquilóne, et Austro: * Totà die. *Is*. 62. *Luc*. 13.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

(Cap. 1.)

Initium Evangélii Jesu Christi Fílii Dei, sicut scriptum est in Isaía prophéta: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 6. in Evang.)

Quod græcè Angelus hoc latínè núntius dícitur. Rectè ergo qui nuntiáre supernùm Júdicem míttitur, Angelus vocátur; ut dignitátem servet in nómine quam explet in operatióne. Altum quidem nomen est, sed vita nómine inférior non est. Utinam, fratres caríssimi, non ad judícium nostrum dicámus; quia omnes qui sacerdótii nómine censentur, Angeli vocantur, Prophétâ attestante qui ait: Lábia sacerdótis custódiunt sciéntiam, et legem requírunt ex ore ejus; quia Angelus Dómini exercítuum est. Sed hujus altitúdinem nóminis étiam vos, si vultis, potestis meréri. Nam unusquisque vestrûm in quantum súfficit, in quantum grátiam supernæ aspiratiónis accépit, si à pravitáte próximum révocat, si exhortári ad bene operandum curat, si æternum regnum vel supplícium erranti denúntiat, cùm sanctæ annuntiatiónis verba impendit, profectò Angelus existit.

℟. Fuit Joannes in deserto baptízans, et prædicans baptismum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum: * Et egrediebátur ad eum omnis Judææ régio, et Jerosolymitæ universi. ℣. Ipse est directus divínitùs in pœniténtiam gentis: * Et. Glória. * Et. *Marc*. 1. *Eccli*. 49.

Ad Benedictus, *Ant*. 8. c. Prædicábat Joannes, dicens: Venit fórtior me post me, cujus non sum dignus procumbens sólvere corrígiam calceamentórum ejus. *Marc*. 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui cónspicis quia ex nostra pravitáte afflígimur: concéde propítius, ut ex tua

visitatióne consolémur; Qui vivis et regnas.

AD VESPERAS.

Psalmi de Sabbato; Ant. ut infra, juxta diem mensis.

Capitulum. (*Genes.* 49.)

Non auferétur sceptrum de Juda, et dux de fémore ejus, donec véniat qui mittendus est; et ipse erit expectátio géntium.

Hymn. Statúta, *supr.* 177.

℣. Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: ℟. Domináre in médio inimicórum tuórum. *Ps.* 109.

Ad Magníficat, *Antiph.* O. *infr. Oratio,* Excita, quæsumus, *ut infrà ad Laudes.*

DOMINICA IV ADVENTUS.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Dominus propè est: * Veníte, adorémus, *Philip.* 4.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Instantis, *ut suprà,* 173. *Psalmi ut in Psalterio.*

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. *D.* Juda, te laudábunt fratres tui: manus tua in cervícibus inimicórum tuórum, adorábunt te filii patris tui. *Genes.* 49.

Ant. 8. G. Dómine, intróduc Judam ad pópulum suum: manus ejus pugnábunt pro eo, et adjútor illíus contra adversários ejus erit. *Deut.* 33.

Ant. 2. D. Cœtus ejus permanébit, et erit dux ejus ex eo; et princeps de médio ejus producétur. *Jerem.* 30.

℣. Elégit Deus tribum Juda, ℟. Montem Sion quem diléxit. *Ps.* 77.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 63.)

Quis est iste qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcántium in torculári? Torcúlar calcavi solus, et de géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eórum super vestimenta mea, et ómnia indumenta mea inquinávi. Dies enim ultiónis in corde meo, annus redemptiónis meæ venit. Circumspexi, et non erat auxiliátor: quæsivi, et non fuit qui adjuváret; et salvávit mihi bráchium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi. Et conculcávi pópulos in furóre meo, et inebriávi eos in indignatióne mea, et detraxi in ter-

ram virtútem eórum. Hæc dicit.

℟. Cátulus leónis Juda : * Ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna; quis suscitábit eum? ℣. Vicit leo de tribu Juda, radix David : * Ad prædam. *Genes.* 49. *Apoc.* 5.

LECTIO II.

Miserationum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus quæ réddidit nobis Dóminus, et super multitúdinem bonórum dómui Israel, quæ largítus est eis secundùm indulgéntiam suam, et secundùm multitúdinem misericordiárum suárum. Et dixit : Verúmtamen pópulus meus est, fílii non negantes; et factus est eis Salvátor. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus, et Angelus faciéi ejus salvávit eos : in dilectióne sua, et in indulgéntia sua ipse redémit eos, et portávit eos, et elevávit eos cunctis diébus séculi. Ipsi autem ad iracúndiam provocavérunt, et afflixérunt spíritum Sancti ejus; et conversus est eis in inimícum, et ipse debellávit eos. Hæc dicit.

℟. Convertam conversiónem Juda, ait Dóminus; et erit in die illa : * Sérvient Dómino Deo suo, et David regi suo quem suscitábo eis; et egrediétur de eis laus. ℣. Salus ex Judæis est; sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem : * Sérvient. *Jerem.* 30. *Joan.* 4.

LECTIO III.

Et recordátus est diérum séculi Móysi, et pópuli sui. Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastóribus gregis sui? ubi est qui pósuit in médio ejus spíritum Sancti sui? Qui eduxit ad déxteram Móysen bráchio majestátis suæ; qui scidit aquas ante eos, ut fáceret sibi nomen sempiternum? Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem? Quasi ánimal in campo descendens, Spíritus Dómini ductor ejus fuit : sic adduxisti pópulum tuum, ut fáceres tibi nomen glóriæ. Hæc dicit.

℟. In diébus illis apprehendent hómines ex ómnibus linguis géntium fímbriam viri Judæi, dicentes : * Ibimus vobiscum; † Audívimus enim quóniam Deus vobiscum est. ℣. Manifestum est quòd ex Juda ortus sit Dóminus noster : * Ibimus. Glória. † Audívimus. *Zach.* 8. *Hebr.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 3. *à.* Radix Jesse qui stat in signum populórum, ipsum Gentes deprecabuntur. *Is.* 11.

Ant. 5. a. Erit in petram scándali duábus dómibus

Israel; et offendent ex eis plúrimi, et cadent. *Is.* 8.

Ant. 8. c. Cæcitas ex parte cóntigit in Israel, donec plenitúdo Géntium intráret, et sic omnis Israel salvus fíeret. *Rom.* 11.

℣. Copiósa apud Dóminum redémptio : ℟. Et ipse rédimet Israel ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps.* 129.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris.

(De idolorum vanitate.)

Quod Christus sit, et quómodò per ipsum nobis salus vénerit, sic est ordo, sic est rátio. Judæis primùm erat apud Deum grátia : sic olim justi erant, sic majóres eórum religiónibus obediébant. Inde illis et regni sublímitas flóruit, et géneris magnitúdo provénit. Sed illi negligentes et indisciplináti et superbi póstmodùm facti, et fidúciâ patrum infláti, dum divína præcepta contemnunt, datam sibi grátiam perdidérunt. Quàm verò fúerit illis profána vita, quæ contracta sit violátæ religiónis offensa, ipsi quoque testantur, qui etsi voce tacent, éxitu confitentur. Dispersi et palabundi vagantur, soli et cœli sui prófugi per hospítia aliéna jactantur. Necnon Deus antè prædíxerat foré ut, vergente século, et mundi fine jam próximo, ex omni gente et pópulo et loco cultóres sibi allégeret Deus multò fideliores et melióris obséquii, qui indulgéntiam de divínis munéribus hauríreut, quam acceptam Judæi, contemptis religiónibus, perdidissent. Hujus ígitur grátiæ disciplinæque árbiter et magister, Sermo et Fílius Dei míttitur, qui per Prophétas omnes retro illuminátor et doctor humáni géneris prædicabátur.

℟. Ecce óculi Dómini Dei super regnum peccans, et cónteram illud à fácie terræ : * Verúmtamen cónterens non cónteram domum Jacob. ℣. Dico vobis; auferétur à vobis regnum Dei, et dábitur genti facienti fructus ejus : * Verúmtamen. *Amos* 9. *Matth.* 21

LECTIO V.

Hic est virtus Dei, hic rátio, hic sapiéntia ejus et glória. Hic in Vírginem illábitur; carnem, Spíritu sancto cooperante, indúitur. Deus cum hómine miscétur. Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediátor duórum, hóminem índuit, quem perdúcat ad Patrem. Quod homo est, esse Christus vóluit, ut et homo possit esse quod Christus est. Sciébant et Judæi Christum esse ventúrum : nam hic illis semper, Prophétis admonéntibus, annuntiabátur; sed significáto dúplici ejus adventu,

uno qui exercítio et exemplo hóminis fungerétur, áltero qui Deum faterétur, non intelligendo primum adventum qui in passióne præcessit occúltus, unum tantùm credunt qui erit in potestáte manifestus. Quòd autem hoc Judæórum pópulus intellígere non pótuit, delictórum méritum fuit. Sic erant sapiéntiæ et intelligéntiæ cæcitáte multáti, ut qui vitâ indigni essent, habérent vitam ante óculos, nec vidérent.

℟. Dies multos sedébunt fílii Israel sine rege, et sine príncipe, et sine sacrifício : et * Post hæc revertentur, et quærent Dóminum Deum suum, et David regem suum; et pavébunt ad Dóminum, et ad bonum ejus. ℣. Numquid sic offendérunt ut cáderent? Absit; sed illórum delicto, salus est géntibus, ut illos æmulentur : * Post hæc revertentur, et quærent Dóminum. *Os.* 3. *Rom.* 11.

LECTIO VI.

Itaque cùm Christus Jesus, secundùm à prophétis antè prædicta, verbo et vocis império dæmónia de homínibus excúteret, paralyticos restríngeret, leprósos purgáret, illumináret cæcos, claudis gressum daret, mórtuos rursus animáret, cógeret sibi elementa famulári, servíre ventos, mária obedíre, ínferos cédere; Judæi qui illum credíderant hóminem tantùm de humilitáte carnis et córporis, existimábant magum de licéntia potestátis... Hoc eos factúros et ipse prædíxerat, et Prophetárum ómnium testimónium sic antè præcésserat, oportére illum pati, non ut sentíret tantùm mortem, sed ut vínceret; et cùm passus esset, ad súperos dénuò régredi, ut vim divínæ majestátis osténderet. Fidem ítaque rerum cursus implévit... Hunc comitámur, hunc séquimur, hunc habémus itíneris ducem, lucis príncipem, salútis auctórem, cœlum páriter et Patrem quæréntibus, et credéntibus pollicentem. Quod est Christus, érimus Christiáni, si Christum fuérimus imitáti.

℟. In die illa, dicit Dóminus, * Suscitábo tabernáculum David, quod cécidit : et † Reædificábo illud sicut in diébus antíquis, ut possídeant omnes natiónes. ℣. Deus visitávit súmere ex géntibus pópulum nómini suo; et huic concordant verba Prophetárum : * Suscitábo. Glória Patri. † Reædificábo. *Amos* 9. *Act.* 15.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Tempus tribulatiónis est Jacob, et ex ipso salvábitur; et non dominabuntur ei ámpliùs aliéni. *Jerem.* 30.

Ant. 6. F. Congregabuntur fílii Juda, et fílii Israel páriter; et ponent síbimet caput unum, et ascendent de terra. *Os.* 1.

Ant. 4. f. Fáciam eos in gentem unam in terra in móntibus Israel, et rex unus erit ómnibus ímperans, nec dividentur ámpliùs. *Ezech.* 37.

℣. Annúntient nomen Dómini, et laudem ejus in Jerúsalem, ℟. In conveniendo pópulos in unum. *Ps.* 101.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 3.)

Anno quinto décimo impérii Tibérii Cæsaris, procurante Póntio Piláto Judæam. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 20, in Evang. n. 1.)

Redemptoris nostri Præcursor quo témpore prædicatiónis verbum accéperit, memoráto Románæ Reipúblicæ príncipe, et Judææ régibus, designátur. Quia enim illum prædicáre veniébat, qui et ex Judæa quosdam, et multos ex Géntibus redemptúrus erat, per regem Géntium et príncipes Judæórum prædicatiónis ejus témpora designantur. Quia autem gentílitas colligenda erat, et Judæa pro culpa perfídiæ dispergenda, ipsa quoque descríptio terréni principátûs ostendit; quóniam et in Románа república unus præfuisse descríbitur, et in Judææ regno per quartam partem plúrimi principabantur. Voce étenim Redemptóris nostri dícitur: Omne regnum in seipsum divísum desolábitur. Liquet ergo quòd ad finem regni Judæa pervénerat, quæ tot régibus divísa subjacébat. Aptè quoque non solùm quibus régibus, sed étiam quibus sacerdótibus actum sit, demonstrátur: quia illum Joannes Baptista prædicáret, qui simul rex et sacerdos exísteret, Lucas Evangelista prædicatiónis ejus témpora per regnum et sacerdótium designávit.

℟. Suscitábit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipábitur: * Commínuet autem et consúmet universa regna. ℣. Factum est regnum hujus mundi, Dómini nostri et Christi ejus; et regnábit in sécula seculórum: * Commínuet. *Dan.* 2. *Apoc.* 11.

LECTIO VIII.

Et venit in omnem regiónem Jordánis, prædicans baptismum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. Cunctis legéntibus liquet, quia Joannes non solùm baptismum pœniténtiæ prædi-

cávit, verùm étiam quibusdam dedit; sed tamen baptismum suum in remissiónem peccatórum dare non pótuit. Remíssio étenim peccatórum in solo nobis baptismo Christi tribúitur. Notandum ítaque quod dícitur: Prædicans baptismum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum; quóniam baptismum quod peccáta sólveret, quia dare non póterat, prædicábat; ut sicut incarnátum Verbum Patris præcurrébat verbo prædicatiónis, ita baptismum pœniténtiæ quo peccáta solvuntur, præcurreret suo baptísmate quo peccáta solvi non possunt.

℟. Consurge, consurge, indúere fortitúdine tuà, Sion: * Indúere vestimentis glóriæ tuæ, Jerúsalem cívitas Sancti; quia non adjíciet ultrà ut pertránseat per te immundus. ℣. Deus secundùm promissiónem eduxit Israel Salvatórem Jesum, prædicante Joanne ante fáciem adventûs ejus baptismum pœniténtiæ: * Indúere vestimentis glóriæ tuæ. *Is.* 52. *Act.* 13.

LECTIO IX.

Sicut scriptum est in libro sermónum Isaíæ prophétæ: Vox clamantis in deserto, Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus. Omnis qui fidem rectam et bona ópera prædicat, quid áliud quàm venienti Dómino ad corda audiéntium viam parat? Ut hæc vis grátiæ pénetret, ut lumen veritátis illustret. Omnis vallis implébitur, et omnis mons et collis humiliábitur. Quid hoc loco vállium nómine, nisi húmiles? quid móntium et cóllium, nisi superbi hómines designantur? In adventu ergo Redemptóris valles implétæ, montes verò et colles humiliáti sunt; quia nimírum in fide Mediatóris Dei et hóminum hóminis Christi Jesu, et Gentílitas plenitúdinem grátiæ accépit, et Judæa per errórem perfídiæ hoc unde tumébat, pérdidit. Et erunt prava in directa, et áspera in vias planas. Prava directa sunt, cùm malórum corda per injustítiam detorta, ad justítiæ régulam diriguntur; et áspera in vias planas immutantur, cùm immítes atque iracundæ mentes per infusiónem supernæ grátiæ ad lenitátem mansuetúdinis rédeunt.

℟. Constítuit Deus humiliáre omnem montem excelsum, et convalles replére in æqualitátem terræ; * Ut ámbulet Israel diligenter in honórem Dei. ℣. Scriptum est in libro sermónum Isaíæ prophétæ: Erunt prava in directa, et áspera in vias planas; * Ut. Glória. *Repet.* ℟. Constítuit, *usque ad* ℣. Scriptum est. *Baruch* 5. *Luc.* 3.

℣. *Sacerd.* Exaudi nos,

Deus salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64.

AD LAUDES.

Ant. 7. d. Laudáte, cœli : jubiláte, extréma terræ : resonáte, montes, laudatiónem; quóniam redémit Dóminus Jacob, et Israel gloriábitur, allelúia. *Is.* 44.

Ant. 1. D. Ego levávi manum meam, ut ramos germinétis, et fructum afferátis pópulo meo; propè enim est ut véniat, quia ecce ego ad vos, allelúia. *Ezech.* 36.

Ant. 5. a. Erit ibi sémita et via, et via sancta vocábitur : non transíbit per eam pollútus; et ambulábunt qui liberáti fúerint, allelúia. *Is.* 35.

Ant. 2. D. Omnia ligna regiónis plaudent manu, et erit Dóminus nominátus in signum æternum, quod non auferétur, allelúia. *Is.* 55.

Ant. 3. a. Revelábitur glória Dómini; et vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est, allelúia. *Is.* 40.

Capitulum. (*Isaiæ.* 62.)

Videbunt gentes Justum tuum, et cuncti reges Inclytum tuum; et vocábitur tibi nomen novum quod os Dómini nominábit.

Hymnus, Jordánis, 174.

℣. Ibunt de virtúte in virtútem : ℟. Vidébitur Deus deórum in Sion. *Ps.* 83.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. d. Vidébit omnis caro Salutáre Dei. Allelúia. *Luc.* 3.

Collecta. Orémus.

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni, et magnâ nobis virtúte succurre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Laudáte, cœli.

In ℟. *br.* ℣. Qui ventúrus es * in mundum. *Joan.* 6.

AD TERTIAM.

Ant. 1. D. Ego.

Capitulum. (*Isaiæ* 35.)

Solitudo gérminans germinábit, et exultábit lætabunda et laudans : glória Líbani data est ei, decor Carméli et Saron : ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri.

℟. *br.* Gaudébunt campi : * Exultábunt ligna sylvárum. Gaudébunt. ℣. A fácie Dómini, * quia venit. * Exultábunt ligna sylvárum. Glória Patri. Gaudébunt campi. *Ps.* 95.

℣. Flúmina plaudent manu, ℟. Simul montes exultábunt à conspectu Dómini. *Ps.* 97.

AD SEXTAM.

Ant. 5. Erit tibi.

Capitulum. (*Jerem.* 4.)

Si revérteris, Israel, ait Dóminus, ad me convértere. Si abstúleris offendícula tua à fácie mea, non commovéberis; et jurábis, vivit Dóminus, in veritáte, et in judício, et in justítia, et benedícent eum gentes, ipsumque laudábunt.

℟. *br.* Apud Dóminum * Gressus hóminis dirigentur. Apud. ℣. Et viam ejus * volet. * Gressus. Glória Patri. Apud. *Ps.* 36.

℣. In sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te: ℟. Nomen tuum, et memoriále tuum in desidério ánimæ. *Cant. Is.* 26.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Revelábitur.

Capitulum. (*Philipp.* 3.)

Gaudete in Dómino semper: íterùm dico, Gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus; Dóminus propè est.

℟. *br.* Oculi nostri * Ad Dóminum Deum nostrum. Oculi nostri. ℣. Donec * misereátur nostrî. * Ad Dóminum. Glória. Oculi. *Ps.* 122.

℣. Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde: ℟. Et húmiles spíritu salvábit. *Ps.* 33.

AD VESPERAS

Ant. 1. D. Audite me, domus Jacob, qui portámini à meo útero: ego feci, et ego feram: ego portábo, et salvábo, allelúia. *Is.* 46.

Ant. 3. a. Ego scio cogitatiónes quas ego cógito super vos, cogitatiónes pacis, et non afflictiónis, allelúia. *Jerem.* 29.

Ant. 7. a. Cùm quæsiéritis me in toto corde vestro, invéniar à vobis; et redúcam captivitatem vestram, allelúia. *Jerem.* 29.

Ant. 4. A. Congregábo vos de universis géntibus et de cunctis locis, et reverti vos faciam, allelúia. *Jerem.* 29.

Ant. 5. C. Vobiscum sum ego, ut salvos vos fáciam: et dabo vobis misericórdias, et miserébor vestri allelúia. *Jerem.* 42.

Capitulum. (*Ezech.* 20.)

In odórem suavitátis suscípiam vos, cùm edúxero vos de pópulis, et congregávero vos de terris in quas dispersi estis, et sanctificábor in vobis in óculis natiónum.

Hymnus, Statúta, 187.

℣. Converte, Dómine, captivitátem nostram. ℟. Sicut torrens in austro. *Ps.* 125.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. O, *ut infrà.*

Collecta, *ut suprà ad Laudes.*

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 63.)

Attende de cœlo, et vide de habitáculo sancto tuo, et glóriæ tuæ : ubi est zelus tuus, et fortitúdo tua, multitúdo víscerum tuórum et miseratiónum tuárum? Super me continuérunt se. Tu enim pater noster, et Abraham nescívit nos, et Israel ignorávit nos : tu, Dómine, pater noster, redemptor noster, à século nomen tuum. Quare erráre nos fecisti, Dómine, de viis tuis : indurasti cor nostrum, ne timerémus te? Convértere propter servos tuos tribus hæreditátis tuæ. Quasi níhilum possedérunt pópulum sanctum tuum hostes nostri : conculcavérunt sanctificatiónem tuam. Facti sumus quasi in princípio, cùm non dominaréris nostrî, neque invocarétur nomen tuum super nos. Hæc dicit.

℟. Cátulus, 223.

LECTIO II.

(Cap. 64.)

Utinam dirúmperes cœlos, et descénderes! à fácie tua montes deflúerent : sicut exústio ignis tabéscerent, aquæ ardérent igni, ut notum fíeret nomen tuum inimícis tuis : à fácie tua gentes turbarentur. Cùm féceris mirabília, non sustinébimus : descendisti, et à fácie tua montes defluxérunt! A século non audiérunt, neque áuribus percepérunt : óculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectántibus te. Occurristi lætanti, et facienti justítiam : in viis tuis recordabuntur tuî : ecce tu irátus es, et peccávimus : in ipsis fúimus semper, et salvábimur. Hæc dicit.

℟. Convertam, 223.

LECTIO III.

Et nunc, Dómine, pater noster es tu, nos verò lutum : et fictor noster tu, et ópera mánunm tuárum omnes nos. Ne irascáris, Dómine, satis, et ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ : ecce réspice, pópulus tuus omnes nos. Cívitas Sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerúsalem desoláta est. Domus sanctificatiónis nostræ et glóriæ nostræ, ubi laudavérunt te patres nostri, facta est in exustiónem ignis, et ómnia desiderabília nostra versa sunt in ruínas. Numquid super iis continébis te, Dómine, tacébis et affliges nos vehementer? Hæc dicit.

℟. In diébus illis, 223.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Próteget Dóminus Jerúsalem, prótegens et líberans,

tránsiens et salvans. *Is.* 31.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. O, *ut infrà.*

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 65.)

QUÆSIERUNT me qui ante non interrogábant; invenérunt qui non quæsiérunt me. Dixi: Ecce ego; ecce ego ad gentem quæ non invocábat nomen meum. Expandi manus meas totâ die ad pópulum incrédulum, qui gráditur in via non bona post cogitatiónes suas. Pópulus qui ad iracúndiam próvocat me, ante fáciem meam semper: qui ímmolant in hortis, et sacríficant super láteres: qui hábitant in sepulcris, et in delúbris idolórum dórmiunt: qui cómedunt carnem suillam, et jus profánum in vasis eórum. Qui dicunt: Recéde à me, non appropinques mihi, quia immundus es; isti fumus erunt in furóre meo, ignis ardens totâ die. Hæc dicit.

℟. Ecce óculi Dómini Dei super regnum, 224.

LECTIO II.

ECCE scriptum est coram me: non tacébo, sed reddam et retríbuam in sinum eórum iniquitátes vestras, et iniquitátes patrum vestrórum simul, dicit Dóminus, qui sacrificavérunt super montes, et super colles exprobravérunt mihi; et remétiar opus eórum primum in sinu eórum. Hæc dicit Dóminus: Quómodò si inveniátur granum in botro, et dicátur: Ne díssipes illud, quóniam benedíctio est; sic fáciam propter servos meos, ut non disperdam totum. Et éducam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos: et hæreditábunt eam electi mei, et servi mei habitábunt ibi. Hæc dicit.

℟. Dies multos sedébunt fílii Israel, 225.

LECTIO III.

HÆC dicit Dóminus Deus; Ecce servi mei cómedent, et vos esuriétis: ecce servi mei bibent, et vos sitiétis; ecce servi mei lætabuntur, et vos confundémini: ecce servi mei laudábunt præ exultatióne cordis, et vos clamábitis præ dolóre cordis, et præ contritióne spíritûs ululábitis. Et dimittétis nomen vestrum in juramentum electis meis: et interfíciet te Dóminus Deus, et servos suos vocábit nomine álio. In quo qui benedictus est super terram, benedicétur in Deo, amen; et qui jurat in terra, jurábit in Deo, amen: quia oblivióni tráditæ sunt angústiæ prióres, et quia abscónditæ sunt ab óculis meis. Hæc dicit.

℟. In die illa, 225.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. a.

Dabo vos in nomen et in laudem ómnibus pópulis terræ, cùm convértero captivitátem vestram. *Sophon*. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. O, *ut infrà*.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 65.)

Ecce enim ego creo cœlos novos, et terram novam: et non erunt in memória prióra, et non ascendent super cor. Sed gaudébitis et exultábitis usque in sempiternum in his quæ ego creo; quia ecce ego creo Jerúsalem exultatiónem, et pópulum ejus gáudium. Et exultábo in Jerúsalem, et gaudébo in pópulo meo: et non audiétur in eo ultrà vox fletûs et vox clamóris. Hæc dicit.

℟. Cátulus léonis, 223.

LECTIO II.

Non erit ibi ámpliùs infans diérum, et senex qui non ímpleat dies suos; quóniam puer centum annórum moriétur, et peccátor centum annórum maledictus erit. Et ædificábunt domos, et habitábunt: et plantábunt víneas, et cómedent fructus eárum. Non ædificábunt, et álius habitábit: non plantábunt, et álius cómedet: secundùm enim dies ligni, erunt dies pópuli mei; et ópera, manuum eórum inveterábunt. Hæc dicit.

℟. Convertam, 223.

LECTIO III.

Electi mei non laborábunt frustrà, neque generábunt in conturbatióne; quia semen benedictórum Dómini est, et nepótes eórum cum eis. Eritque ántequam clament, ego exáudiam: adhuc illis loquéntibus, ego áudiam. Lupus et agnus pascentur simul, leo et bos cómedent páleas; et serpenti pulvis, panis ejus: non nocébunt, neque occídent in omni monte sancto meo, dicit Dóminus. Hæc dicit.

℟. In diébus illis, apprehendent hómines, 223.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. D. Captívitas à forti tollétur; et quod ablátum fúerit à robusto, salvábitur. *Is.* 49.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. O, *ut infrà*.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 66.)

Hæc dicit Dóminus: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meórum. Quæ est ista domus quam ædificábitis mihi? et quis est iste locus quiétis meæ? Omnia hæc manus mea fecit; et facta sunt universa ista, dicit Dóminus. Ad quem au-

tem respíciam, nisi ad paupérculum, et contrítum spíritu, et trementem sérmones meos? Hæc dicit.

℟. Ecce óculi Dómini Dei super regnum, 224.

LECTIO II.

Qui ímmolat bovem, quasi qui interfíciat virum: qui mactat pecus, quasi qui excérebret canem: qui offert oblatiónem, quasi qui sánguinem suillum ófferat: qui recordátur thuris, quasi qui benedícat idólo. Hæc ómnia elegérunt in viis suis, et in abominatiónibus suis ánima eórum delectáta est. Unde et ego éligam illusiónes eórum: et quæ timébant, addúcam eis; quia vocávi et non erat qui respondéret: locútus sum, et non audiérunt: feceruntque malum in óculis meis; et quæ nólui, elegérunt. Hæc dicit.

℟. Dies multos sedébunt fílii Israel sine rege, 225.

LECTIO III.

Audite verbum Dómini, qui trémitis ad verbum ejus. Dixérunt fratres vestri odientes vos, et abjicientes propter nomen meum: Glorificétur Dóminus, et vidébimus in lætítia vestra: ipsi autem confundentur. Vox pópuli de civitáte, vox de templo, vox Dómini reddentis retributiónem inimícis suis. Hæc dicit.

℟. In die illa, dicit Dóminus, 225.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. E. Pópulus Dei, citò vidébis perditiónem inimíci tui. *Baruch.* 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D O, *ut infrà.*

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 66.)

Antequam parturíret, péperit: ántequàm veníret partus ejus, péperit másculum. Quis audívit unquam tale? et quis vidit huic símile? Numquid partúriet terra in die una? aut pariétur gens simul, quia parturívit, et péperit Sion fílios suos? Numquid ego qui álios párere fácio, ipse non páriam, dicit Dóminus? si ego qui generatiónem céteris tríbuo, stérilis ero, ait Dóminus Deus tuus? Hæc dicit.

℟. Cátulus leónis Juda, 223.

LECTIO II.

Lætamini cum Jerúsalem, et exultáte in ea, omnes qui dilígitis eam: gaudéte cum ea gáudio, universi qui lugétis super eam; ut sugátis, et repleámini ab úbere consolatiónis ejus; ut mulgeátis, et delíciis affluátis ab omnímoda glória ejus. Quia hæc dicit Dóminus: Ecce ego declinábo super eam quasi flú-

vium pacis, et quasi torrentem inundantem glóriam géntium quam sugétis: ad úbera portabímini, et super génua blandientur vobis. Hæc dicit.

℟. Convertam conversiónem Juda, ait Dóminus, 223.

LECTIO III.

Quomodo si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos; et in Jerúsalem consolabímini. Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt, et cognoscétur manus Dómini servis ejus, et indignábitur inimícis suis. Quia ecce Dóminus in igne véniet, et quasi turbo quadrígæ ejus, réddere in indignatióne furórem suum, et increpatiónem suam in flamma ignis; quia in igne Dóminus dijudicábit, et in gládio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti à Dómino. Qui sanctificabantur, et mundos se putábant in hortis post jánuam intrínsecùs; qui comedébant carnem suillam, et abominatiónem, et murem, simul consumentur, dicit Dóminus. Hæc dicit.

℟. In diébus illis apprehendent hómines, 223.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. f. Domináb itur tuî, qui fecit te: et redemptor tuus Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocábitur. *Is.* 54.

ANTIPHONÆ MAJORES.

Inchoantur die 15 *Decembris vespere; et unaquæque dicitur ter,* 1.° *ante* Magníficat; 2.° *ante* Glória; 3.° *post* Sicut erat.

Si Vesperæ fiant de Festo, tunc pro Commemoratione Adventûs, dicitur Ant. O occurrens, *hoc modo : Ant. integrè dicitur : tum* Glória Patri, *sine* Sicut erat. *Iterùm Ant., deinde* Sicut erat. *Tertiò denique dicitur Ant. cum* ℣. Adjútor, *si sit Feria; vel cum* ℣. *proprio, si sit Sabbatum aut Dominica, et Collectâ convenienti.*

Ex quo harum Antiphonarum solemnitas inchoata est, Vesperæ dicuntur ritu duplici, nec ampliùs dicuntur Preces ad Completorium.

Die decimâ-sexta Decembris et deinceps, ad Officium Nocturnum dicitur Invitatorium.

Dóminus propè est: * Veníte, adorémus. *Philipp.* 4.

Ad Laudes, Horas et Vesperas, dicuntur Antiphonæ singulis diebus assignatæ, quæ occurente Dominica, omittuntur. Dicuntur tamen in Vesperis Sabbati occurrentis.

DIE XV DECEMBRIS.

Ad Magníficat.

Ant. 2. D. O Sapiéntia, quæ ex ore Altíssimi prodiisti, attingens à fine usque ad finem

fórtiter, suaviterque dispónens ómnia; veni ad docendum nos viam prudéntiæ. *Eccli.* 24. *Sap.* 8. *Is.* 40.

DIE XVI DECEMBRIS.

AD LAUDES.

Ant. 3. c. Réspice, Dómine, de domo sancta tua in nos, et inclína aurem tuam, et exaudi nos. *Baruch* 2.

Ant. 8. c. Dómine, pater noster es tu: ecce réspice, pópulus tuus omnes nos. *Is.* 64.

Ant. 2. D. Miserére Israel, quem coæquasti primogénito tuo: reple glóriâ tuâ pópulum tuum. *Eccli.* 36.

Ant. 7. d. Deus cœlórum, exaudi: meménto, Dómine, testamenti tui, ut omnes gentes agnoscant quia tu es Deus. *Judith* 9.

Ant. 4. a. Salva, Dómine, pópulum tuum, relíquias Israel. *Jerem.* 31.

Ad Magníficat.

Ant. 2. D. O Adónaï, et Dux domûs Israel, qui Móysi in igne flammæ rubi apparuisti, et ei in Sina legem dedisti; veni ad redimendum nos in bráchio extento. *Jud.* 16. 1. *Paralip.* 17. *Act.* 7. *Exod.* 6. 4. *Reg.* 17.

DIE XVII DECEMBRIS.

AD LAUDES.

Ant. 3. à. Recordáre, Dómine, oppróbrium nostrum; servi domináti sunt nostrî: non fuit qui redímeret de manu eórum. *Thren.* 5.

Ant. 4. E. Tu, Dómine, pater noster, redemptor noster: convértere propter servos tuos. *Is.* 63.

Ant. 7. ç. Quare in perpétuum obliviscéris nostrî? derelinques nos in longitúdine diérum? *Thren.* 5.

Ant. 1. *g.* Ne tradas nos in perpétuum, et ne dissipes testamentum tuum, neque áuferas misericórdiam tuam à nobis. *Dan.* 3.

Ant. 2. D. Dabis, Deus, veritátem Jacob, misericórdiam Abraham; quæ jurasti pátribus nostris à diébus antíquis. *Mich.* 7.

Ad Magníficat.

Ant. 2. D. O Radix Jesse, qui stas in signum populórum, super quem continébunt reges os suum, quem gentes deprecabuntur; veni ad redimendum nos, jam noli tardáre. *Is.* 11 *et* 52. *Ps.* 25 *et* 39.

DIE XVIII DECEMBRIS.

AD LAUDES.

Ant. 2. D. Recordáre, Dómine, ne írritum fácias fœdus tuum nobiscum: nonne tu es Deus noster quem expectávimus? *Jerem.* 14.

Ant. 8. G. Vetus error ábiit: servábis pacem, Dómine; pacem, quia in te sperávimus. *Is.* 26.

Ant. 7. *d.* Cùm féceris judícia tua in terra, justítiam discent habitatóres orbis : Dómine, exaltétur manus tua. *Is.* 26.

Ant. 1. f. Dómine Deus noster, possedérunt nos dómini absque te : tantùm in te recordémur nóminis tui. *Is.* 26.

Ant. 6. F. Inclína, Dómine, aurem tuam, et audi : áperi, Dómine, óculos tuos, et vide : Deus noster, salva nos. *Is.* 37.

Ad Magníficat.

Ant. 2. D. O Clavis David, et sceptrum domûs Israel, qui áperis, et nemo claudit; claudis, et nemo áperit; veni, et educ vinctum de domo cárceris, sedentem in ténebris et umbra mortis. *Is.* 22. *Jerem.* 51 *et* 52. *Ps.* 106.

DIE XIX DECEMBRIS.

AD LAUDES.

Ant. 1. *a.* Mitte, Dómine, sapiéntiam de cœlis sanctis tuis, et à sede magnitúdinis tuæ. *Sap.* 9.

Ant. 6. F. Nunc séquimur te, Dómine, in toto corde, et timémus te, et quærimus fáciem tuam : ne confundas nos. *Dan.* 3.

Ant. 7. c. Dómine rex omnípotens, non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israel. *Esther* 13.

Ant. 3. c. Erue nos in mirabílibus tuis, et da glóriam nómini tuo; et confundantur qui ostendunt servis tuis mala. *Dan.* 3.

Ant. 2. D. Cóngrega omnes tribus Jacob; ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnália tua. *Eccli.* 36.

Ad Magníficat.

Ant. 2. D. O Oriens, splendor lucis æternæ, et sol justítiæ; veni, et illúmina sedentes in ténebris et umbra mortis. *Zach.* 3. *Sap.* 7. *Malach.* 4. *Ps.* 12 *et* 106.

DIE XX DECEMBRIS.

AD LAUDES.

Ant. 4. A. Emitte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de Petra deserti ad montem fíliæ Sion. *Is.* 16.

Ant. 8. c. Non est in témpore hoc sacrifícium coram te, ut possímus invenire misericórdiam tuam; sed in ánimo contríto, et spíritu humilitátis suscipiámur. *Dan.* 3.

Ant. 5. a. Si iniquitátes nostræ respónderint nobis, Dómine; fac propter nomen tuum, quóniam tibi peccávimus. *Jerem.* 14.

Ant. 3. c. Dómine, opus tuum, in médio annórum vivífica illud. *Habac.* 3.

Ant. 1. *d.* Cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis : Deus ab austro véniet, et Sanctus de monte Pharan. *Habac.* 3.

Ad Magníficat.

Ant. 2. D. O Sancte Sanctórum, spéculum sine ma-

cula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus; veni ut deleátur iníquitas, et adducátur justítia sempiterna. *Dan.* 9. *Sap.* 7.

DIE XXI DECEMBRIS.

Fit de S. Thoma, ut in Proprio Sanctorum.

Ad Vesperas, pro Commemoratione Advenlûs (vel si sit Sabbatum aut Dominica,

Ad Magníficat.

Ant. 2. D. O Rex Géntium, Deus Israel, et Salvátor, lapisque anguláris, qui facis útraque unum; veni, et salva hóminem quem de limo formasti. *Jerem.* 10. *Is.* 45 *et* 28. *Eph.* 2. *Is.* 35. *Genes.* 2.

DIE XXII DECEMBRIS.

AD LAUDES.

Ant. 8. *G.* Eleváre, eleváre, Jerúsalem, quæ bibisti de manu Dómini cálicem iræ ejus. *Is.* 51.

Ant. 5. a. Ecce tuli de manu tua cálicem sopóris, fundum cálicis indignatiónis meæ: non adjícies ut bibas illum ultrà. *Is.* 51.

Ant. 2. D. Noli timére, quia non confundéris; quia dominábitur tuî, qui fecit te. *Is.* 54.

Ant. 7. b. Ad punctum in módico derelíqui te, et in miseratiónibus magnis congregábo te. *Is.* 54.

Ant. 4. A. Misericórdia mea non recédet à te, et fœdus pacis meæ non movebítur. *Is.* 54.

Ad Magníficat.

Ant. 2. D. O Emmánuel, Rex et légifer noster, expectátio géntium, et desiderátus eárum; veni ad salvandum nos, Dómine Deus noster. *Is.* 8 *et* 33. *Genes.* 49. *Agg.* 2. *Zach.* 9.

DIE XXIII DECEMBRIS.

AD LAUDES.

Ant. 8. g. Estóte paráti in diem tértium: in die enim tértia descendet Dóminus. *Exod.* 19.

Ant. 5. a. Ipse addúcet vobis sempiternam jucunditátem cum salúte vestra. *Baruch.* 4.

Ant. 7. d. Quales oportet vos esse in sanctis conversatiónibus, et pietátibus, expectantes et properantes in adventum Dómini. 2. *Pet.* 3.

Ant. 4. d. Qui justus est, justificétur adhuc; et sanctus sanctificétur adhuc, *Apoc.* 22.

Ant. 6. F. In Spíritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectióne Dei serváte. *Judæ* 20 *et* 21.

Ad Magníficat.

Ant. 2. D. O Pastor Israel, et Dominátor in domo David, cujus egressus ab inítio, à diébus æternitátis; veni ut pascas pópulum tuum in fortitúdine, et regnes in justítia et judício. *Mich.* 5. *Ezech.* 34. *Is.* 32.

DIE XXIV DECEMBRIS

IN VIGILIA

NATALIS DOMINI.

[*Si venerit in Dominica, Officium fit hoc modo.*

Ad Officium Noct. *Invit. de Vigilia, ut infrà. Hymnus,* Instantis adventum, *ut suprà*, 173.

Psalmi de Dominica.

In primo et secundo Nocturno, Antiph. ℣ ℣. *Lectiones et* ℟. ℟. ℟. *Dominic. IV. Adventûs.*

In III Nocturno, Antiph. et ℣., *ut infrà in Officio Vigiliæ. Lectiones de Homilia Vigiliæ, divisionibus factis ad ** Asteriscos; et nihil legitur de Homilia Dominicæ.*

℟. VII. Quod in María, *sine* Glória Patri; ℟. VIII. Hac ipsâ horâ; ℟. IX. Sanctífica *cum* Glória Patri, *infrà, ut in Vigilia. Et repetitur* ℟. Sanctífica, *usque ad* ℣. *exclusivè.*

Non dicitur Te Deum. ℣. *Sacerd.* Deus illúminet, *infrà.*

Reliqua de Vigilia, sine Commem. Dominicæ.

Ad Laudes et Horas, *Ps. de Dominica, omisso tamen ad Primam Symbolo* Quicumque; *Antiph. Capit. et* ℟. ℟. ℟. *brev. cum Versic. ut infrà.*]

¶ *Si autem Vigilia ista venerit in Feriis, Officium fit ut sequitur.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Simplex.

INVITATORIUM.

Cras erit vobis salus: * Veníte, et adoráte Dóminum. 1. *Reg.* 11. 1. *Paral.* 16.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Instantis, 173.

Psalmi de Feria sub tribus Antiphonis sequentibus.

Ant. 2. D. Videns vidi afflictiónem pópuli mei, et gémitum eórum audívi; et descendi liberáre eos. *Act.* 7.

Ant. 5. a. Lætáre, fília Sion: quia ecce ego vénio, et habitábo in médio tui. *Zach.* 2.

Ant. 1. a. Ecce vénio velóciter: étiam venio citò. *Apoc.* 22.

℣. Anima nostra sústinet Dóminum; ℟. Quóniam adjútor et protector noster est. *Ps.* 32.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 66.)

Venio ut cóngregem cum ómnibus géntibus et linguis: et vénient, et vidébunt glóriam meam. Et ponam in eis signum: et mittam ex eis qui salváti fúerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, tendentes sagittam; in Itáliam et Græciam, ad ínsulas longè; ad eos qui non audiérunt de me, et non vi-

dérunt glóriam meam. Et annuntiábunt glóriam meam Géntibus, et addúcent omnes fratres vestros de cunctis géntibus donum Dómino in equis, et in quadrígis, et in lectícis, et in mulis, et in carrúcis, ad montem sanctum meum Jerúsalem, dicit Dóminus; quómodò si ínferant fílii Israel munus in vase mundo in domum Dómini. Hæc dicit.

℞. Hàc ipsâ horâ quæ nunc est, * Cras mittam ducem super pópulum meum, et salvábit pópulum meum; venit enim clamor eórum ad me. ℣. Dedit Deus palàm fácere servis suis quæ oportet fíeri citò : * Cras mittam. 1. *Reg.* 9. *Apoc.* 1.

LECTIO II.

Et assúmam ex eis in sacerdótes et Levítas, dicit Dóminus. Quia sicut cœli novi et terra nova, quæ ego fácio stare coram me, dicit Dóminus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sábbatum ex sábbato : véniet omnis caro, ut adóret coram fácie mea, dicit Dóminus. Et egredientur, et vidébunt cadávera virórum qui prævaricáti sunt in me : vermis eórum non moriétur, et ignis eórum non extinguétur; et erunt usque ad satietátem visiónis omni carni. Hæc dicit.

℞. Sanctífica pópulum, et dic eis : * Sanctificámini in crástinum. ℣. Ecce nunc tempus acceptábile : ecce nunc dies salútis : * Sanctificámini. *Josue* 7. 2. *Cor.* 6.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 1.)

Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequàm convenírent, inventa est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 1. Comment. in cap. 1. Matth.)

Quærat díligens lector, et dicat : Cùm Joseph non sit pater Dómini salvatóris, quid pértinet ad Dóminum generatiónis ordo deductus usque ad Joseph? Cui respondébimus primùm, non esse consuetúdinis Scripturárum, ut mulíerum in generatiónibus ordo texátur; deinde ex una tribu fuisse Joseph et Maríam : unde ex lege eam accípere cogebátur ut propinquam; et quòd simul censentur in Béthleem, ut de una vidélicet stirpe generáti. * Quod autem dícitur, Antequàm convenírent, non séquitur ut pósteà convénerint; sed Scriptúra quod factum non sit, ostendit. Joseph autem vir ejus, cùm esset justus, et

nollet eam tradúcere, vóluit occultè dimíttere eam. Si quis fornicáriæ conjúngitur, unum corpus effícitur. Et in lege præceptum est, non solùm reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti : quómodò Joseph, cùm crimen celet uxóris, justus scríbitur ? Sed hoc testimónium Maríæ est, quòd Joseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat siléntio cujus mystérium nesciébat. ** Joseph fili David, nolì timére accípere Maríam cónjugem tuam. Jam et suprà díximus sponsas uxóres appellári, quod pléniùs liber adversùs Helvídium docet; et blandientis affectu, ei per sómnium Angelus lóquitur, ut justítiam siléntii comprobáret. Simulque notandum quòd Joseph fílius esse dicátur David, ut María quoque de stirpe David monstrarétur. Et vocábis nomen ejus Jesum. Jesus hebráico sermóne Salvátor dícitur. Etymológiam ergo nóminis ejus Evangelista signávit, dicens : Vocábis nomen ejus Jesum, quia ipse salvum fáciet pópulum suum.

℟. Quod in María natum est, de Spíritu sancto est : páriet autem Fílium, et vocábis nomen ejus Jesum; * Ipse enim † Salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. ℣. Partúriens páriet, et relíquiæ fratrum ejus convertentur; * Ipse enim. (Glória. † Salvum.) *Matth.* 1. *Mich.* 5.

℣. *Sacerd.* Deus illúminet vultum suum super nos, ℟. Et misereátur nostrî. *Ps.* 66.

AD LAUDES.

Semiduplex.

Psalmi de Feria; et sic ad alias Horas.

Ant. 1. g. Confidenter state, et vidébitis auxílium Dómini super vos, ô Juda et Jerúsalem. 2. *Paral.* 20.

Ant. 8. c. Véspere sciétis quòd Dóminus edúxerit vos; et mane vidébitis glóriam Dómini. *Exod.* 16.

Ant. 6. F. Nolíte timére, nec paveátis; cras egrediémini, et Dóminus erit vobiscum. 2. *Paral.* 20.

CANTICUM.

(Zach. 2.)

Lauda, et lætáre, Fília Sion : * quia ecce ego vénio et habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, * et erunt mihi in pópulum;

Et habitábo in médio tuî : * et scies quia Dóminus misit me ad te.

Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terra sanctificáta : * et éliget adhuc Jerúsalem.

Síleat omnis caro à facie

Dómini : * quia consurrexit de habitáculo sanctò suo.

Ant. 7. c. Cánticum erit vobis sicut nox sanctificátæ solemnitátis, et lætítia cordis. *Is.* 30.

Ant. 5. a. Sanctificámini; cras enim fáciet Dóminus inter vos mirabília. In hoc sciétis quòd Dóminus Deus vivens in médio vestrî est. *Jos.* 3.

Capitulum. (*Os.* 6.)

Sciemus, sequemurque ut cognoscámus Dóminum : quasi dilúculum præparátus est egressus ejus, et véniet quasi imber nobis temporáneus et serótinus terræ.

Hymnus, Jordánis oras prævia. ℣. Tu exurgens, Dómine, 174.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Christi generátio sic erat : Cùm esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequàm convenírent, inventa est in útero habens de Spíritu sancto. *Matth.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui nos redemptiónis nostræ ánnuâ expectatióne lætíficas : præsta, ut Unigénitum tuum, quem redemptórem læti suscípimus, veniéntem quoque júdicem secúri videámus Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs Sancti Deus, Per ómnia.

AD HORAS.

Duplex – minus.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Confidenter.

In ℟. *br.* ℣. Qui ventúrus es * in mundum.

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Véspere.

Capitulum. (*Amos* 4.)

Præparare in occursum Dei tui, Israel; quia ecce formans montes, et creans ventum, et annúntians hómini elóquium suum.

℟. *br.* Veni, Dómine, * Ut salvos fácias nos. Veni. ℣. Ostende * fáciem tuam, * Ut salvos fácias nos. Glória. ℟. Veni. *Ps.* 79.

℣. Qui regis Israel, inténde : ℟. Qui sedes super Chérubim, manifestáre. *Ps.* 79.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Nolíte timére.

Capitulum. (2. *Cor.* 6.)

Dicit Deus : Quóniam inhabitábo in illis, et inambulábo inter eos; et ero illórum Deus, et ipsi erunt mihi pópulus.

℟. *br.* Exurge, Dómine Deus, * Exaltétur manus tua. Exurge. ℣. Ne obliviscáris * páuperum : * Exaltétur. Glória Patri. Exurge. *Ps.* 9.

℣. Citò antícipent nos misericórdiæ tuæ; ℟. Quia páuperes facti sumus nimis. *Ps.* 78.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Sanctificámini.

Capitulum. (*Mich.* 5.)

Stabit, et pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui : et convertentur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ; et erit iste pax.

℟. *br.* Exultent, et læteutur * Qui quærunt te, Dómine. Exultent. ℣. Et dicant semper : Magnificétur Dóminus, * qui díligunt salutáre tuum; * Qui quærunt te. Glória Patri. Exultent *Ps.* 69.

℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit : ℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *Ps.* 28.

Collecta, Deus, qui nos *ut suprà ad Laudes.*

Dó-
cant
Dó-
lu-
unt
nt

ó-
i-
n



ASSOMPTION

Chez DOPTER, Éditeur, rue St. Jacques, 21.

DIE XXV DECEMBRIS.

IN NATALI DOMINI.

ANNUALE MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. D. Leváte cápita vestra; quóniam appropinquat redémptio vestra. *Luc.* 21.

Ant. 8. G. Antíqua ne intueámini; ecce ego fácio nova, et nunc oriéntur. *Is.* 43.

Ant. 6. C. Nolíte timére: state et vidéte magnália Dómini quæ factúrus est hódiè. *Exod.* 14.

Ant. 5. C. Pósuit David púero suo excitáre regem ex ipso fortíssimum, et in throno honóris sedentem in sempitérnum. *Eccli.* 24.

Ant. 7. a. Erípiet vos de manu inimicórum: redúcet autem vos cum gáudio et jucunditáte in sempitérnum. *Baruch.* 4.

Capitulum. (*Agg.* 2.)

Hæc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc unum módicum est, et ego commovébo cœlum et terram, et mare, et áridam: et movébo omnes gentes: et véniet desiderátus cunctis géntibus.

℟. Ecce Deus noster iste: expectávimus eum, et salvábit nos; iste Dóminus, * Sustinúimus eum; † Exultábimus et lætábimur in salutári ejus. ℣. Gaudéte in Dómino, gaudéte; Dóminus propè est: * Sustinúimus. Glória Patri. † Exultábimus. *Repetitur* ℟. *usque ad* ℣. *Is.* 25. *Philipp.* 4.

HYMNUS.

Missum Redemptórem polo,
Novumque totus, quà patet,
Adóret orbis Príncipem
Natum Márià vírgine.

Rerum Creátor ómnium
Servíle corpus índuit;
Ut carne carnem líberans,
Ne pérderet quos cóndidit.

Quod ante mundi témpora
Verbum Patris prodit sinu,
Obnóxius nunc témpori
Mortális infans náscitur.

Fœno cubáre sústinet,
Præsépe non horret Deus,
Et índiget lactis cibo
Cibus perennis Cœlitûm.

Quæ cárdines mundi rotant,
Manus ligantur fásciis:
Imbellis et plorans jacet,
Ut nos jacentes érigat.

Judex futúrus séculi

Nunc blandus ad cunas vocat;
Amóre tanto, mútui
Amóris exposcit vices.
¶ Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

¶ *Sic terminantur omnes Hymni ejusdem metri usque ad Epiphaniam, nisi propriam habeant Doxologiam.*

℣. Expectans expectávi Dóminum, ℟. Et intendit mihi. *Ps.* 39.

Ad Magníficat, *Ant.* J. *duplicanda.* Béthleem Ephrata, párvulus es in míllibus Juda: ex te mihi egrediétur qui sit dominátor in Israel; et egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. *Mich.* 5.

COLLECTA. Orémus.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetusta sérvitus tenet. Per eumdem.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. *f.* Consurge, fília Sion; lauda in nocte, in princípio vigiliárum, allelúia. *Thren.* 2.

Hymn. Mundi salus, *ut in Ordin.* 166.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. a. Egrediátur ut splendor Justus Sion, et Salvátor ejus ut lampas accendátur, allelúia. *Is.* 62.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Christus natus est nobis: * Veníte, adorémus. *Luc.* 2. *Ps.* 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Jam désinant suspíria;
Audívit ex alto Deus:
Cœli patescunt; en adest
Promissa pax mortálibus.

Profunda noctis ótia
Cœlestis abrumpit chorus;
Natumque festo cármine
Annúntiat terris Deum.

Specum sacrátam pérvigil
Dum turba pastórum subit,
Eámus, et castis pia
Cunis ferámus óscula.

At quale nobis pánditur
Intrántibus spectáculum!
Præsépe, fœnum, fásciæ,
Parens inops, infans puer.

Tu-ne ille, Christe, Fílius
Et splendor æterni Patris?
Illum-ne cerno qui levi
Orbem pugillo sústinet?

Sic est: verenda queis lates,
Fides pénetrat núbila:
Agnosco quem proni vident,
Tremunt, adórant Angeli.

Agis magistrum vel tacens:
Ex hac cathédra nos doces
Vitáre quod carni placet;
Caro quod horret pérpeti.

Castos amóres nútriens,
Sanans tumentes spíritus,
Divíne, nostris, ô Puer,
Præcórdiis innáscere. Amen.

IN I.º NOCTURNO.

In Psalm. 2. Quare fremuérunt, 2.

Ant. 8. c. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

In Ps. 18. Cœli enarrant, *cum sua divisione*, 48.

Ant. 8. G. Tanquam sponsus Dóminus, procédens de thálamo suo.

In Ps. 44. Eructávit, 137.

Ant. 1. D. Speciósus formâ præ fíliis hóminum: diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℣. Recordátus est misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

Pater noster, *etc.*

Absolutiones et Benedictiones, ut in Ordin. Brev.

Tres Lectiones sequentes leguntur sine titulo.

LECTIO I.

(Isaiæ 9.)

Primo témpore alleviáta est terra Zabúlon, et terra Néphthali: et novíssimo aggraváta est via maris trans Jordánem Galilææ géntium. Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætítiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe; sicut exultant victóres captâ prædâ, quando dívidunt spólia. Jugum enim óneris ejus, et virgam húmeri ejus, et sceptrum exactóris ejus superasti sicut in die Mádian. Quia omnis violenta prædátio cum tumultu, et vestimentum mistum sánguine erit in combustiónem, et cibus ignis. Párvulus enim natus est nobis, et Fílius datus est nobis; et factus est principátus super húmerum ejus: et vocábitur nomen ejus, Admirábilis, Consiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri séculi, Princeps pacis. Multiplicábitur ejus impérium, et pacis non erit finis; super sólium David, et super regnum ejus sedébit; ut confirmet illud, et corróboret in judício et justítiâ, ámodò et usque in sempiternum. Tu autem.

℟. Per víscera misericórdiæ Dei nostri, visitávit nos Oriens ex alto; * Illumináre his qui in ténebris et in umbra mortis sedent. ℣. Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis: * Illumináre. Glória Patri. * Illumináre. *Luc.* 1. *Is.* 9.

LECTIO II.

(Cap. 40.)

Consolamini, consolámini, pópule meus, dicit Deus vester. Loquímini ad cor Jerúsalem, et advocáte eam: quóniam compléta est malítia ejus, dimissa est iníquitas illíus: suscépit de manu Dó-

miní duplícia pro ómnibus peccátis suis. Vox clamantis in deserto : Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur, et omnis mons et collis humiliábitur, et erunt prava in directa, et áspera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini, et vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est. Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamábo ? Omnis caro fœnum, et omnis glória ejus quasi flos agri. Exsiccátum est fœnum, et cécidit flos, quia Spíritus Dómini sufflávit in eo. Verè fœnum est pópulus : exsiccátum est fœnum, et cécidit flos ; verbum autem Dómini nostri manet in æternum.

℟. Gaudéte, et laudáte simul, quia consolátus est Dóminus pópulum suum : * Parávit bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium. ℣. Misit Deus Fílium suum in mundum, ut salvétur mundus per ipsum : * Parávit. Glória. * Parávit. *Is*. 52. *Joan*. 3.

LECTIO III.

(Cap. 52.)

Consurge, consurge, indúere fortitúdine tuà, Sion ; indúere vestimentis glóriæ tuæ, Jerúsalem, cívitas Sancti ; quia non adjíciet ultrà ut pertránseat per te incircumcísus et immundus. Excútere de púlvere, consurge ; sede, Jerúsalem : solve víncula colli tui, captíva fília Sion. Quia hæc dicit Dóminus : Gratìs venúmdati estis, et sine argento redimémini. Quia hæc dicit Dóminus Deus : In Ægyptum descendit pópulus meus in princípio, ut colónus esset ibi ; et Assur absque ulla causa calumniátus est eum. Et nunc quid mihi est hìc, dicit Dóminus, quóniam ablátus est pópulus meus gratìs ? Dominatóres ejus iníquè agunt, dicit Dóminus, et júgiter totà die nomen meum blasphemátur. Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa ; quia egò ipse qui loquébar, ecce adsum.

℟. Prophetissa péperit fílium ; et dixit Dóminus : * Voca nomen ejus, Accélera spólia detráhere, festína prædári. ℣. Universa arma fortis armáti áuferet, et spólia ejus distríbuet : * Voca. Glória. * Voca. *Repetitur* ℟. Prophetissa, *usque ad* ℣. Universa. *Is*. 52. *Luc*. 11.

IN II.o NOCTURNO.

In Ps. 47. Magnus Dóminus, 139.

Ant. 5. C. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui.

In Ps. 71. Deus, judícium, *cum sua divis*., 49.

Ant. 3. a. Oriétur in diébus Dómini abundántia pacis, et dominábitur.

In Ps. 84. Benedixisti, 53.

Ant. 8. c. Véritas de terra orta est, et justítia de cœlo prospexit.

℣. Misericórdia et véritas obviavérunt sibi : ℟. Justítia et pax osculátæ sunt. *Ps.* 84.

LECTIO IV.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(Serm. I. de Nat. Dom. cap. I.)

Salvator noster, dilectíssimi, hódie natus est : gaudeámus. Neque enim locum fas est ibi esse tristítiæ, ubi natális est vitæ : quæ consumpto mortalitátis timóre, íngerit nobis de promissa æternitáte lætítiam. Nemo ab hujus alacritátis participatióne secérnitur, una cunctis lætítiæ commúnis est rátio ; quia Dóminus noster, peccáti mortisque destructor, sicut nullum à reátu líberum réperit, ita pro liberandis ómnibus venit. Exultet sanctus, quia propinquat ad palmam : gáudeat peccátor, quia invitátur ad véniam : animétur Gentílis, quia vocátur ad vitam. Dei namque Fílius secundùm plenitúdinem témporis, quàm divíni consílii inscrutábilis altitúdo dispósuit, reconciliandam Auctóri suo natúram géneris assumpsit humáni : ut inventor mortis diábolus, per ipsam quam víncerat, vinceréfur.

℟. Sic Deus dilexit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret ; * Ut omnis qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam æternam. ℣. Egressus es in salútem pópuli tui, Dómine, in salútem cum Christo tuo ; * Ut omnis qui credit. Glória Patri. * Ut. *Joan.* 3. *Habac.* 3.

LECTIO V.

In quo conflictu pro nobis ínito, magno et mirábili æquitátis jure certátum est, dum omnípotens Dóminus cum sævíssimo hoste, non in sua majestáte, sed in nostra congréditur humilitáte, objíciens ei eamdem formam, eamdemque natúram, mortalitátis quidem nostræ partícipem, sed peccáti totíus expertem. Aliénum quippe ab hac nativitáte est, quod de ómnibus légitur : Nemo mundus à sorde, nec infans cujus est uníus diéi vita super terram. Nihil ergo in istam singulárem nativitátem de carnis concupiscéntia transívit, nihil de peccáti lege manávit. Virgo régia Davídicæ stirpis elígitur, quæ sacro gravidanda fœtu, divínam humanamque prolem priùs concíperet mente, quàm córpore. Et ne superni ignára consílii ad inusitátos pavéret effectus, quod in ea operandum erat à Spíritu sancto, collóquio discit angélico : nec damnum credit

pudóris, Dei génitrix mox futúra.

℟. Qui sanctíficat, et qui sanctificantur, ex uno omnes : * Unde † Débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fíeret, ut repropitiáret delícta pópuli. ℣. Deus in terris visus est, et cum homínibus conversátus est : * Unde débuit. Glória Patri. † Débuit per omnia. *Hebr.* 2. *Baruch* 3.

LECTIO VI.
(Cap. 3.)

Agamus ergo, dilectíssimi, grátias Deo Patri, per Fílium ejus in Spíritu sancto : qui propter multam misericórdiam suam, quà dilexit nos, misertus est nostrî : et cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Christo ; ut essémus in ipso nova creatúra novumque figmentum. Deponámus ergo véterem hóminem cum áctibus suis : et adepti participatiónem generatiónis Christi, carnis renuntiémus opéribus. Agnosce, ò Christiáne, dignitátem tuam ; et divínæ consors factus natúræ, noli in véterem vilitátem degéneri conversatióne redíre. Memento, cujus cápitis et cujus córporis sis membrum. Reminíscere quia ereptus de potestáte tenebrárum, translátus es in Dei lumen et regnum.

℟. Deus ipse prior dilexit *nos, et misit* Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris : * Et nos cognóvimus, et credídimus caritáti quam habet Deus in nobis. ℣. Dixit Dóminus : Pópulus meus est, et factus est eis salvátor ; in dilectióne sua ipse redémit eos : * Et nos. Glória Patri. * Et nos cognóvimus. *Repetitur* ℟. Deus, *usque ad* ℣. Dixit. 1. *Joan.* 4. *Is.* 63.

IN III.• NOCTURNO.

In Ps. 95. Cantáte... omnis terra, 39.

Ant. 4. A. Læténtur cœli, et exultet terra à fácie Dómini, quóniam venit.

In Ps. 96. Dóminus regnávit... læténtur, 53.

Ant. 2. D. Lux orta est justo, et rectis corde lætítia, allelúia.

In Ps. 97. Cantáte Dómino... quia, 40.

Ant. 6. F. Notum fecit Dóminus salutáre suum, all.

℣. Deus rex noster ante sécula, ℟. Operátus est salútem in médio terræ. *Ps.* 73.

Pater noster, *etc.*

Absolutio. (2. *Mach.* 1.)

Deus memínerit testamenti sui quod locútus est, et exáudiat oratiónes nostras.

℟. Amen.

Bened. Detur nobis sermo in apertióne oris nostri cum fidúcia notum fácere mystérium Evangélii. *Ephes.* 6.

℟. Amen.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 2.)

In diébus illis; Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describerétur universus orbis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 8, in Evang.)

Quia, largiente Dómino, missárum solémnia ter hódiè celebratúri sumus, loqui diu de evangélica lectióne non póssumus. Sed nos áliquid vel bréviter dícere Redemptóris nostri Natívitas ipsa compellit. Quid est quòd nascitúro Dómino mundus descríbitur, nisi hoc quod apertè monstrátur, quia ille veniébat in carne, qui electos suos ascríberet in æternitáte? Quò contrà de réprobis per Prophétam dícitur: Deleantur de libro vivéntium, et cum justis non scribantur. Qui bene étiam in Béthleem náscitur; Béthleem quippe domus panis interpretátur. Ipse namque est qui ait: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Locus ergo in quo Dóminus náscitur, domus panis ánteà vocátus est; quia futúrum profectò erat ut ille ibi per matériam carnis apparéret, qui electórum mentes internà satietáte refíceret. Qui non in parentum domo, sed in via náscitur; ut profectò osténderet quia per humanitátem suam quam assúmpserat, quasi in alieno nascebátur.

℟. Impléti sunt dies Maríæ ut páreret, * Et péperit fílium suum primogénitum, et pannis eum involvit, et reclinávit eum in præsépio. ℣. Audíte, domus David: Ecce virgo páriet fílium. * Et. Glória. * Et. *Luc.* 2. *Is.* 7.

Bened. Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. ℟. Amen. 2. *Cor.* 4.

LECTIO VIII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 2.)

In illo témpore; Pastóres loquebantur ad ínvicem: Transeámus usque Béthleem, et videámus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus ostendit nobis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Luc. lib. 2, n. 53.)

Vides festináre pastóres; nemo enim cum desídia Christum requírit. Vides pastóres Angelo credidisse; et tu Patri, Fílio, Spirítui sancto, Angelis, Prophétis, et Apóstolis crede. Vide quàm signátè Scriptúra singulórum libret momenta

verborum : Festinant, inquit, Verbum videre. Etenim dùm caro Dómini vidétur, Verbum videtur, quod est Filius. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis persóna pastórum. Certe quò vilior ad prudéntiam, eò pretiósior ad fidem. Non gymnásia choris referta sapientùm, sed plebem Dóminus símplicem requisívit, quæ phaleráre audita et fucáre nescíret. Simplícitas enim quæritur, non ambítio desiderátur. Nec contemnenda putes quàsi vília verba pastorum : à pastóribus étiam María fidem cólligit : à pastóribus pópulus ad Dei reveréntiam congregátur.

℟. Natus est vobis hódiè salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David; et hoc vobis signum : * Inveniétis infántem pannis involútum, et pósitum in præsépio. ℣. Nolíte metúere, quia Dóminus Deus vester in médio vestrî est, ut éruat vos : * Inveniétis. Glória. * Inveniétis. *Luc.* 2. *Deut.* 20.

Bened. Permaneámus in fide fundáti, et immóbiles à spe Evangélii. ℟. Amen. *Coloss.* 1.

LECTIO IX.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 1.)

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Ep. ad Honor. 140, aliàs 120, c. 3 et 4.)

Quem Fílium Deus míserit, fierique ex mulíere volúerit, quantus ille Deus sit, qui hanc humilitátem pro salúte fidelium suscípere dignátus fúerit, ut agnoscas, nunc attende Evangélium: In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hic ergo Deus Verbum Dei, per quod facta sunt ómnia, Fílius Dei est... qui cùm esset Fílius Dei, venit ut fíeret fílius hóminis, donaretque nobis qui erámus fílii hóminum, fílios Dei fíeri. Descendit ergo ille, ut nos ascenderémus; ut, participátà natúrà filiórum hóminum, ad participandam étiam suam natúram adoptáret fílios hóminum. Quapropter cùm dixisset, Dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, modumque adjunxisset, ne carnális intelligerétur natívitas, quòd scílicet eis id præstíterit, qui credunt in nómine ejus, et per grátiam renascuntur spiritálem, mox commendávit quasi hujus vicissitúdinis sacramentum. Tanquam enim miráti tantum bonum non auderémus optáre, statim subjunxit: Et Verbum caro factum est, et habitávit in

nobis ; tanquam díceret : O hómines, nolíte desperáre vos fieri posse fílios Dei ; quia et ipse Fílius Dei, hoc est, Verbum Dei, caro factum est, et habitávit in nobis. Réddite vicem : effícimini spíritus, et habitáte in illo qui caro factus est et habitávit in nobis.

℟. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis : * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre, plenum grátiæ et veritátis. ℣. Cùm nox in suo cursu médium iter habéret, omnípotens Sermo tuus, Dómine, de cœlo à regálibus sédibus prosilívit : * Et vídimus. Glória. * Et *Repet.* ℟. Verbum, *usque ad* ℣. Cùm nox. *Joan.* 1. *Sap.* 18.

Post ℟. dicitur (etiam extrà Chorum) sequens Evangelium.

℣. Dóminus vobiscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Solus recitans incipit absolutè sine Dóminus vobiscum.

Inítium sancti Evangélii secundùm Matthæum. *C.* 1.

℟. Glória tibi, Dómine.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac : Isaac autem génuit Jacob : Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares et Zaram de Thamar : Phares autem génuit Esron : Esron autem génuit Aram : Aram autem génuit Amínadab : Amínadab autem génuit Naasson : Naasson autem génuit Salmon : Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth : Obed autem génuit Jesse : Jesse autem génuit David regem : David autem rex génuit Salomónem ex ea quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam : Róboam autem génuit Abíam : Abías autem génuit Asa : Asa autem génuit Jósaphat : Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Joáthan : Joáthan autem génuit Achaz : Achaz autem génuit Ezechíam : Ezechías autem génuit Manassen : Manasses autem génuit Amon : Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam et fratres ejus, in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis, Jechonías génuit Saláthiel : Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abíud : Abíud autem génuit Elíacim : Elíacim autem génuit Azor : Azor autem génuit Sadoc : Sadoc autem génuit Achim : Achim autem génuit Elíud : Elíud autem génuit Eleázar : Eleázar autem génuit Mathan : Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus qui vocátur Christus.

Posteà dicitur Te Deum; *quo finito sine* ℣. *Sacerd. celebratur Missa in galli cantu: et factâ Communione Sacerdotis, inchoantur Laudes absolutè ab impositione Antiphonæ* Pastóres, *ut infrà, Sacerdote interim juxta altare remanente.*

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 4. E. Pastóres erant vigilantes, et custodientes vigílias noctis super gregem suum; et ecce Angelus Dómini stetit juxta illos, allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 3. a. Cláritas Dei circumfulsit illos, et timuérunt timóre magno; et dixit illis Angelus: Nolíte timére, allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 5. a. Ecce evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo; quia natus est vobis hódiè Salvátor, allelúia. *Luc.* 2.

Loco Cantici Benedícite, *dicitur sequens*

CANTICUM.

(Isaiæ 25.)

Domine, Deus meus es tu, * exaltábo te, et confitébor nómini tuo;

Quóniam fecisti mirabília, * cogitatiónes antíquas, fidéles: amen.

Quia posuisti civitátem in túmulum, * urbem fortem in ruínam.

Domum alienórum, ut non sit cívitas, * et in sempiternum non ædificétur.

Super hoc laudábit te pópulus fortis, * cívitas géntium robustárum timébit te;

Quia factus es fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne sua: * spes à túrbine, umbráculum ab æstu.

Spíritus enim robustórum, * quasi turbo impellens paríetem.

Sicut æstus in siti, tumultum alienórum humiliábis: * et quasi calóre sub nube torrente propáginem fórtium marcéscere fácies.

Et fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium, convívium vindémiæ, * pínguium medullatórum, vindémiæ defæcátæ.

Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes pópulos, * et telam quam ordítus est super omnes natiónes.

Præcipitábit mortem in sempiternum: * et áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie.

Et oppróbrium pópuli sui áuferet de universa terra; * quia Dóminus locútus est.

Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, * expectávimus eum, et salvábit nos:

Iste Dóminus, sustinúimus eum; * exultábimus, et lætábimur in salutári ejus.

Ant. 7. *d.* Facta est cum Angelo multitúdo milítiæ cœlestis laudántium Deum, et

ascéntium : Glória in altíssimis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis, allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 8. G. Pastóres loquebantur ad invícem : Transeámus usque Béthleem, et videámus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus ostendit nobis, allelúia. *Luc.* 2.

Finitâ istâ Ant. incipit Sacerdos ad altare Antiphonam sequentem.

Ad Bened. *Ant.* 1. D. *duplic.* Venérunt pastóres festinantes; et invenérunt Maríam, et Joseph, et Infantem pósitum in præsépio. Videntes autem, cognovérunt de verbo quod dictum erat illis de Púero, allelúia. *Luc. c.* 2.

COLLECTA Orémus.

Deus, qui panem Angelórum in præsépi Ecclésiæ cibum fecisti fidélium : da nobis, quæsumus, in præsenti sêculo degustáre cœléstium dulcédinem gaudiórum; ut in futúro perdúcas nos ad satietátem æternórum præmiórum; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Sic hodie dicuntur Laudes, etiam extra Chorum.

Ad Horas, *Psalmi de Dominica cum Ant. de Laudibus. Doxol.* Qui natus es.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam, Collecta, Concéde, *ut infrà ad II Vesperas,* 255.

AD PRIMAM.

Ant. 4. E. Pastóres.

Non dicitur symbolum Quicumque.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matth.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Cláritas.

Capitulum. (*Hebr.* 1.)

Cum íterùm introdúcit Deus Primogénitum in orbem terræ, dicit : Et adórent eum omnes Angeli Dei.

℟. *br.* Adoráte eum, * omnes Angeli ejus, * Allelúia, allelúia. Adoráte. ℣. Audívit, * et lætáta est Sion, * Allelúia. Glória Patri. Adoráte. *Ps.* 96.

℣. Jubiláte Deo, omnis terra : ℟. Cantáte, et exultáte, et psállite. *Ps.* 97.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Ecce.

Capitulum (1. *Tim.* 1.)

Fidelis sermo, et omni acceptióne dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere.

℟. *br.* Confiteantur Dómino * misericórdiæ ejus, * Allelúia, allelúia. Confiteantur. ℣. Et mirabília ejus * fíliis hóminum, * Allelúia Glória Patri. Confiteantur. *Ps.* 106.

℣. In humilitáte nostra memor fuit nostrî, ℟. Et

redémit nos ab inimícis nostris. *Ps.* 135.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Pastóres.

Capitulum. (*Galat.* 4.)

Cum essémus párvuli, sub elementis mundi erámus servientes : at ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. *br.* Dóminus virtútum * nobiscum, * Allelúia, allelúia. Dóminus. ℣. Susceptor noster * Deus Jacob, * Allelúia. Glória Patri. Dóminus. *Ps.* 45.

℣. Confiteantur tibi pópuli, Deus : ℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66.

AD II. VESPERAS.

In Ps. 109. Dixit Dóminus, 21.

Ant. 1. g. Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : ex útero ante lucíferum génui te.

In Ps. 110. Confitébor... in concílio, 22.

Ant. 7. ç. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo, mandávit in æternum testamntum suum.

In Ps. 111. Beátus vir, 22.

Ant. 5. C. Exortum est in ténebris lumen rectis corde; miséricors, et miserátor, et justus Dóminus.

In Ps. 129. De profundis, 84.

Ant. 4. A. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio.

In Ps. 131. Memento, *cum sua divisione*, 143.

Ant. 8. G. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Capitulum. (1. *Joan.* 4.)

In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

Allelúia, allelúia. ℣. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis. Allelúia. *Joan.* 1.

HYMNUS.

Jesu, Redemptor ómnium,
Summi Parentis única,
Qui solus ante sécula
Patri Deo par násceris.

Tu nostra pax et glória,
Spes una tu mortálium,
Intende quas tibi preces
De cordis ara fúndimus.

Qui córporis nostri volens
Nascendo formam súscipis,
Divinitátis nos simul
Das esse consortes tuæ.

Ad illud evectos decus
Tuére fratres; dégener
Ne vita sontes prístinam
In vilitátem déprimat.

Hoc sancta te poscit dies,
Ortus dies tuî memor,

Quâ lúcido surgens thoro
Sol verus orbem vísitas.

Nunc ergo terra, nunc polus,
Vastíque tractus æquoris,
Qui te dedit, festis Patrem
Laudáre certant cánticis.

Et nos, perennis, ô quibus
Salútis auctor násceris,
Faustum triumphâli juvat
Ornáre concentu diem.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Hic est Deus, Deus noster in æternum : ℟. Ipse reget nos in sécula. *Ps.* 47.

Ad Magníf. *Ant.* 3. E. *dupl.* Fílius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum, et simus in vero Fílio ejus : hic est verus Deus, et vita æterna, allelúia. 1. *Joan.* 5.

COLLECTA. Orémus.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetusta sérvitus tenet; Per eumdem Dóminum nostrum.

Commemorat. sancti Stephani, ut in proprio Sanctorum.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capitulum de Dominica.

Ant. 2. D. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in ténebris non máneat, allelúia. *Joan.* 12.

Hymn. Mundi salus, *ut in Ordinario Breviarii*, 166.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 1. g. Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum; et lux in ténebris lucet, Allelúia. *Joan.* 1.

INTRA OCTAVAM
NATALIS DOMINI.

Primo triduo fit de Festis occurrentibus, ut in Proprio Sanctorum, cum Commemoratione Octavæ vel Dominicæ, si occurrat.

OFFICIUM DOMINICÆ
INTRA OCTAVAM
NATALIS DOMINI.

Si nulla occurrat Dominica inter Natale Domini et Festum Circumcisionis, omittitur hoc Officium.

Si inciderit in diem sancti Stephani, de ea fiet Commemoratio in Officio nocturno [per nonam Lect. quæ erit prima de Homilia in Evangelium Dominicæ] in Laudibus et secundis Vesperis, et tunc omittetur Commemoratio Natalis Domini.

Si in diem S. Joannis vel SS. Innocentium inciderit, de ea fiet Commem. in utrisque Vesperis, Officio nocturno et Laudibus.

Si inciderit in diem 29, 30, *vel* 31, *Officium fiet ut sequitur.*

DOMINICA INTRA OCTAV. NATATIS DOMINI.

Duplex-minus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi et Antiphonæ ut in II. Vesp. Natalis Domini.

Capitulum. (*Ephes.* 1.)

Proposuit Deus in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo quæ in cœlis, et quæ in terra sunt in ipso.

Hymnus, Jesu Redemptor, 254.

℣. Tu, Dómine, Redemptor noster : ℟. A século nomen tuum. *Cantic. Is.* 63.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Ecce nos venímus ad te; tu enim es Dóminus Deus noster : verè in Dómino Deo nostro salus Israel. *Jer.* 3.

Collecta, Omnípotens, *ut infrà.*

Non fit Commemoratio de Octava Natalis Domini.

(*In Ecclesiâ cathedrali, fit Commemoratio Octavæ S. Stephani, ut in Proprio Sanctorum.*

AD COMPLETORIUM.

Ut in die Natalis Domini.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Invit. et Hymnus, ut in die Natalis Domini.

Psalmi de Dominica.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 1. a. Deus ex sémine David, secundùm promissiónem eduxit Israel Salvatórem Jesum. *Act.* 13.

Ant. 2. D. In útero habens de Spíritu sancto, péperit María Fílium suum primogénitum. *Matth.* 1.

Ant. 8. G. Ipse est pax nostra, solvens inimicítias in carne suâ, ut reconcíliet Deo. *Ephes.* 2.

℣. Dominus dixit ad me : Fílius meus es tu : ℟. Ego hódie génui te. *Ps.* 2.

*Lectiones dicuntur ut infrà assignantur singulis diebus Octavæ, factis divisionibus ad Asteriscos **.*

℟℟℟. *sumuntur è primo Nocturno Natalis Domini servato ritu duplici; id est, sine* Glória *in I et II, et sine repetitione tertii.*

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 7. d. Grátias Deo qui nos tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem, remissiónem peccatórum. *Coloss.* 1.

Ant. 4. f. In ipso cóndita sunt universa; et ipse est ante omnes, et ómnia in ipso constant. Complácuit per eum reconciláre ómnia in ipsum. *Coloss.* 1.

Ant. 3. a. Sicut accepistis Jesum Christum, in ipso ambuláte; quia in ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter. *Coloss. c.* 2.

℣. Unxit te, Deus, Deus

tuus óleo lætítiæ, ℟. Præ consórtibus tuis. *Ps.* 44.

LECTIO IV.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(In Natali Domini 9.)

Excedit quidem, dilectíssimi, multùmque superéminet humáni elóquii facultátem divíni óperis magnitúdo; et inde oritur difficultas fandi, unde adest rátio non tacendi; quia in Christo Jesu Fílio Dei non solùm ad divínam esséntiam, sed étiam ad humánam spectat natúram, quod dictum est per Prophétam : Generatiónem ejus quis enarrábit? Utramque enim substántiam in unam convenisse persónam, nisi fides credat, sermo non éxplicat : et ídeò nunquam matéria déficit laudis, quia nunquam súfficit cópia laudatóris.

℟. Sic Deus, 247, *sine* Glória Patri.

LECTIO V.

Gaudeamus ígitur quòd ad eloquendum tantæ misericórdiæ sacramentum ímpares sumus ; et cùm salútis nostræ altitúdinem prómere non valeámus, sentiámus nobis bonum esse quòd víncimur. Nemo enim ad cognitiónem veritátis magis propinquat, quàm qui intélligit in rebus divínis, etiamsi multùm profíciat, semper sibi superesse quod quærat. Nam qui se ad id in quod tendit, pervenisse præsúmit, non quæsíta réperit, sed in inquisitióne defécit.

℟. Qui sanctíficat, 248, *sine* Glória.

LECTIO VI.

Ne autem infirmitátis nostræ perturbémur angústiis, evangélicæ nos et prophéticæ ádjuvant voces, quibus ita accéndimur et docémur, ut nobis Nativitátem Dómini, quà Verbum caro factum est, non tam prætéritam recólere, quam præsentem videámur inspícere. Quod enim pastóribus pro gregum suórum custódià vigilántibus nuntiávit Angelus, étiam nostrum implévit audítum : et ídeò Domínicis óvibus præsumus, quia verba divínitus édita cordis aure servámus ; tanquam et in hodierna festivitáte dicátur : Evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo; quia natus est vobis hódiè Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David.

℟. Deus ipse, 248. *Non repetitur ab initio post* Glória.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Deus Fílium suum misit benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque à nequítià suà. *Act. c.* 3.

Ant. 5. a. Hic est lapis qui

factus est in caput ánguli; et non est in álio áliquo salus. *Act.* 4.

Ant. 3. c. Vobis honor credéntibus; non credéntibus autem factus est lapis offensiónis et petra scándali. 1. *Petr.* 2.

℣. A Dómino factum est istud : ℟. Et est mirábile in óculis nostris. *Ps.* 117.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 2.)

In illo témpore; Erat pater Jesu et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Símeon, et dixit ad Maríam matrem ejus : Ecce pósitus est hic in ruínam et in resurrectiónem multórum in Israel. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Epíscopi.

(L. 1, ad Trasimund. reg. c. 4.)

Certum est penè omnes hæréticæ pravitátis erróres hinc quibusdam multiplíciter subrepsisse, dum magnum pietátis sacramentum quod manifestátum est in carne... nonnulli, aut non sicut est, credunt, aut omnìnò non credunt : et ille lapis qui ab ædificántibus reprobátus, in caput factus est ánguli, quibusdam pravæ credulitátis cæcitáte possessis lapis offensiónis et petra scándali effícitur.

℟. Erat pater Jesu et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo : *Et benedíxit illis Símeon. ℣. Miráti sunt in illo, et honoravérunt Deum. *Et. *Luc.* 2. *Eccli.* 11.

LECTIO VIII.

Unde non immérito, cùm Símeon infantem Christum... gaudens ulnis meruisset gestáre senílibus..... mundánæ cernens adesse salvatiónis ac renovatiónis effectum : non enim misit Deus Fílium suum, ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum... hoc de ipso testátur : Ecce pósitus est hic in ruínam et in resurrectiónem multórum. Ibi ergo malè credéntibus ruínam perfídia génerat, ubi recta credúlitas fidéles exaltat. In uno eodemque Christo, vero Dei veroque hóminis Fílio, minùs perspiciéntium tenebrátur háctenus lippitúdo, in quo illuminátis veri lúminis claret manifesta cognítio.

℟. Israel in legem justítiæ non pervénit; offendérunt enim in lápidem offensiónis, sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lápidem offensiónis : *Et omnis qui credit in eum, non confundétur. ℣. Hæc dicit Dóminus Deus : Ecce ego mittam in fundámentis Sion lápidem probátum, angulárem pretiósum,

in fundamento fundátum : * Et omnis. *Rom.* 9. *Is.* 28.

LECTIO IX.

Inde est quòd Judæus hóminem Christum cæcus vidit, et cécidit ; cui jamprídem Isaías non déstitit prædicáre : Aure audiétis, et non intelligétis ; et videntes vidébitis, et non vidébitis. Qui verò essent non visúri videntes subsecútus ostendit, dum Deum ex vírgine nascitúrum evidenti vaticinatióne testátur. Ecce, inquiens : Virgo in útero concípiet, et páriet Fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel, quod interpretátur Evangelista, dicens : Nobiscum Deus. Audiens, ergo Judæus, remansit surdus ; et videns, magis factus est cæcus, à quo nec veri Patris sempiternus atque unigénitus Fílius créditur, et incorruptæ virginitátis fœcúnditas abnegátur.

℟. Vivus est sermo Dei et éfficax discrétor cogitatiónum et intentiónum cordis ; ómnia autem nuda sunt óculis ejus. * Habentes ergo Pontíficem magnum, Jesum, Fílium Dei, † Teneámus confessiónem. ℣. Ecce qui incrédulus est non erit recta ánima ejus in semetipso ; justus autem in fide sua vivet. * Habentes ergo Pontíficem. Glória. † Teneámus. *Hebr.* 11. *Habac.* 2.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : ℟. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus. *Ps.* 95.

AD LAUDES.

Psalmi cum Cantico et Antiphonis ut in die Natalis Domini, 252.

Capitulum. (2. *Cor.* 8.)

Scitis grátiam Dómini nostri Jesu Christi, quóniam propter vos egénus factus est, cùm esset dives, ut illíus inópiâ vos dívites essétis.

HYMNUS

Umbra sepultis lux óritur
nova :
Mundo stupenti se simul
éxhibent
Infans Creátor, Virgo mater,
Seque minor Deus ipse factus.

Numen suprémum de Patre Númine,
E matre prodit passíbilis
Deus :
De fonte lucis lux perennis,
Carne suos rádios obumbrat.

Compressa strictis bráchia
fásciis,
Libráta mundi póndera sústinent :
Lactante nutrítur parente
Cœlícolûm cibus ipse jugis.

Homo superbus corrúerat
miser ;
Se deprimendo nos Deus
érigit ;

Fit Numen infans, nostra forma;
Jamque Deum licet æmulári.

Ergo per orbem Rex novus ímperet,
Quondam timendus víndice déxterâ;
Inermis ardet nunc amári:
Corda tuis, Puer, ure flammis.

Laus summa Patri, summaque Fílio;
Sit sancte, compar laus tibi, Spíritus;
O Numen infans, spes quiéta,
Víndice te, rédeat salútis.
Amen.

℣. Dómine, quid est homo, quia innotuisti ei? ℟. Aut filius hóminis, quia réputas eum? *Ps.* 143.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. à. Ecce pósitus est hic in ruínam et in resurrectiónem multórum in Israel, et in signum cui contradicétur. *Luc.* 2.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens sempiterne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo; ut in nómine dilecti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre; Per eumdem.

[*In Ecclesiâ Cathedrali, fit Commemor. Octavæ S. Stephani, ut in Proprio SS.*]

Ad Horas, *omnia ut in die Natalis Domini, excepto canone ad Primam, qui dicitur juxtà diem mensis.*

AD II. VESPERAS.

Ut in die Natalis Domini, 254, exceptis quæ sequuntur.

Omittitur Allelúia, *cum suo* ℣.

Post Hymnum, ℣. Benedixisti, Dómine, terram tuam: ℟. Avertisti captivitátem Jacob. *Ps.* 84.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Anna vídua confitebátur Dómino, et loquebátur de illo ómnibus qui expectábant redemptiónem Israel. *Luc.* 2.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

[*In Eccl. Cathedrali, fit Commemor. Octavæ sancti Stephani, ut in Proprio Sanctorum.*

Completorium *ut in die Natalis Domini*, 255.

INTRA OCTAVAM NATALIS DOMINI.

Semiduplex.

Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.

Ps. de Feria in toto Officio.

Ad Nocturnum. *Tres Antiphonæ et* ℣. *ex uno è Nocturnis Dominicæ intra Octavam ut notatur infrà in quâlibet die. Lectiones propriæ cum* ℟℟. *de Natali Domini, ut indicantur post singulas lectiones.*

℣. *Sacerd.* Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus. ℟. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus. *Ps.* 95.

AD LAUDES.

Antiphonæ et Canticum ut in die Natalis Domini.

Capitulum et Hymnus, ut in Dominica intra Octavam.

℣. Ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo; ℟. Exúltavit ut gigas ad curréndam viam. *Ps.* 18.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Egressus est Salvator meus, et nunc qui redempti sunt à Dómino, reverteuntur, et vénient in Sion laudantes; allelúia. *Is.* 51.

COLLECTA. Orémus.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetusta sérvitus tenet; Per eumdem.

[*In Ecclesia Cathedrali, fit Commem. Octavæ sancti Stephani, ut in Proprio SS.*

Ad Horas, *ut in die.*

Ad Vesperas, *ut in die Natalis Domini, etiam Ps.* 254. *Omittitur* Allelúia *cum suo* ℣.

Ad Completorium, *Psalmi de Feria; cetera ut in die.*

QUINTA DIE

INTRA OCT. NATAL. DOMINI.

(Quæ est 29 Decembris.)

AD NOCTURNUM.

Tres Antiphonæ et ℣. è I. Nocturno Dominicæ, intra Octavam.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 4.)

Paulus servus Jesu Christi, vocátus Apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod ante promíserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis, de Fílio suo qui factus est ei ex sémine David secundùm carnem, qui prædestinátus est Fílius Dei in virtúte secundùm spíritum sanctificatiónis ex resurrectióne mortuórum Jesu Christi Dómini nostri; per quem accépimus grátiam et apostolátum ad obediendum fídei in ómnibus géntibus pro nómine ejus, in quibus estis et vos vocáti Jesu Christi: ómnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocátis sanctis, grátia vobis et pax à Deo patre nostro et Dómino Jesu Christo:.. *Nolo autem vos ignoráre, fratres, quia sæpè propósui veníre ad vos, (et prohíbitus sum usque adhuc) ut áliquem fructum hábeam et in vobis, sicut et in céteris géntibus. Græcis ac Bárbaris, sapiéntibus et insipiéntibus débitor sum; ita (quod in me) promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizáre. Non enim erubesco Evangélium: virtus enim Dei est in salútem omni credenti, Judæo primùm, et Græco. Jus

títia enim Dei in eo revelátur ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. ** Revelátur enim ira Dei de cœlo super omnem impietátem, et injustítiam hóminum eórum qui veritátem Dei in injustítia détinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim illis manifestávit. Invisibília enim ipsíus, à creatúra mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divínitas; ita ut sint inexcusábiles. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificavérunt, aut grátias egérunt; sed evanuérunt in cogitatiónibus suis, et obscurátum est insípiens cor eórum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.

℟. Per víscera, 245, *sine* Glória Patri.

LECTIO II.

Sermo sancti Basílii Epíscopi.

(De Humana Christi gener. in die Nat. ejus.)

Deus in terra est, Deus inter hómines versátur, non per ignem, tubam et montem fumantem, vel per túrbinem, et nubem, et potestátem ánimas auditórum legem ferendo perterrens; sed próprio córpore, cum homínibus cognátis piè con*versans* ac dísserens. Deus, inquam, in carne, non ex intervallo agens, sicut in Prophétis, sed conjunctam sibi humanitátem rétinens, per carnem suam nostræ cognátam ad se traxit humanitátem. Sed quonam modo per unum, inquis, ad omnes splendor? Quómodò in carne divínitas? Quemádmodùm ignis in ferro, non ex progressu, sed ex participatióne. Non enim in ferrum ignis currit aut accédit : verùm in loco rémanens, suárum párticeps vírium ferrum reddit; cùmque se totum illi commúnicet, nihil proptéreà de sua natúra, nihil de suis amittit víribus. Sic et Deus Verbum nihil ex seipso motus est, cùm nostram accépit humanitátem, neque item conversiónem commutationemque áliquam sustínuit. Et Verbum caro factum est. Nec proptéreà cœlum ab eo qui se continébat, est desertum; et terra nihilóminùs sinu suo cœlestem recépit.

℟. Gaudéte, 246, *sine* Glória Patri.

LECTIO III.

Disce ítaque mystérium : ob hoc Deus in carnem venit, ut ínsitam carni mortem interfíceret. Nam, sicut in venénis quidquid est nóxium ac lethále, súperat antídotum córpori permistum atque perfúsum; item ut in domo, à qua ténebræ lúmi-

nis adventu diffúgiunt ac péreunt : sic mors in natúrâ dóminans humánâ, divinitátis præséntiâ dispáruit. O altitúdinem benignitátis humanitatisque Dei ! Et bonitátis quâdam superabundántiâ à servitúte vindicámur. Sed cur Deus homo factus est, ratiónem exquírunt hómines ; cùm magis ejus bonitátem admirári déceat, quàm divinitátem curiósiùs indagáre. Quidnam tecum agendum, homo? In súblimi Deum agentem mínimè quærébas ; ad te verò per carnem descendentem, et tecum per carnem conversantem non récipis.

℟. Prophetissa, 246. *Non Repetitur ab initio, post* Glória Patri.

SEXTA DIE

INTRA OCT. NATAL. DOMINI,

(Quæ est 30 Decembris.)

AD NOCTURNUM.

Tres Antiphonæ et ℣. è II Nocturno Dominicæ intra Octavam.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 2.)

Propter quod inexcusábilis es, ô homo omnis qui júdicas. In quo enim júdicas álterum, teipsum condemnas ; éadem enim agis quæ júdicas. Scimus enim quóniam judícium Dei est secundùm veritátem in eos qui tália agunt. Exístimas autem hoc, ô homo, qui júdicas eos qui tália agunt, et facis ea, quia tu effúgies judícium Dei? An divítias bonitátis ejus, et patiéntiæ, et longanimitátis contemnis? Ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit?* Secundùm autem durítiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelatiónis justi judícii Dei, qui reddet unicuíque secundùm ópera ejus. Iis quidem qui secundùm patiéntiam boni óperis, glóriam, et honórem, et incorruptiónem quærunt, vitam æternam ; iis autem qui sunt ex contentióne, et qui non acquiescunt veritáti, credunt autem iniquitáti, ira et indignátio.** Tribulátio et angústia in omnem ánimam hóminis operantis malum, Judæi primùm, et Græci : glória autem et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primùm, et Græco : non enim est accéptio personárum apud Deum. Quicumque enim sine lege peccavérunt, sine lege períbunt : et quìcumque in lege peccavérunt, per legem judicábuntur. Non enim auditóres legis justi sunt apud Deum, sed factóres legis justificabuntur.

℟. Sic Deus, 247, *sine* Glória Patri.

LECTIO II.

Sermo sancti Fulgéntii Epíscopi.

(Serm. 2, de dupl. Nat. Christi.)

Dilectissimi fratres, atténdite magnitúdinem grátiæ, et agnóscite quid Deus hómini dignátus est prærogáre. Christus enim Dei Fílius, de vero Deo Deus verus, et unus cum Patre naturáliter Deus, semper ex seipso sanctos Angelos pascit; sed tamen angélicam natúram Dei Fílius non accépit. Ut autem suam caritátem Deus commendáret in nobis, Fílius ejus natúram nostram suscépit ex nobis; et Deus unigénitus, qui panis est Angelórum, ut étiam hóminum seipsum fáceret panem, simul hóminis et ánimam suscépit et carnem. Accépit utramque veram, utramque sanctam, utramque mundam. Accépit ánimam nostram sine iniquitáte. Accépit carnem nostram cum mortalitáte. Accépit ánimam justam per quam nostris animábus justítiam rédderet; carnem verò proptéreà dignátus est habére mortálem, ut secundùm ipsam móriens, mortem vínceret; secundùm ipsam étiam resúrgeret, per quam nostra quoque córpora suscitáret.

℟. Qui sanctíficat, 248, *sine* Glória Patri.

LECTIO III.

(N. 6.)

Magnum mystérium, dilectíssimi fratres, magnum divínæ dilectiónis indícium. Homo Deum contemnens, à Deo discessit: Deus hómines díligens, ad hómines venit. Dilexit ímpium, ut fáceret justum: dilexit infirmum, ut fáceret sanum: dilexit perversum, ut fáceret rectum: dilexit mórtuum, ut fáceret vivum. Et quid ampliùs dicam? Quandóquidem Deus unigénitus humánam natúram tantùm dilexit, ut eam non solùm à potestáte mali ángeli liberáret, verùm étiam in seipso super omnes bonos Angelos in Patris déxtera collocáret. Natúra enim quæ in primo hómine à malo angelo captiváta fúerat, ipsa nunc in secundo super omnes bonos Angelos regnat. Primus homo de terra terrénus, secundus homo de cœlo cœlestis. Primum hóminem múlier, corruptà mente, decépit: secundum hóminem virgo, incorruptâ virginitáte, concépit. In primi hóminis cónjuge nequítia diábolì seductam depravávit mentem; in secundi autem hóminis matre grátia Dei et mentem íntegram servávit et carnem. Menti cóntulit firmíssimam fidem: carni ábstulit omnínò libídinem. Quóniam ígitur miserabíli-

ter pro peccáto damnátus est homo, ideò sine pecáto mirabíliter natus est Deus homo.

℟. Deus ipse prior, 248. *Et non repetitur ab início post Glória.*

SEPTIMA DIE

INTRA OCTAV. NAT. DOMINI,

(Quæ est 31 Decembris.)

Tres Antiph. et ℣. è tertio Noctúrno Domínicæ intra Octavam.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 3.)

Scimus autem, quóniam quæcumque lex lóquitur, iis qui in lege sunt, lóquitur, ut omne os obstruátur, et súbditus fiat omnis mundus Deo; quía ex opéribus legis non justificábitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognítio peccáti. Nunc autem sine lege justítia Dei manifestáta est, testificáta à lege et Prophétis. Justítia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum; non enim est distínctio. * Omnes enim peccavérunt, et egent glóriâ Dei. Justificáti gratis per grátiam ipsíus, per redemptiónem quæ est in Christo Jesu, quem propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus, ad ostensiónem justítiæ suæ propter remissiónem præcedéntium delictórum: in sustentatióne Dei, ad ostensiónem justítiæ ejus in hoc témpore; ut sit ipse justus, et justíficans eum qui est ex fide Jesu Christi. Ubi est ergo gloriátio tua? Exclúsa est. Per quam legem? Factórum? Non; sed per legem fídei. Arbitrámur enim justificári hóminem per fidem sine opéribus legis. ** An Judæórum Deus tantùm? Nonne et Géntium? Immò et Géntium. Quóniam quidem unus est Deus qui justíficat circumcisiónem ex fide, et præpútium per fidem. Legem ergo destrúimus per fidem? Absit; sed legem statúimus.

℟. Impléti sunt, 249, *sine* Glória.

LECTIO II.

Sermo sancti Hilárii Epíscopi.

(L. 2, de Trin. n. 24 et 25.)

Dei imágo invisíbilis pudórem humáni exórdii non recusávit, et per conceptiónem, partum, vagítum, cunas, omnes natúræ nostræ contumélias transcucurrit. Quid tandem dignum à nobis tantæ dignatiónis afféctui rependétur? Inenarrábilis à Deo oríginis unus unigénitus Deus, in corpúsculi humáni formam sanctæ Vírginis útero insertus accrescit. Qui ómnia cóntinet, et intra quem et per quem

cuncta sunt, humáni partûs lege profertur; et ad cujus vocem Archángeli atque Angeli tremunt, cœlum et terra, et ómnia mundi hujus resolvuntur elementa, vagítu infántiæ audítur. Qui invisíbilis et incomprehensíbilis est, non visu, sensu, tactúque moderandus, cunis est obvolútus.

℟. Natus est, 250, *sine* Glória Patri.

LECTIO III.

Hæc si quis indigna Deo récolet, tantò se majóris benefícii obnóxium confitébitur, quantò minùs hæc Dei convénerint majestáti. Non ille éguit homo éffici, per quem homo factus est: sed nos egúimus, ut Deus caro fíeret, et habitáret in nobis, id est, assumptióne carnis unius interna universæ carnis incóleret. Humílitas ejus nostra nobílitas est, contumélia ejus honor noster est: quod ille est Deus in carne consistens, hoc nos vicíssim in Deum ex carne renováti.

℟. Verbum caro, 251. *Non repetitur ab initio post* Glória.

VESPERÆ *de Festo sequenti.*

DIE I. JANUARII.

IN FESTO

CIRCUMCISIONIS DOMINI,

ET OCTAVA NATALIS EJUS.

SOLEMNE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Antiph. et Psalmi ut in secundis Vesperis Nativitatis Domini, 254.

Capitulum. (*Rom.* 8.)

Quod impossíbile erat legi, in quo infirmabátur per carnem, Deus Fílium suum mittens in similitúdinem carnis peccáti, et de peccáto damnávit peccátum in carne; ut justificátio legis implerétur in nobis, qui non secundùm carnem ambulámus, sed secundùm spíritum.

℟. Habitávit in nobis Verbum plenum grátiæ et veritátis : et de plenitúdine ejus nos omnes accépimus; quia lex per Móysen data est : * Grátia et véritas per Jesum Christum facta est. ℣. Legem mandávit Móyses in præceptis justitiárum, et hæreditátem dómui Jacob : * Grátia. Glória. *Repet.* ℟. Habitávit, *usque ad* ℣. *Joan.* 1. *Eccli.* 24.

HYMNUS.

Debilis cessent elementa legis :
Sat diu mentes timor occupávit;
Fœdus æterni stabilíre Jesus
Cœpit amóris.

Sole de vero rádius, paterni
Lúminis purus sine nube splendor,
Probra peccáti puer ecce tinctus
Sánguine præfert.

Stillat excísos púeri per artus
Efficax noxas abolére sanguis :
Obligat morti pretiósa totum
Stilla cruórem.

Hæc dies nomen tibi comparávit,
O Puer, pronus quod adóret orbis;
Et simul dici, simul ipse Jesus
Incipis esse.

Summa laus Patri; simul æqua Nato,

Qui suo mundum rédimit
cruóre :
Par sit ambórum tibi laus
per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

℣. Exaltábitur Deus fortis salútis meæ : ℟. Proptéreà nómini tuo cantábo. 2. *Reg.* 22.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. *dupl.* Propter nímiam caritátem suam, quâ dilexit nos Deus, convivificávit nos in Christo, cujus grátià estis salváti, non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. *Ephes.* 2.

Collecta, *ut infrà ad Laudes.*

Nulla fit Commemoratio.

Ad Completorium, *Psalmi et Capitul. de Feria ; cetera ut in die Natalis Domini,* 255.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Filium Dei factum ex muliere, factum sub lege, * Veníte, adorémus. *Gal.* 4.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Felix dies, quam próprio
Jesus cruóre cónsecrat!
Felix dies quâ géstiit
Opus salútis ággredi!

Vix natus, ecce lácteum
Profundit Infans sánguinem :
Libámen est hoc fúneris,
Amóris hoc prælúdium.

Intrans in orbem, jam Patris
Mandáta promptus éxequi,
Statum præóccupat diem
Et quà potest fit víctima.

Amore se facit reum,
Pœnasque solvit ínnocens;
Sub lege factus légifer,
A lege nos ut éximat.

Quo Christus ictu læditur,
Lex abrogáta cóncidit;
Et íncipit lex sánctior,
Mansúra semper cáritas.

Tu, Christe, quod non est tuum
Nostro recíde péctore :
Inscríbe nomen, íntimis
Inscríbe legem córdibus.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

In Ps. 8. Dómine, Dóminus noster, 37.

Ant. 6. *C.* Quid est homo, quòd memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis.

In Ps. 11. Salvum me fac Dómine, quóniam defécit, 104.

Ant. 4. D. Propter gémitum páuperum nunc exurgam, dicit Dóminus : ponam in salutári.

In Ps. 39. Expectans, *cum sua divis.* 116.

Ant. 2. D. Holocaustum ei pro peccáto non postulasti; tunc dixi : Ecce vénio.

℣. Protector noster, áspice, Deus; ℟. Et réspice in fáciem Christi tui. *Ps.* 83.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 17.)

Dixit Deus ad Abraham: Et tu ergo custódies pactum meum, et semen tuum post te in generatiónibus suis. Hoc est pactum meum quod observábitis inter me et vos, et semen tuum post te: Circumcidétur ex vobis omne masculínum; et circumcidétis carnem præpútii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo diérum circumcidétur in vobis, omne masculínum in generatiónibus vestris. Tam vernáculus, quàm emptítius circumcidétur, et quicumque non fúerit de stirpe vestra; eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Másculus cujus præpútii caro circumcísa non fúerit, delébitur ánima illa de pópulo suo; quia pactum meum írritum fecit.

℟. Semen Abraham servi Dómini, fílii Jacob electi ejus: ipse Dóminus Deus noster. * Memor fuit verbi quod dispósuit ad Abraham, et státuit illud Jacob in præceptum, et in testamentum æternum. ℣. Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisiónis propter veritátem Dei, ad confirmandas promissiónes patrum: * Memor fuit verbi. *Ps.* 104. *Rom.* 15.

LECTIO II.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 2.)

Circumcisio quidem prodest, si legem observes; si autem prævaricátor legis sis, circumcísio tua præpútium facta est. Si ígitur præpútium justítias legis custódiat, nonne præpútium illíus in circumcisiónem reputábitur? et judicábit id quod ex natúra est præpútium, legem consummans, te qui per lítteram et circumcisiónem prævaricátor legis es? Non enim qui in manifesto, Judæus est; neque quæ in manifesto, in carne, est circumcísio: sed qui in abscóndito, Judæus est; et circumcísio cordis in spiritu, non lítterâ: cujus laus non ex homínibus, sed ex Deo est.

℟. Novus homo renovátur in agnitiónem secundùm imáginem ejus qui creávit illum. * Ubi non est Gentílis et Judæus, circumcísio et præpútium; sed ómnia et in ómnibus Christus. ℣. Dicit Dóminus Deus: Quæ prima fuérunt, ecce venérunt; nova quoque ego annúntio. * Ubi non est Gentílis et Judæus, circumcísio et præpútium; sed ómnia et in ómnibus Christus. *Coloss.* 3. *Is.* 42.

LECTIO III.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

(Cap. 3.)

Si data esset lex quæ posset vivificáre, verè ex lege esset justítia. Sed conclúsit Scriptúra ómnia sub peccáto, ut promíssio ex fide Jesu Christi darétur credéntibus. Priùs autem quàm veníret fides, sub lege custodiebámur conclúsi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagógus noster fuit in Christo, ut ex fide justificémur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagógo; omnes enim fílii Dei estis per fidem quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizáti estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est másculus, neque fémina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissiónem hærédes.

℟. Ille est caput omnis principátûs et potestátis, * In quo et circumcísi estis circumcisióne non manufactâ, in expoliatióne córporis carnis, sed in circumcisióne Christi. ℣. Non adjíciet ultrà, Sion, ut pertránseat per te incircumcísus: redimémini, dicit Dóminus, * In quo. Glória. *Repet.* ℟. Ille est, *usque ad* ℣. Non. *Coloss.* 2. *Is.* 52.

IN II.° NOCTURNO.

In Ps. 45. Deus noster refugium, 139.

Ant. 7. *d.* Dóminus virtútum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.

In Ps. 66. Deus misereátur nostrî, 96.

Ant. 3. c. Deus, confiteantur tibi pópuli omnes: terra dedit fructum suum.

In Ps. 73. Ut quid, *cum sua divisione*, 141.

Ant. 1. g. Deus rex noster operátus est salútem in médio terræ.

℣. Ipse rédimet Israel ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps.* 129.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. 1, in Circumcis. n. 2.)

Magnum et mirábile sacramentum! Circumcíditur Puer, et vocátur Jesus. Quid sibi vult ista connéxio? Circumcísio nempe salvandi pótiùs quàm Salvatóris esse vidétur; et Salvátorem circumcídere decet, quàm circumcídi. Sed agnosce Mediatórem Dei et hóminum, qui ab ipso nativitátis suæ exórdio divínis humána sóciat, íma summis. Náscitur ex múliere, sed cui fœcunditátis fructus sic accédat, ut non décidat flos virginitátis: pánnis invólvitur, sed

panni ipsi angélicis láudibus honorantur : abscónditur in præsépio, sed próditur radiante stellâ de cœlo. Sic et circumcísio veritátem susceptæ probat humanitátis ; et nomen quod est super omne nomen, glóriam índicat majestátis.

℟. Deus novíssimè diébus istis locútus est nobis in Fílio ; * Qui cùm sit splendor glóriæ Patris, portansque ómnia verbo virtútis suæ, tantò mélior Angelis est efféctus, quantò differéntiùs præ illis nomen hæreditávit. ℣. Qui ambulávit in ténebris, et non est lumen ei, speret in nómine Dómini, * Qui. *Hebr.* 1. *Is.* 50.

LECTIO V.

Circumciditur, tanquam verus Abrahæ fílius ; Jesus vocátur, tanquam verus Fílius Dei. Neque enim ad instar priórum meus iste Jesus nomen vácuum aut ináne portat. Non est in eo magni nóminis umbra, sed véritas. Cœlitus síquidem índitum nomen Evangelista testátur. Quod vocátum est ab Angelo, priusquàm in útero conciperétur. Et attende verbi profunditátem. Postquàm natus est Jesus, Jesus vocátur ab homínibus, quo nómine vocátus est ab Angelo, priusquàm in útero conciperétur. Idem quippe et Angeli salvátor et hóminis : sed hóminis ab incarnatióne, Angeli ab inítio creatúræ.

℟. Christus Jesus semetipsum exinanívit, formam servi accípiens ; * Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen quod est super omne nomen ; ut in nómine Jesu omne genu flectátur. ℣. Dedit se ut liberáret pópulum suum, et acquíreret sibi nomen ætérnum : * Propter. *Philipp.* 2. 1. *Mach.* 6.

LECTIO VI.

Salvator noster et circumcídi octávo die, et post annum tricésimum dignátus est crucifígi : cujus similitúdini mortis complantámur et nos, ut scribit Apóstolus, nimírum quod novíssimè tráditum est, observantes. Quæ est ergo morális circumcísio nostra, nisi quam commendat, idem Apóstolus ? Victum, inquiens, et vestítum habentes, his contenti simus. Optimè prorsùs circumcídit nos, et supérflua résecat universa, hæc paupertas, pœniténtiæ lábor, reguláris observátio disciplínæ.

℟. Nos sumus circumcísio, qui spiritu servímus Deo, et gloriámur in Christo Jesu, * Non in carne fidúciam habentes. ℣. Salvos nos fac, Dómine, Deus noster, ut confiteámur nómini sancto tuo, et gloriémur in laude tuâ, * Non. Glória

Patri. *Repet.* ℟. Nos sumus, *usque ad* ℣. Salvos. *Philipp.* 3. *Ps.* 105.

IN III.° NOCTURNO.

In Ps. 79. Qui regis, *cum suâ divisione,* 100.

Ant. 8. G. Non discédimus à te : vivificábis nos, Dómine, et nomen tuum invocábimus.

In Ps. 86. Fundamenta, 140.

Ant. 5. C. Numquid Sion dicet : Homo natus est in eâ ; et ipse fundávit eam Altíssimus?

In Ps. 98. Dóminus regnávit,... irascantur, 41.

Ant. 3. a. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabellum pedum ejus : quóniam sanctum est.

℣. Lætábimur in salutári tuo : ℟. Et in nómine Dei nostri magnificábimur. *Ps.* 19.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 2.)

In illo témpore ; Postquàm consummáti sunt dies octo ut circumciderétur Puer, vocátum est nomen ejus Jesus. Et réliqua.

Homília S. Cyrilli, Alexandríni Epíscopi

(Homil. in Occ. Domini, inter diversas.)

Vidimus nuper infántulum in præsépi jacentem Emmánuel, et humáno more fásciis involútum, sed à sancto Angelórum exércitu divínis láudibus celebrátum ; ii namque pastóribus ortum ejus annuntiárunt. Deus enim et pater exímium hunc véluti honórem cœlítibus tríbuit, ut primi Christum prædicárent. Háctenus autem per ea quæ modò lecta sunt, videámus Mosáicis cedentem légibus ; quin pótiùs eum qui divínâ legem majestáte sanxit, suis ipsum légibus subjectum. Quam ob causam doctúrus est sapientíssimus Paulus, dicens ; Cùm essémus párvuli, sub elementis mundi erámus ; at ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redímeret. Itaque redémit Christus de maledicto legis eos qui sub lege erant, non tamen eos qui legem serváverant.

℟. Ecce vénio, Deus : in cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei. ℣. Descendi de cœlo, non ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem ejus qui misit me : * Deus meus. *Ps.* 39. *Joan.* 6.

LECTIO VIII.

Redemit autem : quonam modo? Illam adimplens. Item álio modo, se Deo et

Patri in ómnibus pro nobis obediéntem exhibens, quò nostræ ex Adam prævaricatiónis crimen dilúeret. Scriptum est enim : Sicut per inobediéntiam unius hóminis peccatóres constitúti sunt multi, ita et per unius obediéntiam justi constituentur multi. Subjécit itaque nobiscum legi cervícem; atque id, prudenti consílio benignâque accommodatióne : decébat enim eum implére omnem justítiam. Nam et cùm servi formam assumpsisset, eam ob causam velut in servórum númerum ascriptus ratióne humanitátis, tributórum exactóribus unà cum áliis didrachma solvit, quamvis natúrâ liber esset, ac nulli vectigális ut fílius.

℟. Per inobediéntiam unius hóminis peccatóres constitúti sunt multi, et per unius obeditiónem justi constituentur multi ; * Ut sicut regnávit peccátum in mortem, ita et grátia regnet per justítiam in vitam ætérnam. ℣. Benedictiónem dabit Legislátor : ibunt de virtúte in virtútem ; * Ut sicut regnávit. *Rom.* 5. *Ps.* 83.

LECTIO IX.

Cum ergo illum víderis serváre legem, cave offendáris, nec inter servos líberum cólloca, sed divíni consílii altitúdinem pótiùs mente réputa. Igitur cùm octáva dies advenisset quâ die carnis circumcísio ex legis præscripto fíeri solébat, nomen áccipit, nimírum Jesus, quod expónitur, Salus pópuli. Sic enim Deus et Pater nominári Fílium suum vóluit ex muliére secundùm carnem génitum. Tunc enim certè factus est salus pópuli; nec unius tantùm, sed multórum, quin et ómnium géntium, ac universæ terræ. Eódem ígitur témpore circumcísus est, et nomen accépit.

℟. Non est in álio áliquo salus; * Nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri. ℣. Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit; * Nec. Glória. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Act.* 4. *Joel* 2. — Te Deum.

℣. *Sacerd.* Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : ℟. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus. *Ps.* 95.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica ; Canticum de Nat. Domini, 252.

Ant 8. G. Angelus Dómini appáruit Joseph, dicens : Páriet María fílium, et vocábis nomen ejus, Jesum. *Matth.* 1.

Ant. 4. E. Non cognoscébat eam, donec péperit Fílium suum primogénitum. *Matth.* 1.

Ant. 1. f. Consummáti sunt dies octo ut circumciderétur Puer. *Luc.* 2.

Ant. 7. a. Vocátum est nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Angelo, priusquàm in útero conciperétur. *Luc.* 2.

Ant. 3. a. Omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. *Act.* 10.

Capitulum. (*Tit.* 2.)

SALVATOR noster Jesus Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, et mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum.

HYMNUS.

NOXIUM Christus simul introívit
Innocens orbem : Pater, inquit, adsum;
Víndices poscat (vénio parátus)
Ultio pœnas.

NON placet fusus cruor hostiárum :
Quod mihi aptasti, Pater, ecce corpus;
Agnus implébo móriens figúras
Verus inánes.

DIXIT : et Patris venerátus iram,
Sústinet vulnus sílicis cruentæ :
Et jugum legis subit ipse, servis
Ut juga demat.

JAM nihil carnem spoliáre prodest
Sed malas cordis resecáre fibras,
Hoc opus; tali novâ sanciuntur
Fœdera lege.

SUMMA laus Patri; simul æqua Nato,
Qui suo mundum rédimit cruóre :
Par sit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

℣. Apud Dóminum misericórdia, ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 129.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. *Dupl.* Cùm mórtui essétis in delictis, et præpútio carnis vestræ, convivificávit vos cum Christo, donans vobis ómnia delicta, allel. *Coloss.* 2.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui pro nobis homo factus, hodiernâ die circumcídi, et salvatóris nomen accípere voluisti : concéde propítius, ut carnis renuntiantes opéribus, salútis æternæ præmium per invocatiónem sancti tui nóminis consequámur; Qui vivis.

AD HORAS, *Ps. de Dom.*

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Angelus.

Non dicitur Symbolum Quicumque.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine.

CANON *proprius ad calcem.*

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Non cognoscébat.

Capitulum. (*Isaiæ* 62.)

Dicite fíliæ Sion : Ecce Salvátor tuus venit : ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. Et vocábunt eos, Pópulus sanctus, redempti à Dómino.

℟. *br.* Misit verbum suum, * et sanávit eos, * Allelúia, all. Misit. ℣. Et erípuit eos * de interitiónibus eórum, * Allel. Glória. Misit. *Ps.* 106.

℣. Ipse est Deus miséricors; ℟. Et propítius fiet peccátis eórum. *Ps.* 77.

AD SEXTAM.

Ant. 1. f. Consummáti sunt.

Capitulum. (*Ephes.* 1.)

Gratificavit nos Deus in dilecto Fílio suo in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secundùm divítias grátiæ ejus quæ superabundávit in nobis.

℟. *br.* Salvávit eos Dóminus * de manu odiéntium, * Allelúia, allelúia. Salvávit ℣. Et redémit eos * de manu inimíci, * Allelúia. Glória. Salvávit. *Ps.* 105.

℣. Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : ℟. Mementóte quóniam excelsum est nomen ejus. *Cant. Is.* 12.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Omnes Prophétæ.

Capitulum. (*Rom.* 10.)

Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi, et Græci : nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. *br.* Sperent in te * qui novérunt nomen tuum, * Allelúia, allelúia. Sperent. ℣. Quóniam non dereliquisti * quærentes te, Dómine, * Allelúia. Glória Patri. Sperent. *Ps.* 9.

℣. Propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos. ℟. Et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuùm. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Antiph. ut in die Natalis Domini, 254.

Capitulum. (*Coloss.* 1.

Omne quodcumque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agentes Deo et Patri per ipsum.

Allelúia, allelúia. ℣. Omnis quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Allelúia. *Act.* 2.

HYMNUS.

Victis sibi cognómina
Sumant tyranni géntibus :
Tu, Christe, quantò dígnius
Ab his capis quos líberas!
Non álterum mortálibus
Ægris quod ínvocent datum,

Resúrgerent quo mórtui,
Perenne per quod víverent.
TANTI quod illi cónstitit,
Toto quod emptum sángui-
ne,
Nostro-ne rursum crímine
Insána gens delébimus!
SACRO pati pro nómine,
Summi sit instar múneris:
Amára non mors ámpliùs,
Fit mors per hoc amábilis.
TU qui vocári sústines,
Jesu, salus mortálium,
Audi vocantes nos, tuo
Qui gloriámur nómine.
QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Salvávit eos propter nomen suum; ℟. Ut notam fáceret poténtiam suam. *Ps.* 105.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. *dupl.* Vitam æternam dedit nobis Deus: et hæc vita in Fílio ejus est, ut sciátis quóniam vitam habétis æternam, qui créditis in nómine Fílii Dei. 1. *Joan.* 5.

Collecta ut suprà ad Laudes.

[*In Ecclesiâ Cathedrali, fit Commemor. diei Octavæ sancti Stephani, ut in Proprio Sanctorum.*]

Per Diœcesim, fit Comm. sancti Basilii, ut notatur in Proprio Sanctorum.

| *Nec fit alia Commemoratio tio, etiamsi sit Sabbatum.*

Hodiè post VESPERAS, *ad Grates Deo referendas pro beneficiis receptis, et per Annum inchoandum novis postulandis, dicuntur sequentia.*

Psalm. Laudáte Dóminum omnes gentes, 135.

Ant. 5. c. Oráte Deum ómnium, qui magna fecit in omni terrâ, qui auxit dies nostros, et fecit nobiscum secundùm suam misericórdiam: det nobis jucunditátem cordis, et fíeri pacem in diébus nostris. *Eccli.* 50.

Capitulum. (*Gal.* 6.)

BONUM facientes non deficiámus; témpore enim suo metémus, non deficientes: ergò dum tempus habémus operémur bonum.

HYMNUS.

LAPSUS est annus; redit annus alter:
Vita sic mutis fugit acta pennis:
Tu, Deus, cursum moderáris unus
Arbiter ævi.
GENS tuis plaudit cumuláta donis,
Et tibi supplex nova dona poscit,
Rex quibus vivat; quibus et perennes
Regnet in annos.
SUPPLICES poscunt alimenta cives.
Finibus morbos pátriis repellas;
Longa secúræ réferas benignus
Commoda pacis.
POSTULANT culpas véniâ relaxes;

Limites arctos vítiis repónas;
Post graves pugnas, tua det sálubrem
Déxtera palmam.
Ad sacras aras, quibus obligémur,
Cum Deo fas sit renováre fœdus.
Tu, Dei nati Génitrix, adesto
Fœderis obses.
(*Strophe sequens flexis genibus cantatur.*)
Noxiæ vitæ máculas perósi,
Cor, Deus, nostrum tibi devovémus:
Da bonos annos, facilesque patris
Indue vultus.
Dum dies currunt, rédeunt et anni,
Et gradu certo sibi secla cedunt;
Débitas laudes Tríadi suprémæ
Cóncinat orbis. Amen.

℣. Propítius esto, Dómine, peccatis nostris. ℟. Propter nomen tuum. *Ps.* 78.

℣. Ora pro nobis sancta Dei génitrix; ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christí.

℣. Dómine, salvum fac Regem nostrum *N.* ℟. Et exaudi nos in die quà invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Dómine exaudi oratiónem meam; Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui vitæ humánæ dispáres vices moderáris sapiéntiâ, et benignitáte sanctíficas; dum exit et redit Annus, déxteram super Regem nostrum, et super nos extende propítiam; ut qui pro acceptis donis grátias ágimus, te miserante, et beátâ Fílii tui genitríce intercedente Maríâ, cum uberióribus auxíliis, pacem assequámur æternam; Per eumdem Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobiscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedícat vobis Dóminus, et custódiat vos; ostendat Dóminus fáciem suam vobis, et misereátur vestrî; convertat Dóminus vultum suum ad vos, et det vobis pacem. ℟. Amen. *Num.* 6.

Deindè Completorium *ut in die Natalis Domini.*

SABBATIS
ANTE DOMINICAS
A CIRCUMCIS. AD PRÆSENTAT. DOMINI.

(*Nisi prius occurrat Septuag.*)

IN VESPERIS.

Ant. 3. a. Christus Jesus factus est nobis sapiéntia à Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio. 1. *Cor.* 1.

Ant. 2. D. De plenitúdine ejus nos omnes accépi-

mus, et grátiam pro grátia. *Joan.* 1.

Ant. 8. G. Ille appáruit ut peccáta nostra tólleret, et peccátum in eo non est. 1. *Joan.* 3.

Ant. 5. a. Audívimus, et scimus quia hic est verè Salvátor mundi. *Joan.* 4.

Ant. 6. F. Quómodò nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem? *Heb.* 2.

Capitulum. (*Isaiæ* 48.)

In voce exultatiónis annuntiáte: audítum fácite hoc, et efferte illud usque ad extréma terræ. Dícite: Redémit Dóminus servum suum Jacob.

HYMNUS.

Verbum quod ante sécula
Sinu Paterno násceris,
Recens homo sub témpore
E Vírginis prodis sinu.
Fatale rumpis vínculum,
Quo nos Adámus néxuit:
Reddes quod ille pérdidit:
Spes illa tecum náscitur.
Jam dura discis pérpeti
Quæ ferre par sontes fuit:
Orbis salúti, flétibus
Prælúdis in cunis puer.
Fis pauper, indigéntiâ
Et nos tuâ ditéscimus:
Luges, tuis et lácrymis
Totum lavas mundi scelus.
Pannis opertus vílibus
Lates, recumbens in specu:
Homo, superbis! et Deum
Panni, specus non dédecent.
A Patre missus, pérditi
Qui factus es mundi salus,
Jesu, perire non sinas
Tot quos emis labóribus.
Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Vidérunt omnes términi terræ ℟. Salutáre Dei nostri. *Ps.* 97.

Ad Magníficat, *Antiph. et Collecta, ut infrà in quolibet Sabbato.*

Ad Completorium, *Ant. et Psalmi ut in Psalterio. Cetera ut in Ordinario.*

DOMINICIS

A CIRCUMCIS. AD PRÆSENTAT. DOMINI.

(*Nisi priùs occurrat Septuag.*)

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Fac, Christe nostrî grátiâ
Defuncte tot labóribus,
Ut mente gratâ, sic piis
Hos prædicári cántibus.
Castæ parentis in sinu
Inclúsus ardébas pati:
Æternus ut discas mori,
Mortále corpus índuis.
Vix natus, imbellis puer,
Acúta sentis frígora;
En vile pro molli thoro
Fœnum tibi suppónitur.
Amore te facis reum:
Fers sponte pœnas innocens:

Nec éximis te légibus,
Suprémus ipse légifer.

Qui primus excísâ cruor
E parte stillat córporis,
Membris micans ex ómnibus,
Torrentis instar próruet.

Qui mucro lactentes necat,
Idem tuum pectus fodit;
Et quo cadébant párvuli,
Hoc tu cadébas vúlnere.

Exul Deus promptà fugâ
Tuæ salúti cónsulis;
Intras Pharon verax Deus,
Mistus diis mendácibus.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I.o NOCTURNO.

Ant. 1. a. Deus ex sémine David, secundùm promissiónem éduxit Israel Salvatórem Jesum. *Act.* 13.

Ant. 2. D. In útero habens de Spiritu sancto, péperit María Fílium suum primogénitum. *Matth.* 1.

Ant. 8. G. Ipse est pax nostra, solvens inimicítias in carne sua, ut reconcíliet Deo. *Ephes.* 2.

℣. Dóminus dixit ad me: Fílius meus et tu; ℟. Ego hódie génui te. *Ps.* 2.

Lectiones et ℟℟℟. *ut infrà in qualibet Dominica.*

IN II.o NOCTURNO.

Ant. 7. d. Grátias Deo qui nos tránstulit in regnum Filii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem, remissiónem peccatórum. *Coloss.* 1.

Ant. 4. f. In ipso cóndita sunt universa; et ipse est ante omnes, et ómnia in ipso constant. Complácuit per eum reconciliáre ómnia in ipsum. *Coloss.* 1.

Ant. 3. a Sicut accepistis Jesum Christum, in ipso ambuláte; quia in ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter. *Coloss.* 2.

℣. Unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ, ℟. Præ consórtibus tuis. *Ps.* 44.

Lectiones et ℟℟℟. *ut infrà in qualibet Dominica.*

IN III.o NOCTURNO.

Ant. 6. F. Deus Fílium misit benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque à nequítia sua. *Act.* 3.

Ant. 5. a. Hic est lapis qui factus est in caput anguli; et non est in álio áliquo salus. *Act.* 4.

Ant. 3. c. Vobis honor credéntibus; non credéntibus autem factus est lapsis offensiónis et petra scándali. 1. *Petr.* 2.

℣. A Dómino factum est istud: ℟. Et est mirábile in óculis nostris. *Ps.* 117.

Lectiones et ℟℟℟. *ut infra, in qualibet Dominica.*

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Filii Sion exul-

tent in rege suo : ℟. Laudent nomen ejus in choro. *Ps.* 149.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 5. C. Venit Fílius hóminis quærere et salvum fácere quod períerat. *Luc.* 19.

Ant. 2. D. In própria venit, et suí éum non recepérunt. *Joan.* 1.

Ant. 1. a. Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine ejus. *Joan.* 1.

Ant. 7. d. Non confúnditur fratres eos vocáre, dicens : Nuntiábo nomen tuum frátribus meis. *Heb.* 2.

Ant. 8. c. Partícipes Christi effecti sumus : si tamen inítium substántiæ ejus usque ad finem firmum retineámus. *Hebr.* 3.

Capitulum. (*Ephes.* 4.)

Occurramus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei; in virum perfectum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi; ut jam non simus párvuli fluctuantes, et circumferámur omni vento doctrínæ.

HYMNUS.

Divine, crescébas, Puer;
Crescendo discébas mori :
Hæc destináta tunc erant
Mortis tuæ prælúdia.

Satus Deo, volens tegi,
Elégit obscúrum patrem :
Qui fecit æternas domos,
Domo latet sub páupere.

Cœlum manus quæ sústinent,
Fabríle contrectant opus;
Suprémus astrórum Parens
Fit ipse vilis ártifex.

Tremenda cujus præpetes
Mandáta portant Spíritus,
Cui pronus orbis súbditur,
Se sponte fabro subjícit.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Intende, próspere procéde; ℟. Et regna propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. *Ps.* 44.

Ad Benedictus, *Ant. et Collecta infrà, in qualibet Dominica.*

Deinde à die 2 januarii in diœcesi, et à die 3 in Cathedrali, usque ad Præsentationem Domini, exceptis Festis Annualibus et Solemnibus, ac eorum Octavis, et nisi fiat de Beata in Sabbato, fit Commem. de Virgine Deipara per Ant. ℣. et Collecta ut sequitur.

Ant. Péperit María Fílium suum primogénitum, et pannis eum involvit, et reclinávit eum in præsépio. *Luc.* 2.

℣. Homo natus est in ea; ℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus. *Ps.* 86.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui salútis æternæ beátæ Maríæ Virginitáte fœ-

cundà, humáno generi præmia præstitisti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam méruimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

AD PRIMAM.

Ant. 5. C. Venit.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matt.* 1.

Canon, *ut habetur ad calcem.*

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. In própria venit.

Capitulum. (*Jerem.* 14.)

Expectatio Israel Salvátor ejus in témpore tribulatiónis, quare quasi colónus futúrus es in terra, et quasi viátor declínans ad manendum? Quare futúrus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salváre?

Ante Epiphaniam, sequens ℟. *cantatur cum duplici* Allelúia *in fine; et sic ad Sextam et Nonam.*

℟. *br.* Salvábis me, Dómine, * A contradictiónibus pópuli mei. Salvábis. ℣. Custódies me * in caput géntium, * A contradictiónibus. Glória Patri. Salvábis. 2. *Reg.* 22.

℣. Tu, Dómine, susceptor meus es; ℟. Glória mea, et exaltans caput meum. *Ps.* 3.

Collecta, ut infrà in qualibet Dominica, nisi aliter notetur.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. Quotquot.

Capitulum. (*Ephes.* 1.)

Prædestinavit nos Deus in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propósitum voluntátis suæ in laudem glóriæ grátiæ suæ.

℟. *br.* Ipse invocábit me: * Pater meus es tu. Ipse. ℣. Deus meus, * et susceptor salútis meæ. * Pater. Glória Patri. Ipse.

℣. Ego primogénitum ponam illum ℟. Excelsum præ régibus terræ. *Ps.* 88.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Partícipes.

Capitulum. (1. *Cor.* 15.)

Primus homo de terra, terrénus: secundus homo de cœlo, cœlestis: qualis terrénus, tales et terréni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur sicut portávimus imáginem terréni, portémus et imáginem cœlestis.

℟. *br.* Exultávit ut gigas * Ad currendam viam. Exultávit. ℣. A summo cœlo * egréssio ejus, * Ad. Glória Patri. Exultávit.

℣. Occursus ejus usque ad summum ejus; ℟. Nec est qui se abscondat à calóre ejus. *Ps.* 18.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica.

Ant. 8. *G.* Non misit Deus

Fílium suum in mundum, est júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. *Joan.* 3.

Ant. 5. C. Quem misit Deus, verba Dei lóquitur; non enim ad mensúram dat Deus Spíritum. *Joan.* 3.

Ant. 4. E. Pater díligit Fílium, et ómnia dedit in manu ejus. *Joan.* 3.

Ant. 7. d. Quæcumque Pater fécerit, hæc et Fílius simíliter facit; Pater enim ómnia demonstrat ei quæ ipse facit. *Joan.* 5.

Ant. 2. D. Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam. *Joan.* 5.

Capitulum. (*Act.* 10.)

Verbum misit Deus fíliis Israel, annúntians pacem per Jesum Christum : hic est ómnium Dóminus.

HYMNUS.

Christus tenébris óbsitam
Lustrando Judæam docet :
Gens obstináto péctore
Christum docentem réspuit.

Sese Deum signis probat:
Surgunt sepulcris córpora;
Erepta muto vox redit,
Claudo gradus, cæco dies.

Gens dura, flecti néscia,
Aures sacris sermónibus
Obtúrat; et solem fugit,
Amóre noctis pérdita.

Nos lumen ambímus, Patris
In quo refulget cláritas :
Ne méntibus subrépere
Tetram sinas calíginem.

Nunquam recédas à piis,
Lux sempiterna, córdibus;
Te veritáte fúlgeant,
Te caritáte férveant.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Tu es ipse rex meus et Deus meus, ℟. Qui mandas salútes Jacob. *Ps.* 43.

Ad Magníficat, *Ant. et Collecta infrà, in qualibet Dominica.*

Deinde fit Commem. de Virgine Deipara, ut dictum est in Laudibus, per Ant. ℣. *et Collectam ut sequitur :*

Ant. Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxisti. Quinimmò, beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud. *Luc.* 11.

℣. Benedixisti, Dómine, terram tuam : ℟. Avertisti captivitátem Jacob. *Ps.* 84.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ Virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præstitisti : tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam méruimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, *etc.*

Ad Completorium, *Ant. et Psalmi ut in Psalterio.*

Cetera ut in Ordinario.

DOMINICA
INTER CIRCUMCISIONEM
ET EPIPHANIAM.

[*Si hæc Dominica incidat in diem 2, 3, vel 4 Januarii, fiet Officium de ea, cum Commemoratione Sanctorum occurrentium.*

Si verò venerit die 5, in Vigilia Epiphaniæ, Officium fiet ut eo die notatur, infrà.

Si nulla occurrat Dominica, omittitur hoc Officium.]

Pridie AD VESPERAS, *Psalmi de Sabbato; Ant. Capitulum et Hymnus, ut suprà*, 277, *et seq.*

℣. Vidérunt omnes términi terræ ℟. Salutáre Dei nostri. *Ps.* 97.

Ad Magnificat, *Ant.* 1. g. Ascendet Dóminus super nubem levem, et ingrediétur Ægyptum; et commovebuntur simulácra Ægypti à fácie ejus. *Is.* 19.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM, *Antiph. et Psalmi de Sabbato. Cetera ut in Ordinario.*

AD OFFIC. NOCTURNUM,
ET AD CETERAS HORAS.

Omnia ut suprà in Dominicis à Circumcisione ad Præsentationem, 278, *exceptis quæ sequuntur.*

IN I.° NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente, secundùm diem Mensis, divisionibus factis ad ** Asteriscos.*

Post I Lect. ℟. Ego constitútus sum à Deo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu; ego hódie génui te. ℣. Cui Deus dixit aliquando Angelórum: Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Fílium? * Fílius meus es tu. *Ps.* 2. *Hebr.* c. 1.

Post II Lect. ℟. Dómine, quid est homo, quòd memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? * Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ et honóre coronasti eum, et constituisti eum super ópera mánuum tuárum. ℣. Eum qui módicò quàm Angeli minorátus est, vidémus Jesum: * Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ et honóre coronasti eum. *Ps.* 8. *Hebr.* 2.

Post III Lect. ℟. Tu es, Dómine, qui extraxisti me de ventre; * Spes mea ab ubéribus matris meæ: † Narrábo nomen tuum frátribus meis. ℣. Non confúnditur, dicens: Ego ero fidens in eum. Et íterum: Ecce ego, et púeri mei, quos dedit mihi Deus; * Spes mea ab ubéribus. Glória Patri. † Narrábo nomen tuum frátribus meis. *Ps.* 21. *Hebr.* 2.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Luc. L. 2, n. 40.)

Breviter sanctus Lucas, et quo modo, et quo témpore, et quo loco, secundùm carnem Christus natus sit, explicávit. At verò de cœlesti generatióne si quæris, lege Evangélium sancti Joannis, qui à cœléstibus exorsus, ad terréna descendit. In princípio, inquit, erat Verbum: habes quando erat. Et Verbum erat apud Deum: habes quómodò erat. Habes étiam quid erat: Et Deus, inquit, erat Verbum. Quid égerat? Omnia per ipsum facta sunt. Quid agébat? Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum. Et ubi erat? In hoc mundo erat. Quò vénerit? In sua própria venit. Quómodò vénerit? Verbum caro factum est. Quà causà vénerit, Joannes ipse testátur: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.

℟. Sit nomen Dómini benedictum in sécula: * Ante solem pérmanet nomen ejus; et benedicentur in ipso omnes tribus terræ. ℣. Ipse est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ: * Ante solem permanet. *Ps.* 71. *Coloss.* 1.

LECTIO V.

(N. 41.)

Ille párvulus, ille infántulus fuit, ut tu vir possis esse perfectus. Ille involútus in pannis, ut tu mortis láqueis sis absolútus. Ille in præsépibus, ut tu in altáribus. Ille in terris, ut tu in cœlis. Ille álium locum in eo diversório non habébat, ut tu plures habéres in cœléstibus sédibus mansiónes. Qui cùm dives, inquit, esset, propter vos pauper factus est, ut illíus inópià vos ditaréminì.

℟. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, et omnes reges terræ glóriam tuam; * Quia Dóminus respexit in oratiónem humílium, et non sprevit precem eórum. ℣. Scitis grátiam Dómini nostri Jesu Christi, quóniam propter vos egénus factus est, cùm esset dives; * Quia. *Ps.* 101. 2. *Cor.* 8.

LECTIO VI.

(N. 41 et 42.)

Meum ergo paupertas illa patrimónium est; et infírmitas Dómini mea est virtus. Máluit sibi egére, ut ómnibus abundárem. Me illíus infántiæ vagientis ábluunt fletus; mea lácrymæ illæ delicta lavérunt. Plus ígitur, Dómine Jesu, injúriis tuis débeo quòd re-

demptus sum, quàm opéribus quòd creátus sum. Non prodesset nasci, nisi rédimi profuisset. Sed nemo intrà usum córporis formam omnem divinitátis inclúdat. Alia natúra carnis est, ália divinitátis glória. Propter te infírmitas, in se poténtia: propter te inópia, in se opuléntia. Noli hoc æstimáre quod cernis, sed quòd redímeris agnosce.

℟. Oculi mei, Dómine, languérunt; clamávi ad te totà die: * Pauper sum ego, et in labóribus à juventúte mea. ℣. Vulpes fóveas habent, et vólucres cœli nidos: Fílius autem hóminis non habet ubi caput reclínet. * Pauper. Glória. * Pauper. *Ps.* 87. *Matth.* 8.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundum Matthæum.

(Cap. 2.)

In illo témpore; Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, áccipe Púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 8, in cap. 2 Matth.)

Nos scrutári dignum est cur non et Magi præsentes salventur, et puer; sed illi quidem in Pérsidem revertantur, hic autem cum matre in Ægyptum transfúgiat, cùm multò pótius fuisse videátur in manus eum Heródis incídere, nec tamen, cùm incidisset, intérfici, sed claro prorsus divinitátis auxílio vindicári. Verùm hoc modo rebus implétis, créditum non fuisset verè illum suscepisse carnem, tantíque hódie mystérii sacramenta nutárent.

℟. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et * Esto ibi usque dum dicam tibi. ℣. Descende in Ægyptum: ego descendam tecum illuc, et inde addúcam te reverténtem. * Esto. *Matth.* 2. *Gen.* 46.

LECTIO VIII.

Magos verò celériter emittit, simul et Persárum regióni mittens magistros, et inefficácem reddens furórem tyranni; ut discat se impossibília molíri, et conceptam extinguat iram, seque ab stúdio vani labóris abdúcat. Est autem divinitátis virtúte dignum, non modò apertè contérere inimícos, verùm étiam cum omni illos facilitáte decípere.

℟. Consíderat peccátor justum, et quærit mortificáre eum; * Dóminus au-

tem non derelinquet eum in mánibus ejus. ℣. Futúrum est ut Heródes quærat Púerum ad perdendum eum : * Dóminus autem non. *Ps.* 36. *Matth.* 2.

LECTIO IX.

Et cujus tandem, inquies, rei grátiâ in Ægyptum párvulus míttitur? Prima quidem illa causa est, quam Evangelista signávit, ut implerétur, inquit, quod scriptum est : Ex Ægypto vocávi Fílium meum. Simul étiam toti orbi denuntiantur óptimæ spei in pósterum procemia. Quia enim Bábylon atque Ægyptus præ ómnibus terris flammâ impietátis ardébant, et ab ipsis statim princípiis ostendit quòd utramque emendatúrus esset, et igne pótiùs fídei succensúrus; ex his útique persuádens étiam de áliis mundi pártibus speranda esse melióra. Nam Pérsidi quidem Magos remittit, ipse verò cum matre in Ægyptum descendit.

℟. Consurgens nocte * Joseph accépit Púerum, et matrem ejus, et † Secessit in Ægyptum. ℣. Pertransiérunt ad pópulum álterum : non relíquit Deus hóminem nocére eis. * Joseph. Glória. † Secessit. *Matth.* 2. *Ps.* 104.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Fílii Sion exultent in Rege suo : ℟. Laudent nomen ejus in choro. *Ps.* 149.

AD LAUDES.

Ant. Capitulum et Hymnus, ut suprà, 280.

℣. Intende, prósperè procéde; ℟. Et regna propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. *Ps.* 44.

Ad Benedictus, *Ant* 5. C. Erat Joseph in Ægypto usque ad óbitum Heródis. *Matth.* 2.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui in Unigénito tuo novam creatúram nos tibi esse fecisti : custódi ópera misericórdiæ tuæ, et ab ómnibus nos máculis vetustátis emunda; ut per auxílium grátiæ tuæ, in illíus inveniámur forma, in quo tecum est nostra substántia; Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritùs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

Post Commem. occurrentes, fit Commem. de Virgine Deipara, ut suprà, 280.

Ad horas, *omnia dicuntur ut in Dominicis à Circumcisione, suprà,* 281.

Canon, *ad calcem, secundùm diem Mensis.*

AD VESPERAS.

Ant. Capitulum et Hymnus, ut supra, 281, 282.

℣. Tu es ipse rex meus, et Deus meus, ℟. Qui mandas salútes Jacob. *Ps.* 43.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Dictum est à Dómino per Prophétam : Ex Ægypto vocávi Fílium meum. *Matt. c.* 2.

Cóllecta *ut suprà ad Laudes.*

Post Commem. occurrentes, fit Commem. de Virgine Deipara, ut suprà, 282.

Ad Completorium, *Ant. et Psalmi de Dominica. Cetera ut in Ordinario.*

DIE II JANUARII.

[*In Ecclesia Cathedrali, fit de Die Octava S. Stephani, ut in Proprio Sanctorum : Lectio I de Scriptura occurrente ut sequitur ; quæ, si sit Dominica, dividitur ad Asteriscos.*]

Per Diœcesim, fit de S. Basilio, ut in Proprio Sanctorum, cum prima Lectione, ut sequitur.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstóli ad Romános.

(Cap. 5.)

Justificati ergo ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem et habémus accessum per fidem in grátiam istam in qua stamus, et gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. Non solùm autem, sed et gloriámur in tribulatiónibus ; scientes quòd tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò spem : spes autem non confundit; quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum qui datus est nobis. * Ut quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essémus, secundùm tempus pro ímpiis mórtuus est? Vix enim pro justo quis móritur : nam pro bono fórsitan quis áudeat mori? Commendat autem caritátem suam Deus in nobis ; quóniam, cùm adhuc peccatóres essémus, secundùm tempus Christus pro nobis mórtuus est : multò ígitur magis nunc justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. ** Si enim cùm inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus ; multò magis reconciliáti, salvi érimus in vita ipsíus. Non solùm autem, sed et glóriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus. Proptéreà sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, et per peccátum mors ; et ita in omnes hómines mors pértransívit, in quo omnes peccavérunt.

DIE III JANUARII.

In Cathedrali fit de S. Basilio, ut in Proprio SS.

Per Diœcesim, fit de sancta Genovefa ut in Proprio SS.

*Lectio Scripturæ, ut sequitur. Quæ Lectio, si sit Dominica, in tres dividitur ad ** Astericos.*

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 6.)

Exhibete vos Deo tanquam ex mórtuis viventes; et membra vestra arma justítiæ Deo. Peccátum enim vobis non dominábitur; non enim sub lege estis, sed sub grátia. Quid ergo? peccábimus, quóniam non sumus sub lege, sed sub grátia? Absit. Nescítis quóniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obedítis, sive peccáti ad mortem, sive obeditiónis ad justitiam? Grátias autem Deo, quòd fuistis servi peccáti, obedistis autem ex corde in eam formam doctrínæ in quam tráditi estis. * Liberati autem à peccáto, servi facti estis justitiæ. Humánum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut exhibuistis membra vestra servíre immundítiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. ** Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justítiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubéscitis? Nam finis illórum mors est. Nunc verò liberáti à peccáto, servi autem facti Deo, habétis fructum vestrum in sanctificatiónem, finem verò vitam æternam. Stipéndia enim peccáti, mors. Grátia autem Dei, vita æterna in Christo Jesu Dómino nostro.

DIE IV JANUARII.

*Fit de S. Simeone Stylita, ut in Proprio Sanctorum. Lectio Scripturæ ut sequitur; quæ, si sit Dominica, dividitur ad ** Asteriscos.*

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 7.)

Itaque lex quidem sancta, et mandátum sanctum, et justum, et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccátum, ut appáreat peccátum, per bonum operátum est mihi mortem: ut fiat supra modum peccans peccatum per mandátum. * Scimus enim quia lex spiritualis est; ego autem carnalis sum, venúmdatus sub peccáto. Quod enim óperor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego óperor illud, sed quod habitat in

me peccátum. Scio enim quia non hábitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle ádjacet mihi; perfícere autem bonum, non invénio. Non enim quod volo bonum, hoc fácio; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud fácio, jam non ego óperor illud, sed quod hábitat in me peccátum. ** Invénio igitur legem volenti mihi fácere bonum, quóniam mihi malum ádjacet: condelector enim legi Dei secundùm interiórem hóminem; vídeo autem áliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccáti, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberábit de córpore mortis hujus? Grátia Dei per Jesum Christum Dóminum nostrum. Igitur ego ipse mente sérvio legi Dei, carne autem legi peccáti.

DIE V JANUARII.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

Si hæc Vigilia occurrat in Dominica, Officium fit ut notatur suprà in Dominicis à Circumcisione, 278, exceptis quæ sequuntur.

In I. Noct. *Tres Lectiones sumuntur de Epistola ad Romanos, ut infrà; et è duabus fiunt tres, divisionibus factis ad**. Asteriscos.* ℟℟℟. *ut suprà,* 283.

In II Noct. *Tres Lectiones et* ℟℟℟. *ut suprà,* 284.

IN III.° NOCTURNO.

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine; ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Ps.* 101.

Tres Lectiones infrà, divisione factâ, pro octava Lectione, ad Asteriscum.*

℟. VII. Terra Zabúlon, *sine* Glória Patri, *infrà,* 291.

℟. VIII. Dóminus dixit, *infra,* 290.

℟. IX. Ecce, *cum* Glória, 290.

Reliqua ut in Officio Vigiliæ.

Si autem Vigilia ista occurrat in Feriis, Officium fit ut sequitur.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Simplex.

INVITATORIUM.

Dominus rex magnus super omnem terram: * Veníte, adorémus. *Ps.* 46.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Fac, Christe, 278. *Psalmi et Ant. de Psalt.*

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine; ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Ps.* 101.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 8.)

Nihil ergo nunc damnatió-

nis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ámbulant. Lex enim spíritûs vitæ in Christo Jesu liberávit me à lege peccáti et mortis. Nam quod impossíbile erat legi, in quo infirmabátur per carnem; Deus Fílium suum mittens in similitúdinem carnis peccáti, et de peccáto damnávit peccátum in carne; ut justificátio legis implerétur in nobis qui non secundùm carnem ambulámus, sed secundùm spíritum. * Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sápiunt; qui verò secundùm spíritum sunt, quæ sunt spíritûs séntiunt. Nam prudéntia carnis, mors est; prudéntia autem spíritûs, vita et pax.

℟. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu. * Póstula à me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, et possessiónem tuam términos terræ. ℣. Sic præcépit Dóminus: Pósui te in lucem géntium, ut sis in salútem usque ad extrémum terræ. * Póstula à me. *Ps.* 2. *Act.* 13.

LECTIO II.

Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spíritu; si tamen Spíritus Dei hábitat in vobis. Si quis autem Spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mórtuum est propter peccátum, spíritus verò vivit propter justificatiónem. * Quòd si Spíritus ejus qui suscitávit Jesum à mórtuis, hábitat in vobis; qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit et mortália córpora vestra propter inhabitantem Spíritum ejus in vobis. Ergo, fratres, debitóres sumus non carni, ut secundùm carnem vivámus. Si enim secundùm carnem vixéritis, moriémini; si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicumque enim Spíritu Dei aguntur, ii sunt fílii Dei. Non enim accepistis spíritum servitútis íterùm in timóre, sed accepistis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba, Pater. Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro quòd sumus fílii Dei.

℟. Ecce electus meus, dicit Dóminus, complácuit sibi in illo ánima mea: dedi Spíritum meum super eum. * Judícium géntibus próferet; et legem ejus ínsulæ expectábunt. ℣. Notum sit vobis quóniam Géntibus missum est hoc salutáre Dei et ipsi áudient. * Judícium. *Is.* 42. *Act.* 28.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 2.)

In illo témpore; Defuncto

Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(Comment. in Matth. cap. 2.)

Mortuo Heróde, Joseph per Angelum monétur ut in Judæam cum Púero et matre ipsíus rédeat. Et revertens, cùm Archeláum Heródis fílium regnáre audisset, tímuit eò veníre; et per Angelum monétur ut in Galilæam tránseat, et in regiónis ejus civitáte Názareth inhábitet. Reverti ergo ad Judæam monétur, et reversus timet. Et rursum visu admónitus, transíre ad regiónem Géntium jubétur. Sed aut timére eum qui admónitus sit, non opórtuit, aut per Angelum deferri admonítio mox mutanda non débuit. Verùm typica rátio serváta est. * Joseph enim Apostolórum habet spéciem, quibus Christus circumferendus est créditus. Hi, tanquam Heróde mórtuo, id est, pópulo ejus et regno in passióne Dómini depérdito, Judæis prædicáre sunt jussi; missi enim erant ad oves pérditas domûs Israel : sed manente hæreditáriæ infidelitátis dominátu, métuunt et recédunt. Admóniti per visum, sancti scílicet Spíritûs donum in Géntibus contemplantes, ad eas tránsferunt Christum, Judææ missum, sed vitam et salútem Géntium nuncupátum.

℞. Terra Zabúlon et terra Néphthali, via maris trans Jordánem Galilææ géntium : * Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam. ℣. Consurgens Joseph accépit Púerum et matrem ejus, et venit in terram Israel; et admónitus in somnis, secessit in partes Galilææ. * Pópulus. [*Cùm Offic. fit in Feriis*, Glória. * Populus.] *Is.* 9. *Matt.* 2.

℞. Ecce, *cum* Glória, 290. Te Deum.

℣. *Sacerd.* Omnes gentes, pláudite mánibus : ℞. Jubiláte Deo in voce exultatiónis. *Ps.* 46.

AD LAUDES.

Semiduplex.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. g. Magnificábor, et sanctificábor, et notus ero in óculis multárum géntium; et scient quia ego Dóminus. *Ezech.* 38.

Ant. 2. D. Vénient ab extrémis terræ, et dicent : Verè mendácium possedérunt patres nostri, vanitátem quæ eis non prófuit. *Jerem.* 16.

Ant. 6. *C.* Incurvábitur sublímitas hóminum, et elevábitur Dóminus solus in die illa, et idóla pénitùs conterentur. *Is.* 2.

CANTICUM.

(Isaiæ. 55.)

INCLINATE aurem vestram* et veníte ad me :

Audíte, et vivet ánima vestra; * fériam vobiscum pactum sempiternum, misericórdias David fidéles.

Ecce testem pópulis dedi eum *, ducem ac præceptórem géntibus.

Ecce gentem, quam nesciébas vocábis : et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current, * propter Dóminum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificávit te.

Ant. 8. *G.* Reddam pópulis lábium electum, ut invocent omnes in nómine Dómini, et sérviant ei húmero uno. *Sophon.* 3.

Ant. 4. E. Mihi flectétur omne genu; et omnis lingua confitébitur Deo, allelúia. *Rom.* 14.

Capitulum. (*Zach.* 2.)

APPLICABUNTUR gentes multæ ad Dóminum in die illa, et erunt mihi in pópulum; et habitábo in médio tuî : et scies quia Dóminus exercítuum misit me ad te.

Hymnus, Divíne, crescébas, puer, 280.

℣. Tu es Deus qui facis mirabília; ℟. Notam fecisti in pópulis virtútem tuam. *Ps.* 76.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Véniens Joseph habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth; ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas : Quóniam Nazaræus vocábitur. *Matth.* 2.

COLLECTA. Orémus.

CORDA nostra, quæsumus, Dómine, ventùræ festivitátis splendor illustret; quo mundi hujus ténebris càrére valeámus, et pervenire ad pátriam claritátis æternæ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitále.

Deinde fit Commem. de Virgine Deipara, ut suprà, 280.

AD HORAS.

Duplex-Minus.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Magnificábor.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matt.* 1.

CANON *proprius*, *ad calcem.*

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Vénient.

Capitulum. (*Isaiæ.* 65.)

QUÆSIERUNT me qui antè non interrogábant : invenérunt qui non quæsiérunt me. Dixi : Ecce ego, ecce ego ad Gentem quæ non invocábat nomen meum.

℟. *br.* Pópulus quem ignóro, * sérviet mihi, *

Allelúia, allelúia. Pópulus. ℣. Audítu auris * obédient mihi, * Allelúia. Glória Patri. Pópulus quem ignóro.

℣. Confitébor tibi, Dómine, in géntibus, ℟. Et nómini tuo cantábo. *Cant.* 2. *Reg.* 22.

AD SEXTAM.

Ant. 6. *C.* Incurvábitur.

Capitulum. (*Apoc.* 15.)

Quis non timébit te, Dómine, et magnificábit nomen tuum? quia solus pius es; quóniam omnes gentes vénient, et adorábunt in conspectu tuo.

℟. *br.* Benedicentur in ipso * omnes tribus terræ, * Allelúia, allelúia. Benedicentur. ℣ Omnes gentes * magnificábunt eum, * Allelúia. Glória. Benedicentur. *Ps.* 71.

℣. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Ps.* 144.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Mihi.

Capitulum. (*Sophon.* 2.)

Attenuabit Dóminus omnes deos terræ; et adorábunt eum viri de loco suo, omnes ínsulæ géntium.

℟. *br.* Adorábunt eum * omnes reges terræ, * Alléluia, allelúia. Adorábunt eum. ℣. Omnes gentes * sérvient ei,* Allelúia. Glória Patri. Adorábunt. *Ps* 71.

℣. Dómini est regnum; ℟. Et ipse dominábitur géntium. *Ps.* 21.

DIE VI JANUARII.

IN EPIPHANIA DOMINI.

ANNUALE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. D. Ecce ego declinábo super Jerúsalem quasi flúvium pacis, et quasi torrentem inundantem glóriam géntium. *Is.* 66.

Ant. 2. D. Quómodò ponam te in fílios, et tríbuam tibi hæreditátem præcláram exercítuum Géntium? *Jerem.* 3.

Ant. 3. a. Exurge, et vide collectos fílios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo Sancti, gaudentes Dei memóriâ. *Baruch* 5.

Ant. 5. a. Diláta locum tentórii tui; ad déxteram enim et ad lævam penetrábis : et semen tuum gentes hæreditábit. *Is.* 54.

Ant. 6. F. Vidébis, et áfflues; et mirábitur et dilatábitur cor tuum, quando conversa fúerit ad te fortitúdo géntium. *Is.* 60.

Capitulum. (*Rom.* 15.)

Erit radix Jesse, et qui exurget régere gentes : in eum gentes sperábunt.

℞. Salutáre tuum parasti, Deus, ante fáciem ómnium populórum, * Lumen ad revelatiónem géntium, et glóriam plebis tuæ Israel. ℣. Vidébunt gentes Justum tuum, et cuncti reges Inclytum tuum : * Lumen Glória. * Lumen. ℞. *repet. usque ad* ℣. *Luc.* 2. *Is.* 62.

HYMNUS.

Quæ stella sole púlchrior
Coruscat? hæc Regis novi
Revélat ortus : hæc Dei
Præsignat ad cunas iter.

Stat vátibus priscis fides;
En stella surgit ex Jacob :
Arrectus ad spectáculum
Eóus orbis émicat.

Dum sidus ádmonet foris,
Lux fulget intùs clárior,
Suadetque vi blandâ magos
Signi datórem quærere.

Segnes amor nescit moras :
Labor, pericla, nil movent :
Domum, propinquos, pátriam,
Deo vocante, déserunt.

Micante dum nos állicis,
O Christe, stellâ grátiæ;
Ne tarda cœlesti sinas
Obstáre corda lúmini.

Qui lumen est, sit laus Patri;
Qui se revélat Géntibus,
Sit laus perennis Fílio :
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.



TOUSSAINT

℣. Annuntiábunt cœli justítiam Dómini ℟. Pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus. *Ps.* 21.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. *dupl.* Cívitas Dei, luce spléndidâ fulgébis : natiónes ex longinquo ad te vénient; et múnera deferentes, adorábunt in te Dóminum. *Tob.* 13.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. a. Illumináre, Jerúsalem; quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est. *Is.* 60.

Hymnus, Mundi salus, 166, *cum Doxologia sequenti, quæ dicitur per Octavam ad omnes Horas in fine Hymnorum ejusdem metri* :

Qui te revélas Géntibus,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 7. c. Ego Dóminus dedi te in fœdus pópuli, in lucem Géntium, allelúia. *Is.* 42.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Dictis secretò Pater, Ave, Credo, *inchoatur absolutè ut sequitur.*

IN I.° NOCTURNO.

In Ps. 28. Afferte, 137. *Ant.* 7. d. Afferte Dómino, fílii Dei; afferte Dómino glóriam et honórem : adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

In Ps. 45. Deus noster refúgium, 139.

* *Ant.* 3. a. Vidéte quóniam ego sum Deus : exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

In Ps. 46. Omnes gentes, 40.

Ant. 2. D. Psállite Deo nostro, psállite : psállite Regi nostro, psállite; quóniam rex omnis terræ Deus.

℣. Adórabunt in conspectu ejus universæ famíliæ géntium; ℟. Quóniam Dómini est regnum. *Ps.* 21.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 55.)

Omnes sitientes, veníte ad aquas : et qui non habétis argentum, properáte, émite et comédite; veníte, émite absque argento et absque ulla commutatióne vinum et lac. Quare appénditis argentum non in pánibus, et labórem vestrum non in saturitáte? Audíte audientes me, et comédite bonum; et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra; et fériam vobiscum paetum sempiternum, misericórdias David fideles. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptó-

rem Géntibus. Ecce Gentem quam nesciébas, vocábis; et Gentes quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et Sanctum Israel, quia glorificávit te.

℟. Viri sublímes ad te transíbunt, et * Tui erunt: te adorábunt, teque deprecabuntur. Tantùm in te est Deus, et non est absque te Deus. ℣. Est repromíssio ómnibus qui longè sunt, quoscumque advocáverit Dóminus Deus noster. * Tui erunt. Glória. * Tui erunt. *Is.* 45. *Act.* 2.

LECTIO II.

(Cap. 60.)

Surge, illumináre, Jerúsalem; quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérient terram, et calígo pópulos: super te autem oriétur Dóminus, et glória ejus in te vidébitur. Et ambulábunt Gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortûs tui. Leva in circúitu óculos tuos, et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi: fílii tui de longè vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent. Tunc vidébis, et áfflues, et mirábitur et dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo Géntium vénerit tibi. Inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian et Epha: omnes de Saba vénient, aurum et thus deferentes, et laudem Dómino annuntiantes.

℟. Vénient pópuli multi et gentes robustæ, * Ad quærendum Dóminum exercítuum in Jerúsalem, et deprecandam fáciem Dómini. ℣. Vénient ab Oriente, et Occidente, et Aquilóne, et Austro, * Ad quærendum. Glória. * Ad. *Zach.* 8. *Luc.* 13.

LECTIO III.

(Cap. 61 et 62.)

Gaudens gaudébo in Dómino, et exultábit ánima mea in Deo meo; quia índuit me vestimentis salútis, et indumento justítiæ circúmdedit me quasi sponsum decorátum corónâ, et quasi sponsam ornátam monílibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut ortus semen suum gérminat; sic Dóminus Deus germinábit justítiam et laudem coram universis géntibus. Propter Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiescam, donec egrediátur ut splendor Justus ejus, et Salvátor ejus ut lampas accendátur.

℟. Super ipsum continébunt reges os suum: * Quia quibus non est narrátum de eo, vidérunt; et † Qui non audiérunt, contempláti sunt. ℣. An Judæórum Deus tantùm? nonne

et Géntium ? * Quia quibus non est narrátum de eo. Glória. Qui. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Is.* 52. *Rom.* 3.

IN II.º NOCTURNO.

In Ps. 65. Jubiláte Deo... psalmum, 7.

Ant. 4. d. Omnis terra adóret te, et psallat tibi : psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

In Ps. 71. Deus, judícium, *cum sua divisione*, 49.

Ant. 1. D. Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent : reges Arabum et Saba dona addúcent.

In Ps. 85. Inclína, *cum sua divisione*, 145.

Ant. 4. E. Omnes gentes, quascumque fecisti, vénient et adorábunt coram te, Dómine.

℣. Dábitur ei de auro Arábiæ; ℟. Et adorábunt de ipso semper. *Ps.* 71.

LECTIO IV.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(In Epiph. 2.)

GAUDETE in Dómino, dilectíssimi; íterùm dico, Gaudéte; quóniam brevi intervallo témporis post solemnitátem Nativitátis Christi, festívitas Declaratiónis ejus illuxit : et quem in illo die Virgo péperit, in hoc mundus agnóvit. Verbum enim caro factum, sic susceptiónis nostræ temperávit exórdia, ut natus Jesus, et credéntibus manifestus, et persequéntibus esset occultus. Jam tunc ergo cœli enarravérunt glóriam Dei, et in omnem terram sonus veritátis exívit, quando et pastóribus exércitus Angelórum, Salvatóris éditi annuntiátor appáruit, et Magos ad eum adorandum prævia stella perduxit; ut à solis ortu usque ad occásum veri Regis generátio coruscáret, cùm rerum fidem et regna Orientis per Magos díscerent, et Románum Impérium non latéret.

℟. Cùm natus esset Jesus in Béthleem Juda in diébus Heródis regis, * Ecce Magi ab Oriente venérunt Jerosólymam. ℣. Circúmspice, Jerúsalem, ad Orientem, et vide jucunditátem à Deo tibi veniéntem. * Ecce Magi ab Oriente venérunt. Glória. * Ecce. *Matth.* 2. *Baruch.* 4.

LECTIO V.

NAM et sævítia Heródis vólens primórdia suspecti sibi Regis extínguere, huic dispensatióni nésciens serviébat; ut dum atróci intentus facínori, ignótum sibi púerum indiscrétâ infántium cæde perséquitur, annuntiátum cœlitus Dominatóris ortum insígnior ubíque fama loquerétur; quam promptiórem ad narrandum diligentioremque faciébat, et supernæ significatiónis nóvitas, et cruentíssimi persecutóris impíetas. Tunc au-

tem etiam Ægypto Salvátor illátus est, ut gens antíquis erróribus dédita, jam ad vicínam salútem per occultam grátiam vocarétur; et quæ nondum ejécerat ab ánimo superstitiónem, jam hospítio recíperet veritátem.

℟. Venérunt Magi, dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæórum? * Vídimus stellam ejus in Oriente, et vénimus adoráre eum. ℣. Oriétur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel : de Jacob erit qui dominétur. * Vídimus stellam ejus. Glória Patri. * Vídimus. *Matth.* 2. *Num.* 24.

LECTIO VI.

Agnoscamus ergo, dilectíssimi, in Magis adoratóribus Christi vocatiónis nostræ fideique primítias, et exultántibus ánimis beátæ spei inítia celebrémus. Exinde enim in æternam hæreditátem cœpimus introíre: exinde nobis Christum loquéntia Scripturárum arcána patuérunt; et véritas quam Judæórum obcæcátio non recépit, ómnibus natiónibus lumen suum invexit. Honorétur ítaque à nobis sacratíssimus dies, in quo salútis nostræ Auctor appáruit: et quem Magi infantem veneráti sunt in cunábulis, nos omnipotentem adorémus in cœlis. Ac sicut illi de thesauris suis mysticas Dómino múnerum spécies obtulérunt; ita et nos de córdibus nostris, quæ Deo sunt digna promámus.

℟. Ecce stella quam víderant Magi in Oriente, antecedébat eos, usque dum véniens staret supra ubi erat Puer. * Videntes stellam, gavísi sunt gáudio magno valdè. ℣. Ambulábunt Gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortûs tui. * Videntes stellam. Glória.* Videntes. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Matth.* 2. *Is.* 60.

IN III.° NOCTURNO.

PSALMUS 94.

(Secundum Vulgat.)

Venite, exultémus Dómino : * jubilémus Deo salutári nostro.

Præoccupémus fáciem ejus in confessióne, * et in psalmis jubilémus ei;

Quóniam Deus magnus Dóminus, * et rex magnus super omnes deos :

Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ; * et altitúdines móntium ipsíus sunt :

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud; * et siccam manus ejus formavérunt.

Veníte; adorémus, et procidámus, * et plorémus ante Dóminum qui fecit nos;

Quia ipse est Dóminus Deus noster, * et nos pópulus páscuæ ejus, et oves manûs ejus.

Hódie si vocem ejus au-

diéritis, * nolíte obduráre corda vestra.

Sicut in irritatióne secundùm diem tentatiónis in deserto, * ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt me, et vidérunt ópera mea.

Quadraginta annis offensus fui generatióni illi, * et dixi : Semper hi errant corde.

Et isti non cognovérunt vias meas : * ut jurávi in ira mea, Si introíbunt in réquiem meam.

Ant. 8. *G.* Venite, adorémus eum; quia ipse est Dóminus Deus noster.

In Ps. 95. Cantáte.... omnis terra, 39.

Ant. 6. *C.* Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabília ejus.

In Ps. 96. Dóminus regnávit, exultet, 53.

Ant. 5. a. Annuntiavérunt cœli justítiam ejus, et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

℣. Laudáte Dóminum, omnes gentes; ℟. Laudáte eum omnes pópuli. *Ps.* 116.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 2.)

CUM natus esset Jesus in Béthleem Juda in diébus Heródis regis, ecce Magi ab Oriente venérunt Jerosólymam, dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæórum ? Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 10, n. 2, in Evang.)

IN ómnibus signis, quæ, vel nascente Dómino, vel moriente, monstráta sunt, considerandum nobis est quanta fúerit in quorumdam Judæórum corde durítia, quæ hunc nec per prophetíæ donum, nec per mirácula agnóvit. Omnia quippe elementa auctórem suum venisse testáta sunt. Ut enim de eis quiddam usu humáno loquar, Deum hunc cœli esse cognovérunt; quia prótinus stellam misérunt. Mare cognóvit, quia sub plantis ejus se calcábile præbuit. Terra cognóvit, quia eo moriente contrémuit. Sol cognóvit, quia lucis suæ rádios abscondit. Saxa et paríetes cognovérunt, quia témpore mortis ejus scissa sunt. Inférnus agnóvit, quia hos quos tenébat mórtuos, réddidit. Et tamen hunc, quem Dóminum ómnia insensibília elementa sensérunt, adhuc infidélium Judæórum corda Deum esse mínimè cognoscunt, et durióra saxis scindi ad pœnitendum nolunt. Qui étiam ad damnatiónis suæ cúmulum, eum quem natum despíciunt, nascitúrum longè antè præscivérunt : et non solùm quia nascerétur nóverant, sed étiam ubi nascerétur, ut ipsa eórum sciéntia et illis

fíeret ad testimónium damnatiónis, et nobis ad adjutórium credulitátis.

℟. Intrantes domum, invenérunt Púerum cum María matre ejus : et * Procidentes, adoravérunt eum; et apertis thesauris suis, obtulérunt ei múnera, aurum, thus, et myrrham. ℣. De Saba vénient, aurum et thus deferentes, et laudem Dómino annuntiantes : * Procidentes adoravérunt eum. Glória. * Procidentes. *Matth.* 2. *Is.* 60.

LECTIO VIII.

(N. 3.)

NATIVITATE Regis nostri cógnitâ, Heródes ad cállida argumenta convértitur, ne terréno regno privarétur. Renuntiári sibi ubi Puer inveniretur póstulat : adoráre eum velle se símulat; ut, quasi hunc inveníre possit, extinguat. Sed quanta est humána malítia contra consílium divinitátis! Scriptum quippe est : Non est sapiéntia, non est prudéntia, non est consílium contra Dóminum. Nam ea quæ appáruit stella, Magos perdúcit : natum regem repériunt, múnera déferunt; et ne redíre ad Heródem débeant, in somnis admonentur. Sicque fit ut Jesum, quem quærit Heródes, inveníre non possit. Cujus persónâ, qui álii quàm hypócritæ designantur; qui, dum fictè quærunt, inveníre Dóminum nunquam merentur?

℟. Obtulérunt Magi múnera; et * Responso accepto in somnis ne redírent ad Heródem, per áliam viam reversi sunt in regiónem suam. ℣. Réprobat Dóminus consília príncipum : consílium autem Dómini in æternum manet. * Responso accepto. Glória. * Responso. *Matth.* 2. *Ps.* 32.

LECTIO IX.

(N. 6.)

MAGI aurum, thus et myrrham déferunt. Aurum quippe regi cóngruit : thus verò in Dei sacrifícium ponebátur : myrrhâ autem mortuórum córpora condiuntur. Eum ergo Magi quem adórant, étiam mysticis munéribus prædicant; auro, regem; thure, Deum; myrrhâ, mortálem. Nos ítaque nato Dómino offerámus aurum, ut hunc ubíque regnáre fateámur : offerámus thus, ut credámus quòd is qui in témpore appáruit, Deus ante témpora éxtitit : offerámus myrrham, ut eum quem crédimus in suâ divinitáte impassíbilem, credámus étiam in nostra fuisse carne mortálem.

℟. Mystérium Christi, quod áliis generatiónibus non est ágnitum, nunc revelátum est : Gentes esse cohærédes, et concorporáles, et compartícipes promíssió-

nis Dei in Christo Jesu; * Ut innotescat multifórmis sapiéntia Dei. ℣. Dicit Dóminus: Ultra flúmina Æthiópiæ, inde supplíces mei; fílii dispersórum meórum déferent munus mihi; * Ut. Glória Patri. * Ut. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Ephes.* 3. *Sophon.* 3.

Post ultimum ℟. *dicitur (etiam extrà chorum) sequens Evangelium.*

℣. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Solus recitans non dicit Dóminus vobiscum.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam. *Cap.* 3.
℟. Glória, tibi Dómine.

Factum est, cum baptizaréturua omnis pópulus, et Jesu baptizáto et orante, apertum est cœlum, et descendit Spíritus sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum: et vox de cœlo facta est: Tu es Fílius meus dilectus; in te complácui mihi. Et ipse Jesus erat incípiens quasi annórum triginta, ut putabátur Fílius Joseph, qui fuit Héli; qui fuit Mathat; qui fuit Levi; qui fuit Melchi; qui fuit Janne; qui fuit Joseph; qui fuit Mathathíæ; qui fuit Amos; qui fuit Nahum; qui fuit Hesti; qui fuit Nagge; qui fuit Mahat; qui fuit Mathathíæ; qui fuit Sémei; qui fuit Joseph; qui fuit Juda; qui fuit Joanna; qui fuit Resa: qui fuit Zoróbabel; qui fuit Saláthiel; qui fuit Neri; qui fuit Melchi; qui fuit Addi; qui fuit Cosan; qui fuit Elmadan; qui fuit Her; qui fuit Jesu; qui fuit Eliézer; qui fuit Jorim; qui fuit Mathat; qui fuit Levi; qui fuit Símeon; qui fuit Juda; qui fuit Joseph; qui fuit Jona; qui fuit Elíakim; qui fuit Mélca; qui fuit Menna; qui fuit Mathatha; qui fuit Nathan; qui fuit David; qui fuit Jesse; qui fuit Obed; qui fuit Booz; qui fuit Salmon; qui fuit Nahasson; qui fuit Amínadab; qui fuit Aram; qui fuit Esron; qui fuit Phares; qui fuit Judæ; qui fuit Jacob; qui fuit Isaac; qui fuit Abrahæ; qui fuit Thare; qui fuit Nachor; qui fuit Sarug; qui fuit Ragaü; qui fuit Phaleg; qui fuit Heber; qui fuit Sale; qui fuit Caïnan; qui fuit Arphaxad; qui fuit Sem; qui fuit Noe, qui fuit Lamech; qui fuit Mathúsale, qui fuit Henoch; qui fuit Jared; qui fuit Maláleel; qui fuit Caïnan; qui fuit Henos; qui fuit Seth; qui fuit Adam; qui fuit Dei. Jesus autem plenus Spíritu sancto, regressus est à Jordáne.

Postea dicitur Te Deum.

℣. *Sacerd.* Confiteantur tibi pópuli, Deus; confiteantur tibi pópuli omnes: ℟. Lætentur et exultent gentes. *Ps.* 66.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 6. F. Benígnitas et humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei, allel. *Tit.* 3.

Ant. 2. D. Vita manifestáta est : et vídimus vitam æternam quæ erat apud Patrem, et appáruit nobis, allelúia. 1. *Joan.* 1.

Ant. 7. *d.* Qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illuxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Christi Jesu, allel. 2. *Cor.* 4.

CANTICUM.

(Isaiæ 49.)

Laudate, cœli; et exulta, terra : * jubiláte, montes, laudem.

Quia consolátus est Dóminus pópulum suum, * et páuperum suórum miserébitur.

Et dixit Sion : Derelíquit me Dóminus, * et Dóminus oblítus est meî.

Numquid oblivisci potest múlier infantem suum, * ut non misereátur fílio úteri sui?

Et si illa oblíta fúerit, * ego tamen non obliviscar tuî.

Ecce in mánibus meis descripsi te : * muri tui coram óculis meis semper.

Venérunt structóres tui : * destruentes te, et dissipantes à te exíbunt.

Leva in circúitu óculos tuos, et vide : * omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi.

Vivo ego, dicit Dóminus, * quia ómnibus his velut ornamento vestiéris, et circúmdabis tibi eos quasi sponsa.

Quia deserta tua, et solitúdines tuæ, et terra ruínæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatóribus ; * et longè fugabuntur qui absorbébant te.

Adhuc dicent in áuribus tuis fílii sterilitátis tuæ : * Angustus est mihi locus, fac spátium mihi ut hábitem.

Et dices in corde tuo : Quis génuit mihi istos? * ego stérilis et non páriens, transmigráta et captíva.

Et istos quis enutrívit? ego destitúta et sola : * et isti ubi erant?

Ant. 1. g. Vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacramenti hujus in Géntibus : quod est Christus, allelúia. *Coloss.* 1.

Ant. 4. E. Grátia data est à Deo, ut fiat oblátio Géntium accepta, et sanctificáta in Spíritu sancto, allelúia. *Rom.* 15.

Capitulum. (2. *Tim.* 1.)

Deus nos liberávit, et vocávit vocatióne suâ sanctà, non secundùm ópera nostra, sed secundùm propósitum suum, et grátiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora seculária :

manifestáta est autem nunc per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi.

HYMNUS.

Linquunt tecta Magi príncipis urbis,
Et parvæ cúpidis mœnia Béthleem
Votis præcípiunt; jamque sub imo
Spe subnixa fides corde triumphat.
O qui lætítiæ sensus! ut illis
Signans rursus iter stella refulsit;
Incumbensque domo lámpade pronâ,
Infantem exhíbuit matris in ulnis!
Non hic splendet ebur, non micat aurum;
Non velat rútilans púrpura corpus:
Horrens hic stábulum, régia; nudum
Hic præsépe, thronus; púrpura, panni.
Reges pompa álios dives adornet:
Regnantem méliùs se probat ipse
In vili pálea, páupere cultu,
Flectens império corda potenti.
Ad cunas húmiles póplite curvo,
Præsens in Púero Numen adórant:
Et nos ad Púerum, digna propágo,
Patrum plena fide corda ferámus.
Regi castus amor pórrigat aurum;
Castigáta hómini córpora myrrham;
Instar thuris erunt vota precesque:
Illo thure Deum ritè fatémur.
Qui fons lúminis est, glória Patri:
Qui miro récreas lúmine Gentes,
Æquális tibi sit glória, Nate:
Ambórum símilis laus sit Amóri. Amen.

℣. Pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum; ℟. Quia prospexit de excelso sancto suo. *Ps.* 101.

Ad Bened. *Ant.* 3. *a. dupl.* Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris et in umbra mortis sedent, allelúia. *Luc.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui hodiernâ die Unigénitum tuum Géntibus, stellâ duce, revelasti: concéde propítius, ut qui jam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplandam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur; Per eumdem.

Ad Horas, *Psalmi de Dominica.*

In fine Hymn. Doxologia,
Qui te revélas Géntibus,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Benígnitas.

Non dicitur Symbolum Quicumque.

In ℟. *br.* ℣. Qui te revélas*Géntibus.

Canon *proprius ad calcem.*

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Vita.

Capitulum. (*Rom.* 3.)

Nunc sine lege justítia Dei manifestáta est, testificáta à lege et prophétis : justítia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum; non enim est distínctio.

℟. *br.* Benedícite, gentes, * Deum nostrum, * Allelúia, allelúia. Benedícite gentes. ℣. Et audítam fácite * vocem laudis ejus, * Allelúia. Glória Patri. Benedícite. gentes. *Ps.* 65.

℣. Notum fecit Dóminus salutáre suum; ℟. In conspectu géntium revelávit justítiam suam. *Ps.* 97.

AD SEXTAM.

Ant. 7. *d.* Qui dixit.

Capitulum. (*Is.* 49.)

Dedi te in fœdus pópuli, ut suscitáres terram, et possidéres hæreditátes dissipátas; ut díceres his qui vincti sunt : Exíte; et his qui in ténebris : Revelámini.

℟. *br.* Benedictus qui venit * in nómine Dómini, * Allelúia, allelúia. Benedictus qui venit. ℣. Deus Dóminus, * et illuxit nobis, * Allelúia, allel. Glória Patri. Benedictus qui venit. *Ps.* 117.

℣. Apud te, Dómine, est fons vitæ; ℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen. *Ps.* 35.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Grátia.

Capitulum. (*Rom.* 15.)

Dico Gentes super misericórdia honoráre Deum, sicut scriptum est : Proptereà confitébor tibi in Géntibus, Dómine, et nómini tuo cantábo. Et iterùm dicit : Lætámini, Gentes, cum plebe ejus.

℟. *br.* Afferte Dómino, pátriæ géntium, * afferte Dómino glóriam et honórem, * Allelúia, allelúia. Afferte Dómino. ℣. Afferte Dómino *glóriam nómini ejus, * Allelúia. Glória Patri. Afferte Dómino pátriæ géntium. *Ps.* 95.

℣. Veníte in conspectu ejus, ℟. Et adoráte Dóminum in decóre sancto. 1. *Paral.* 16.

AD II. VESPERAS.

In Ps. 109. Dixit Dóminus, 21.

Ant. 1. g. Mystérium quod abscónditum fuit à séculis et generatiónibus, nunc manifestátum est, allelúia. *Coloss.* 1.

In Ps. 112. Laudáte, púeri, 23.

Ant. 2. D. Gentes quæ non sectabantur justítiam, apprehendérunt justítiam; justítiam autem quæ ex fide est, allelúia. *Rom.* 9.

In Ps. 116. Laudáte Dóminum, 135.

Ant. 3. a. In Christo Jesu, vos qui erátis longè, facti estis propè; ipse est enim pax nostra, qui fecit útraque unum, allel. *Eph.* 2.

In Ps. 121. Lætátus sum, 63.

Ant. 4. E. Véniens evangelizávi pacem vobis qui longè fuistis, et pacem iis qui propè, allelúia. *Ephes.* 2.

In Ps. 137. Confitébor.... quóniam, 102.

Ant. 5. C. Non est personárum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum et operátur justítiam, acceptus est illi, allelúia. *Act.* 10.

Capitulum. (*Rom.* 9.)

VOCAVIT nos Deus non solùm ex Judæis, sed étiam ex Géntibus, sicut in Osée dicit: Vocábo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam; et non misericórdiam consecútam, misericórdiam consecútam.

Allelúia allelúia. ℣. Grátias Deo Patri, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis, Allelúia. *Coloss.* 1.

HYMNUS.

HUC vos, ô míseri: surda relínquite
Quæ cæci cólitis, mutaque númina:
Se vobis áperit spléndida cívitas,
Veri Núminis hóspita.

EN vestræ præeunt primítiæ Magi:
Vatum dicta patent: exitiálibus
Errórum ténebris óbsita gens diu,
Miro lúmine spárgitur.

AMBO sic pópuli, dissociábilis
Quos dudum páries séparat, únicum
In corpus cóeunt. Hòc próprium modò
Ambóbus máneat decus!

O ARCANA Dei consília! ô tuo
Deturbáta gradu, primus amor Dei,
Plebs Judæa! tuis glória géntium
Damnis, vítaque náscitur.

JAM natíva óleæ bráchia décidunt,
Rami degéneres, germen adúlterum;
Miraturque novos sémine non suo
Arbor créscere súrculos.

Nos radix óleæ sústinet. Ah! cave,
Qui stas, ne stérili defícias fide.
Tu ramos véteres ínsere dénuò:
Tu serva Deus, ínsitos.

Qui nos membra sacri córporis éfficit,
Sit laus summa Patri : laus quoque Fílio,
Cujus membra sumus : quo vigor ínfluit
Membris, laus tibi, Spíritus. Amen.

℣. Pópuli confitebuntur tibi, Deus, ℟. In æternum, et in séculum séculi. *Ps.* 44.

Ad Magníf. *Ant.* 1. A. *dupl.* Manifeste magnum est pietátis sacramentum quod manifestátum est in carne, prædicátum est Géntibus, créditum est in mundo, allelúia. 1. *Tim.* 3.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

Ad Completorium, *Psalmi et Capitulum de Dominica; reliqua ut heri,* 295.

¶ De Dominica *intra Octavam Epiph. in quamcumque diem Octavæ inciderit, fit Officium ut notatur infrà.*

Si verò Dominica intra Oct. Epiph. inciderit die 13 *Januarii, Officium hujus Dominicæ fiet ut notatur infrà die* 12.

Sabbato præcedente, (nisi sit dies Epiphaniæ) ad Vesperas dicuntur Psalmi de Sabbato sub Ant. de I. Vesp. festi.

Capitulum. (*Isai.* 45.)

Convertimini ad me, et salvi éritis, omnes fines terræ; quia ego Deus, et non est álius. In memetipso jurávi; egrediétur de ore meo justítiæ verbum, et non revertétur, quia mihi curvábitur omne genu, et jurábit omnis língua.

Hymnus, Quæ stella, 294.

℣. Quærite Dóminum, et virtútem ejus : ℟. Quærite fáciem ejus semper. 1. *Paral.* 16.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Quærétis me, et inveniétis : cùm quæsiéritis me in toto corde vestro, et invéniar à vobis, ait Dóminus. *Jer.* 29.

Collecta, ut infrà ad Laudes Non fit alia Commmem. Epiphaniæ.

DOMINICA

INTRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

℣. Dómine, lábia, *etc.*

INVITATORIUM.

Verbum vitæ appáruit nobis : * Veníte, adorémus. 1. *Joan.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Qua lapsu tácito stella loquácibus
Scintillat rádiis, huc óculis Magi,
Huc desidériis, huc rápidis simul
Certant téndere pássibus.

Ut ventum Sólymam, non sine número
Lætam stella facem, proh dolor! ócculit;
Incertosque viæ, ceu médio vagam
Cursu, destítuit, ratem.

Illi, nil rábiem príncipis, ínvidas
Nil artes, vériti, (tanta ánimis fides!)
Urbis per trépidæ cómpita prædicant
Regem quærere se novum.

Nec vos írrita spes decípiet, Magi;
Quò divína vocat página, téndite:
Illìc quem sua plebs réspuit, éxteris
Regem nosse Deum datur.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio;
Ambórum sit idem Spirítui decus,
Qui, dum stella pedes prævia dírigit,
Dux mentem mélior monet.
Amen.

Psalmi de Dominica.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. O Rex géntium, inter cunctos sapiéntes, et in universis regnis nullus est símilis tuì. *Jerem.* 10.

Ant. 7. *d.* Tua est, Dómine, magnificéntia, et poténtia, et glória: tuum, Dómine, regnum; et tu es super omnes príncipes. 1. *Paral.* 29.

Ant. 3. *à.* Benedictum nomen glóriæ tuum sanctum, et laudábile in ómnibus séculis: benedictus es in throno regni tui. *Dan.* 3.

℣. Regnábit Deus super gentes: ℟. Deus sedet super sedem sanctam suam. *Ps.* 46.

Hodiè et deinceps intra Octavam legitur Epistola prima ad Corinthios, quæ habetur infrà post Officium Octavæ: Lectiones verò quæ aliquando supersunt de Epistola ad Romanos, prætermittuntur.

Post I Lect. ℟. Viri sublímes ad te transíbunt, et * Tui erunt: te adorábunt, teque deprecabuntur. Tantùm in te est Deus, et non est absque te Deus. ℣. Est repromíssio ómnibus qui longè sunt, quoscumque advocáverit Dóminus Deus noster. * Tui erunt. *Is.* 45. *Act.* 2.

Post II Lect. ℟. Vénient pópuli multi, et gentes robustæ, * Ad quærendum Dóminum exercítuum in Jerúsalem, et deprecandam fáciem Dómini. ℣. Vénient ab Oriente, et Occidente, et Aquilóne, et Austro, * Ad quærendum. *Zach.* 8. *Luc.* 13.

Post III Lect. ℟. Super ipsum continébunt reges os suum; * Quia quibus non est narrátum de eo, vidérunt; et † Qui non audiérunt, contempláti sunt. ℣. An Judæórum Deus tantùm? Nonne et Géntium? * Quia. Glória. † Qui non. *Is.* 52. *Rom.* 3.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Pasce pópulum tuum in virga tua, gregem hæreditátis tuæ. *Mich.* 7.

Ant. 6. F. Manus tua in cervícibus inimicórum: tuórum: adorábunt te filii patris tui. *Gen.* 49.

Ant. 8. c. Relinquent gentes idóla sua, et vénient: et gaudébunt adorantes Regem Israel. *Tob.* 14.

℣. Adoravérunt omnes pingues terræ: ℟. In conspectu Dómini cadent omnes qui descendunt in terram. *Ps.* 21.

LECTIO IV.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

(Homil. 1, in Epiph.)

In hac, dilectíssimi, celebritáte, sicut relátu patérnæ traditiónis instrúimur, multíplici nobis est festivitáte lætandum. Ferunt enim hódie Christum Dóminum nostrum, vel, stellà duce, à Géntibus adorátum; vel invitátum ad núptias aquas in vina vertisse; vel suscepto à Joanne baptísmate, consecrasse fluenta Jordánis, suumque simul purificasse Baptistam. Sed quid potíssimùm præsenti hoc factum sit die, nóverit ipse qui fecit; nos tamen crédere, nec dubitáre debémus, quidquid illud est, factum esse pro nobis.

℟. Cùm natus esset, 297, *sine* Glória.

LECTIO V.

Nam quòd eùm fulgentióris stellæ rádiis incitáti adoravére Chaldæi, Deum verum Géntibus spes data est adorandi. Quod aquæ novo órdine sunt in vina mutátæ, novi nobis póculi prælibátum est sacramentum. Quòd autem baptizátus est Agnus Dei, regenerantis baptismi salutáre nobis munus est dedicátum. Et quàm rectè tria hæc nobis uno acta in die mystéria prædicantur, qui ineffábilis Trinitátis arcánum uno Dei sub nómine confitémur. Per hæc ergo miràcula Christus Dóminus, Redemptorque noster, óculis se vóluit reveláre mortálium, quátenus invisíbilis ejus divínitas quæ latébat in hómine, in ópere non latéret.

℟. Venérunt, 298, *sine* Glória.

LECTIO VI.

(Homil. 6.)

Quid ígitur, fratres, hoc lætius die? quid hàc solemnitáte sacrátiùs, in qua partum Vírginis qui latébat in cunis, stella fulgéntior coruscávit: in qua Unigénitum Dei, in sanctificatiónem suì, Jordánis unda suscépit, homo Spíritum sanctum vidit, Patrem mundus audívit; in qua étiam sóbrio illo vini mirábilis póculo, peccátis ébrium mortále genus visitasse se Christus ostendit? Ideò, caríssimi,

in spirituálibus donis, lúbricæ carnis voluptáte depósitâ, spirituáliter gaudeámus; ut ténebras cordis nostri lumen stellæ cœlestis irrádiet, benedíctio paternæ vocis illustret, et salutáre nos vinum, Christo propinante, lætíficet.

℟. Ecce stella, 298. *Non repetitur ab initio post* Glória.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem Géntibus. *Is.* 55.

Ant. 4. d. Convertentur quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ. *Mich.* 5.

Ant. 8. *G.* In médio pópuli sui gloriábitur, et in ecclésiis Altíssimi apériet os suum. *Eccli.* 24.

℣. Deus stetit in synagóga deórum; ℟. In médio autem deos dijúdicat. *Ps.* 81.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 2.)

In illo témpore; Puer crescébat et confortabátur, plenus sapiéntiâ: et grátia Dei erat in illo. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 2 in Luc. n. 63.)

A duodecimo anno, ut légimus, Domínicæ súmitur disputatiónis exórdium: hic enim prædicandæ fídei evangelizántium númerus debebátur. Nec otiósè ímmemor suórum secundùm carnem parentum, qui secundùm carnem útique sapiéntiâ Dei implebátur et grátiâ, post tríduum reperítur in templo; ut esset indício quia post tríduum triumphális illíus passiónis in sede cœlesti, et honóre divíno fídei nostræ se suscitatus offerret, qui mórtuus credebátur.

℟. Remansit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt parentes ejus; et post tríduum * Invenérunt illum in templo sedentem in médio doctórum, audientem illos, et interrógantem eos. ℣. Lætámini in Dómino Deo vestro; quia dedit vobis Doctórem justítiæ. * Invenérunt. *Luc.* 2. *Joel* 2.

LECTIO VIII.

(N. 64.)

Quid est quòd me quærebátis? Nesciebátis quia in própria Patris mei oportet me esse? Duæ sunt in Christo generatiónes: una est paterna, materna áltera. Paterna illa divínior; materna verò, quæ in nostrum labórem usumque descendit. Et ídeò quæ supra natúram, supra ætátem, supra consuetúdinem fiunt, non humánis assignanda virtútibus,

sed divínis referenda sunt potestátibus. Alibi eum ad mystérium mater impellit: hic mater argúitur; quia adhuc quæ humána sunt éxigat. Sed cùm hic duódecim describátur annórum, illic discípulos habére doceátur, vides matrem didicisse de fílio; ut exígeret à validióre mystérium, quæ stupébat in junióre miráculum.

℟. Dixit mater Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebámus te. * Quid est quòd me quærebátis? Nesciebátis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? ℣. Dixit mihi Dóminus: Servus meus es tu. Et ego dixi: Ergo opus meum cum Deo meo. * Quid est. *Luc.* 2. *Is.* 49.

LECTIO IX.

(N. 65.)

Et venit Názareth, et erat súbditus illis. Quid enim magister virtútis, nisi offícium pietátis impléret? Et mirámur si Patri defert, qui súbditur matri? Non útique infirmitátis, sed pietátis est ista subjéctio; attollat licèt sævis emissus látebris cóluber perfídiæ caput, et serpentínis évomat venéna pectóribus. Cùm dicit se Fílius missum, majórem hæréticus appellat Patrem, ut imperfectum Fílium dicat, qui potest habére majórem; ut aliénis auxíliis ásserat eum qui míttitur, indigére: numquid et humáno egébat auxílio, ut materno servíret império?

℟. Descendit Jesus cum eis, et venit Názareth: et * Erat súbditus illis. ℣. Mens justi meditátur obediéntiam. * Erat. Glória Patri. * Erat. *Luc.* 2. *Prov.* 15.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes: ℟. Læténtur et exultent gentes. *Ps.* 66.

AD LAUDES.

Psalmi et Antiph. cum Cant. ut in die Epiph. 302.

Capitulum. (*Apoc.* 21.)

Civitas non eget sole, neque luná, ut lúceant in ea; nam cláritas Dei illuminávit eam, et lucerna ejus est Agnus. Et ambulábunt gentes in lúmine ejus, et reges terræ ásferent glóriam suam et honórem in illam.

Hymnus, Linquunt tecta.

℣. Pópulus, *suprà,* 303.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Stupébant omnes qui eum audiébant, super prudéntia et responsis ejus. *Luc.* 2.

COLLECTA. Orémus.

Illumina, quæsumus Dómine, pópulum tuum, et splendóre grátiæ tuæ cor ejus semper accende; ut Salvatórem suum incessanter agnoscat, et veráciter

apprehendat Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; qui tecum vivit.

Non fit alia commemoratio Epiphaniæ.

AD HORAS, *omnia ut in die Epiphaniæ, excepto Canone ad Primam; qui habetur ad calcem secundum diem mensis ubi legitur Epistola ad Corinthios.*

AD VESPERAS.

(*Nisi hæc Dominica concurrat cum I Vesperis diei Octavæ Epiphaniæ.*)

Psalmi de Dominica, cum Ant. de II. Vesperis Epiphaniæ, 304.

Capitulum. (*Ephes.* 4.)

CRESCAMUS in illo per ómnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem junctúram subministratiónis, secundùm operatiónem in mensúram uniuscujusque membri, augmentum córporis facit in ædificatiónem suî in caritáte.

Hymnus, Huc vos, ô míseri, *ut suprà,* 305. ℣. Pópuli, 306.

Ad Magnificat, *Ant.* J. Jesus proficiébat sapiéntiâ, et ætáte, et grátiâ apud Deum et hómines. *Luc.* 2.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

Non fit alia commemoratio Epiphaniæ.

COMPLETORIUM, *ut in die,* 295.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM

EPIPHANIÆ.

Semiduplex.

Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de Feria in toto Officio.

AD NOCT. *Invitatorium et Hymnus,* 306. *Tres Antiph. et ℣. sumuntur de Nocturno Dominicæ intra Octavam, juxta Feriam; id est, Feriâ* II *et* V, *è I Noct.; Feriâ* III *et* VI, *è II Noct.; Feriâ* IV *et Sabbato, è III Nocturno.*

Lect. I ante Dominic. intra Oct. sumitur de Epistola ad Rom.: post Dominicam verò de Epistola prima ad Cor.

Lectio II et III habentur infrà pro unaquaque die.

Tria ℟℟℟. *sumuntur de Noct. Festi, scilicet: Feriâ* II *et* V, *dicuntur* ℟℟℟. *I Nocturni; Feria* III *et* VI, *dicuntur* ℟℟℟ *II Nocturni; Feria* IV *et Sabbato, dicuntur* ℟℟℟. *III Nocturni, sed non repetitur tertium post* Glória Patri.

AD LAUDES.

Canticum Epiphaniæ, 302.

Ant. sola 1. *g.* Vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacramenti hujus in Géntibus quod est Christus, allelúia. *Coloss.* 1.

Antiphona ad Benedictus, *habetur infrà pro qualibet die.*

AD HORAS, *ut in die, excepto Canone,* quì *sumitur*

unde sumpta est Scriptura occurrens, ut supra dictum est.

AD VESPERAS.

Ant. sola 1. g. Mystérium quod abscónditum fuit à séculis et generatiónibus, nunc manifestátum est. Allelúia. *Coloss.* 2.

Antiph. ad Magníficat, *ut infrà pro qualibet die.*

Ad Complet. *ut suprà*, 295.

Lect. sequentes de Epist. ad Rom. leguntur tantùm usque ad Dominicam I post Epiph.

DIE VII.

DE OCTAVA.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 9.)

Non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelítæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed, In Isaac vocábitur tibi semen, id est: non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissiónis, æstimantur in sémine. Promissiónis enim verbum hoc est: Secundùm hoc tempus véniam; et erit Saræ filius. Non solùm autem illa, sed et Rebecca ex uno concúbitu habens Isaac patris nostri. Cùm enim nondum nati fuissent, aut áliquid boni egíssent, aut mali, (ut secundùm electiónem propósitum Dei manéret) non ex opéribus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major sérviet minóri, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio hábui. Quid ergo dicémus? Numquid iníquitas apud Deum? Absit. Móysi enim dicit: Miserébor cujus miséreor; et misericórdiam præstábo cujus miserébor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

LECTIO II.

De sermóne sancti Leónis Papæ.

(In Epiph. 4, c. 1.)

Justum et rationábile, dilectíssimi, veræ pietátis obséquium est, in diébus qui divínæ ópera misericórdiæ protestantur, toto corde gaudére, et honorífice ea quæ ad salútem nostram gesta sunt, celebráre; vocante nos ad hanc devotiónem ipsà recurréntium témporum lege, quæ nobis post istum diem in quo coætérnus Patri Fílius Dei natus ex Vírgine est, brevi intervallo Epipháníæ íntulit festum ex apparitióne Dómini consecrátum: in quo fídei nostræ magnum præsídium providéntia divína constítuit; ut, dùm solemni veneratióne cólitur adoráta in exórdiis suis Salvatóris infántia, per ipsa originália documenta probarétur veri hóminis in ipso orta natúra. Hoc enim est quod justíficat ímpios, hoc est quod ex peccatóribus facit sanctos, si in

uno eodemque Dómino nostro Jesu Christo, et vera déitas, et vera credátur humánitas: déitas, quà ante ómnia sécula in forma Dei æquális est Patri; humánitas, quâ novíssimis diébus in forma servi unítus est hómini.

LECTIO III.

Ad roborandum ergo hanc fidem, quæ contra omnes præmuniebátur erróres, ex magna gestum est divíni pietáte consílii; ut gens in longinqua orientális plagæ regióne consistens, quæ spectandórum síderum arte pollébat, signum nati Púeri qui supra omnem Israel esset regnatúrus, accíperet. Nova étenim cláritas apud Magos stellæ illustrióris appáruit, et intuéntium ánimos ita admiratióne sui splendóris implévit, ut nequáquam sibi créderent negligendum quod tanto nuntiabátur indício. Præerat autem, sicut res dócuit, huic miráculo grátia Dei: et cùm Christi nativitátem nec ipsa adhuc Béthleem tota didicisset, jam illam creditúris Géntibus inferébat, et quod nondum póterat humáno elóquio dísseri, cœlo faciébat evangelizante cognosci.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Parum est ut sís mihi servus ad suscitandas tribus Jacob: ecce dedi te in lucem géntium. *Is.* 49.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Hæc Prophétæ locúti sunt et Moyses: Passíbilis Christus, primus lumen annuntiatúrus est pópulo, et Géntibus, allelúia. *Act.* 26.

DIE VIII.

DE OCTAVÂ.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 9.)

Dicis mihi: Quid adhuc quéritur? Voluntáti enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respóndeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestátem fígulus luti ex eádem massa fácere áliud quidem vas in honórem, áliud verò in contuméliam? Quòd si Deus volens osténdere iram, et notam fácere poténtiam suam, sustínuit in multa patiéntia vasa iræ, apta in intéritum, ut osténderet divítias glóriæ suæ in vasa misericórdiæ, quæ præparávit in glóriam. Quos et vocávit nos non solùm ex Judæis, sed étiam ex Géntibus, sicut in Osée dicit: Vocâbo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam; et non misericórdiam consecútam, misericórdiam consecútam. Eterit: In loco ubi dictum est eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur fílii Dei vivi.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Leónis Papæ.

(In Epiph. 6.)

Dies, dilectíssimi, quo primùm Géntibus Salvátor mundi Christus appáruit, sacro nobis honóre venerandus est. Neque enim ita ille emensus est dies, ut virtus óperis, quæ tunc est reveláta, transíerit, nihilque ad nos nisi rei gestæ fama pervénerit, quam fides suscíperet, et memória celebráret; cùm, multiplicáto múnere Dei, étiam quotídie nostra experiantur témpora quidquid illa habuére primórdia. Unde cùm cérnimus hómines mundánæ sapiéntiæ déditos, et à Jesu Christi confessióne longinquos, de profundo erróris sui edúci, et ad agnitiónem veri lúminis advocári, divínæ procul dúbio grátiæ splendor operátur : et quidquid in córdibus tenebrósis novæ lucis appáret, de ejusdem stellæ rádiis micat; ut mentes quas suo fulgóre contígerit, et miráculo móveat, et ad Deum adorandum præeundo perdúcat.

LECTIO III.

Si autem sollícito intellectu velímus aspícere, quómodo étiam triplex illa spécies múnerum ab ómnibus, qui ad Christum gressu fídei véniunt, offerátur : nonne in córdibus rectè credéntium éadem celebrátur oblátio ? aurum étenim de thesauro ánimi sui promit, qui Christum Regem universitátis agnoscit. Myrrham offert, qui Unigénitum Dei credit veram sibi hóminis uniisse natúram. Et quodam eum thure venerátur, qui in nullo ipsum paternæ majestáti ímparem confitétur.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. *D.* Habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis, allelúia. *Is.* 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. f. Erátis vos aliquando ténebræ, nunc autem lux in Dómino : ut fílii lucis ambuláte. *Ephes.* 5.

DIE IX.

DE OCTAVA.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 9.)

Isaias clamat pro Israel : Si fúerit númerus filiórum Israel tanquam aréna maris, relíquiæ salvæ fient. Verbum enim consummans, et abbrévians in æquitáte, quia verbum breviátum fáciet Dóminus super terram. Et sicut prædixit Isaías : Nisi Dóminus sábaoth, reliquisset nobis semen, sicut Sódoma facti essémus, et sicut Gomorrha símiles fuissémus.

Quid ergo dicémus? Quòd gentes quæ non sectabantur justítiam, apprehendérunt justítiam; justítiam autem quæ ex fide est. Israel verò sectando legem justítiæ, in legem justítiæ non pervénit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex opéribus; offendérunt enim in lápidem offensiónis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lápidem offensiónis, et petram scándali: et omnis qui credit in eum, non confundétur.

LECTIO II.

De sermóne sancti Leónis Papæ.

(In Epiph. 7, c. 1.)

In dispensatiónibus sacramentórum Christi et virtútes sunt grátiæ, et incitamenta doctrínæ, ut quem confitémur fídei spíritu, óperum quoque sequámur exemplo. Nam étiam ipsa primórdia, quæ Dei Fílius per matrem Vírginem nascendo suscépit, ad provectum nos pietátis instítuunt. Simul enim appáret córdibus rectis in una eademque persóna, et humána humílitas, et divína majestas. Quem cunæ testantur infantem, cœlum et cœléstia suum loquuntur auctórem. Sed in his nostrórum vúlnerum est curátio, et nostræ dejectiónis eréctio; quia nisi in unum tanta divérsitas conveníret, reconciliári Deo humána natúra non posset.

LECTIO III.

Legem ergo vivendi remédia nobis nostra sanxérunt; et inde data est móribus forma, unde mórtuis est impensa medicína. Nec immérito, cùm tres Magos ad adorandum Jesum novi síderis cláritas deduxisset, non eum imperantem dæmónibus, non mórtuos suscitantem, non cæcis visum, aut claudis gressum, aut mutis elóquium reformantem, vel in áliqua divinárum virtútum actióne vidérunt; sed púerum silentem, quiétum, et sub matris sollicitúdine constitútum: in quo nullum quidem appáret de potestáte signum, sed magnum præbétur de humilitáte miráculum. Ipsa ítaque spécies sacræ infántiæ, cui se Deus Dei Fílius aptârat, prædicatiónem áuribus intimandam, óculis ingerébat; ut quod adhuc vocis non proferébat sonus, visiónis jam docéret effectus. Tota enim victória Salvatóris, quæ et diábolum superávit et mundum, humilitáte est concepta, humilitáte est confecta. Dispósitos dies sub persecutióne inchoávit, et sub persecutióne finívit; nec púero tolerántia passiónis, nec passúro défuit mansuetúdo puerílis.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. c. Vénient ad te, et adorábunt

vestígia pedum tuórum omnes qui detrahébant tibi. *Is.* 60.

Ad Magníficat, *Ant.* 3 *à.* Omnes gentes adorábunt in conspectu tuo, Dómine; quóniam judícia tua manifesta sunt. *Apoc.* 15.

DIE X.

DE OCTAVA.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 10.)

Dicit Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci; nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodò ergo invocábunt in quem non crediderunt? Aut quómodò credent ei quem non audiérunt? Quómodò autem áudient sine prædicante? Quómodò verò prædicábunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex auditu; audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

LECTIO II.

Sermo sancti Ignátii Epíscopi et Mártyris.

(Epist. ad Magnesianos.)

Deus noster, Jesus Christus in útero gestátus est à María; juxtà dispensatiónem Dei, ex sémine Davídis, Spíritu autem sancto. Et príncipem hujus mundi látuit Maríæ virgínitas, et partus ipsíus. Quómodò ígitur manifestátus est séculis? Stella in cœlo fulsit, splendóre exsúperans omnes stellas, et lux illíus ineffábilis erat: et stupórem incussit illíus nóvitas. Ipsa verò lumen suum extendébat super ómnia: et perturbátio erat, undè prodíret illis nóvitas dissímilis: quare ignorántia destructa est; vetus regnum est labefactátum, Deo humánitus manifestáto in novitátem vitæ æternæ.

LECTIO III.

Ex libro sancti Irenæi Epíscopi et Mártyris, contra hæreses.

(Lib. 3, c. 10.)

Matthæus Magos ab Oriente venientes ait dixisse: Vídimus enim stellam ejus in Oriente, et vénimus adoráre eum; deductosque à stella in domum Jacob ad Emmá-

nuel, per ea quæ obtulérunt múnera, ostendisse quis erat qui adorabátur: myrrha quidem, quòd ipse erat qui pro mortáli humáno génere morerétur et sepelirétur; aurum verò, quóniam Rex cujus regni finis non est; thus verò, quóniam Deus qui et notus in Judæa factus est, et manifestus eis qui non quærébant eum.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Cognoscent Ægyptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis et in munéribus. *Is.* 19.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Reges terræ ásferent glóriam suam et honórem; et ásferent glóriam et honórem Géntium. *Apoc.* 21.

DIE XI.

DE OCTAVA.

LECTIO I.

De Epístola béati Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 11.)

Vobis dico Géntibus: Quámdiu quidem ego sum Géntium Apóstolus, ministérium meum honorificábo, si quómodò ad æmulandum próvocem carnem meam, et salvos fáciam áliquos ex illis. Si enim amíssio eórum, reconciliátio est mundi; quæ assúmptio, nisi vita ex mórtuis? Quòd si delibátio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami. Quòd si áliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cùm oleaster esses, insertus es in illis, et sócius radícis et pinguédinis olívæ factus es, noli gloriári advérsùs ramos. Quòd si gloriáris, non tu radícem portas, sed radix te. Dices ergo: Fracti sunt rami ut ego ínserar. Bene: propter incredulitátem fracti sunt. Tu autem fide stas, noli altùm sápere, sed time. Si enim Deus naturálibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 200, de Tempore.)

Ad partum Vírginis adorandum Magi ab Oriente venérunt: magnum sacramentum. In præsépi Christus jacébat, et Magos ab Oriente ducébat. Abscondebátur in stábulo, et agnoscebátur in cœlo; ut ágnitus in cœlo manifestarétur in stábulo, et appellarétur Epiphánia dies iste, quod Latínè Manifestátio dici potest: simul ejus celsitúdinem humilitatemque commendans; ut qui in aperto cœlo signis sidéreis monstrabátur, in angusto diversório quæsítus inveniretur; inválidus infantílibus membris, involútus infantílibus pannis, adorarétur à Magis, timerétur à malis.

Tímuit enim eum rex Heródes, eisdem sibi Magis nuntiántibus, cùm adhuc quærerent párvulum quem cognóverant, cœlo teste, jam natum. Quid erit tribúnal judicantis, quando superbos reges cunæ terrébant infantis ? ℟.

LECTIO III.

Hæc Magórum illuminátio magnum testimónium cæcitátis éxtitit Judæórum. In terra eórum isti requirébant, quem illi in sua non agnoscébant. Apud eos isti infantem invenérunt, quem illi apud se docentem negavérunt. In his terris de longinquo isti peregríni púerum Christum nondum verba promentem adoravérunt, ubi cives illi júvenem mirácula facientem crucifixérunt. Isti in membris parvis Deum agnovérunt, illi in factis magnis nec tanquam hómini pepercérunt : quasi plus fúerit vidére novam stellam in ejus nativitáte fulgentem, quàm solem ejus in morte lugentem.

Ad Benedictus, *Ant. 7. d.* Erit in loco ubi dicétur eis : Non pópulus meus vos ; dicétur eis : Fílii Dei viventis. *Osee* 1.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Dómine, redemisti nos Deo ex omni tribu, et linguâ, et pópulo, et natióne ; et fecisti nos Deo nostro regnum. *Apoc.* 5.

DIE XII.

DE OCTAVA.

[*Si sit Sabbatum, Officium fiet hoc modo :*

Invit. et Hymnus, ut in Dominica intra Octavam, suprà, 306.

Psalmi de Sabbato, sub tribus Antiph. et ℣. *tertii Noct. de eadem Dominica*, 309.

Lectio I de Scriptura occurrente in Sabbato ; II de Sermone sancti Fulgentii, quæ incipit per hæc verba, Trádi-tum tenémus à Patribus, quòd Unigénitus Dei, *infrà ; III de Evangelio Dominicæ, cum prima Lectione Homiliæ*, 309.

Duo priora ℟℟. *sumuntur è III Noct. Epiph.* 310 ; *tertium verò* ℟. Remansit puer Jesus in Jerúsalem, *cum* Glória Patri, 309.

Ad Laudes, *Psalmi de Sabbato, cum Cantico de festo Epiph. sub Ant.* Vóluit Deus, *ut in Feriis intra Octavam*, 311.

Cetera, ut notantur pro eadem Dominica, usque ad secundas Vesperas exclusivè, quæ erunt integræ de die Octavæ, sine commemoratione Dominicæ.

Epistola verò ad Corinthios, quæ ponitur in Dominica, inchoabitur ipsâ die Octavâ.]

Sed in quacumque alia Feria, fiet de eo die ut sequitur.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 12.)

Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic século, sed reformámini in novitáte sensûs vestri; ut probétis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Dico enim per grátiam quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos, non plus sápere quàm oportet sápere, sed sápere ad sobrietátem, et unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra.

LECTIO II.

Sermo sancti Fulgéntii Epíscopi.

(In Epiph. 4. n. 1, 3, 4.)

Traditum tenémus à Pátribus quòd Unigénitus Dei, postquàm est secundùm carnem temporáliter natus, in isto die est Magis veniéntibus manifestátus; à quibus, oblátis munéribus, supplíciter est adorátus. Quid est, fratres, ut isti Magi Regem Judæórum adorandum quærerent, cùm ipsi Judæi non essent? Et quem Regem? Utique non Heródem, sed Christum. De Heróde fílii jam fuérant nati, qui erant, patre mórtuo, regnatúri. Mórtuo Heróde, Archeláus regnávit. Archeláus natus est in palátio, Christus in diversório: Archeláus natus, in lecto est argénteo pósitus; Christus autem natus, in præsépio est brevíssimo collocátus: et tamen ille natus in palátio, contémnitur; iste natus in diversório, quæritur: ille à Magis nullátenus nominátur; iste inventus, supplíciter adorátur.

LECTIO III.

Quis est iste Rex Judæórum? Pauper et dives, húmilis et súblimis: qui portátur ut párvulus, adorátur ut Deus; párvulus in præsépio, immensus in cœlo; vilis in pannis, pretiósus in stellis. Quid est quòd sic turbáris, Heródes? Rex iste qui natus est, non venit reges pugnando superáre, sed moriendo mirabíliter subjugáre: nec ídeò natus est ut tibi succédat, sed ut in eum mundus fidéliter credat. Venit enim, non ut pugnet vivus, sed ut triumphet occísus. Puer qui nunc à Magis dícitur Rex Judæó-

rum, idem creátor est et Dóminus Angelórum. Quapropter cujus times infántiam nascentis, magis timére debes omnipoténtiam judicantis. Noli ergo eum timére regni tui successórem, sed time infidelitátis tuæ justíssimum damnatórem.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Qui redempti sunt à Dómino, revertentur laudantes; et lætítia sempiterna super cápita eórum. *Is.* 51.

DIE XIII.

OCTAVA EPIPHANIÆ,

ET

BAPTISMUS DOMINI.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 8. G. Erit fons patens habitántibus Jerúsalem, in ablutiónem peccatóris; et disperdam nómina idolórum de terra. *Zach.* 13.

Ant. 3. à. Sanctificábo nomen meum magnum, quod pollútum est inter gentes; et effundam super vos aquam mundam. *Ezech.* 36.

Ant. 6. F. Mundabímini ab ómnibus inquinamentis vestris; et ab universis idólis vestris mundábo vos. *Ezech.* 36.

Ant. 4. E. Fáciam ut in præceptis meis ambulétis, et judícia mea custodiátis, et operémini. *Ezech.* 36.

Ant. 5. a. Eritis mihi in pópulum, et ego ero vobis in Deum; et salvábo vos. *Ezech.* 36.

Capitulum. (*Joel* 3.)

Erit Jerúsalem sancta; et aliéni non transíbunt per eam ámplius. Et erit in die illa: Stillábunt montes dulcédinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ; et fons de domo Dómini egrediétur, et irrigábit torrentem spinárum.

℟. Qui post me ventúrus est, fórtior me est, cujus non sum dignus calceamenta portáre: * Ipse ✝ Vos baptizábit in Spíritu sancto, et igni. ℣. Sanctus vocábitur omnis qui scriptus est in vita in Jerúsalem; si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion in spíritu judicíi et spíritu ardóris. * Ipse vos baptizábit. Glória Patri. ✝ Vos. *Matth.* 3. *Is.* 4.

HYMNUS.

Clamantis ecce vox sonans
Deserta Judææ quatit:
Mox ad Joannem cónfluunt,
Quos críminum moles gravat.

En ipse permixtus reis
Accédit Agnus ínnocens;
Agnus suo qui sánguine
Piábit orbis crímina.

Sub nube carnis at suum
Lucerna Solem détegit;
Lymphis nec audet tíngere,
A quo lavári débuit.

RERE sed fas est Deo,
[uando sese déprimit :
: omne virtútum genus
ére nempe sic decet.
;NOSCE, Præcursor, tibi
s revélat quem Deus :
nergis undis córpora,
:orda mundat Spíritu.
Mundi scelus qui díluis,
, tibi sit glória
Patre, cumque Spíritu,
npiterna sécula. Amen.
Hæc Doxologia, Mundi
s, dicitur ad omnes Ho-
I

Flúmina plaudent ma-
simul montes exultá-
., ℟. A conspectu Dó-
, quóniam venit. *Ps.* 97.
i Magníficat, *Ant.* 7. G.
dies una quæ nota est
ino : et exíbunt aquæ
de Jerúsalem; et erit Dó-
us rex super omnem ter-
Zach. 14.
olleola, ut infrà ad Lau-

MPLET. *ut suprà*, 295,
Doxolog. Mundi scelus.

OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

M qui baptízat in Spí-
sancto, * Veníte, ado-
is. *Joan.* 1.
;. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

r ábluunt lymphæ
Deum,
íbluit lymphas Deus;
iisque contactu sacræ
dat lavandi críminis.
IOMISSUS ecce jam patet
Fons abluendis córdibus.
Res mira! tíngitur caro,
Mentisque labes tóllitur.
His tincta nam canálibus
Regis suprémi púrpura
Tinctos cruentat, et nivis
Instar dat esse cándidos.
FŒCUNDA sancto Spíritu
Virgo Deum nobis parit :
Fœcunda sancto Spíritu
Nunc unda nos parit Deo.
MUNDI scelus qui díluis,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu
In sempiterna sécula. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. a. Fuit Joannes in deserto baptízans, et prædicans baptismum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. *Marc.* 1.

Ant. 1. f. Egrediebátur ad Joannem omnis Judææ régio; et baptizabantur ab illo in Jordánis flúmine, confitentes peccáta sua. *Marc.* 1.

Ant. 7. c. Baptizávit baptismo pœniténtiæ pópulum, dicens : In eum qui ventúrus esset post ipsum, ut créderent, hoc est, in Jesum *Act.* 19.

℣. Visitasti terram, Dómine, et inebriasti eam : ℟. Flumen Dei replétum est aquis. *Ps.* 64.

Tres Lectiones sumuntur de Epistola prima ad Corinthios, ex Feria in qua Octava Epiphaniæ occurrit, ut infrà.

Post I Lect. ℟. Vox Dómini revelábit condensa, et

in templo ejus omnes dicent glóriam. * Dóminus dilúvium inhabitáre facit, et sedébit Dóminus rex in ætérnum. ℣. In diébus Noe, octo ánimæ salvæ factæ sunt per aquam; quod et vos nunc símilis formæ salvos facit baptisma. * Dóminus. *Ps.* 28. 1. *Petr.* 3.

Post II Lect. ℟. Sapiéntia deduxit justos in via mirábili: tránstulit illos per mare Rubrum; * Inimícos autem illórum demersit in mare, et ab altitúdine inferórum eduxit illos. ℣. Patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes in Móyse baptizáti sunt in nube et in mari; * Inimícos autem. *Sap.* 10. 1. *Cor.* 10.

Post III Lect. ℟. Ecce aquæ egrediebantur ad Orientem; et ait Dóminus: Aquæ istæ sanabuntur; * Et vivent ómnia ad quæ vénerit torrens, quia aquæ de sanctuário egredientur. ℣. Ostendit mihi Angelus flúvium aquæ vitæ, procedentem de sede Dei et Agni, et ex utráque parte flúminis lignum vitæ; * Et vivent. Glória.* Et vivent. *Ezech.* 47. *Apoc.* 22.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 4. E. Venit Jesus à Galilæa in Jordánem ad Joannem, ut baptizarétur ab eo. *Matth.* 3.

Ant. 8. G. Joannes prohibébat eum, dicens: Ego à te débeo baptizári, et tu venis ad me? *Matth.* 3.

Ant. 2. D. Respondens Jesus, dixit: Sine modò: sic enim decet nos implére omnem justítiam. *Matth.* 3.

℣. Vidérunt te aquæ, Deus; ℟. Et timuérunt, et turbátæ sunt. *Ps.* 76.

LECTIO IV.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

(In S. Lumina. Orat. 39.)

Christi nativitátem priùs aptâ solemnitáte celebrávimus, cum stella cucúrrimus, cum Magis adorávimus, cum Pastóribus luce circumfúsi sumus, cum Angelis divínam glóriam prædicávimus. Nunc verò ália Christi áctio áliud mystérium séquitur. Non possum cohibére ánimi voluptátem, divíni afflátûs ímpetu agor; ac propémodùm Joannis instar faustum núntium prófero, non quidem ut ille, præcursor; céterùm à solitúdine véniens. Christus illuminátur, simul et nos illuminémur. Christus baptizátur; simul et nos descendámus, ut cum ipso páriter ascendámus.

℟. Factum est, in diébus illis venit Jesus à Názareth Galilææ; * Et baptizátus est à Joanne in Jordáne. ℣. Dícite pusillánimis: Deus ipse salvábit vos, quia scissæ sunt in deserto aquæ; * Et baptizátus est. *Marc.* 1. *Is.* 35.

LECTIO V.

Joannes baptízat, accédit Jesus; non admittit Baptista, Jesus certat. Ego à te débeo baptizári, dicit lucerna Soli, vox Verbo, amícus Sponso; inter natos mulíerum major, Primogénito omnis creatúræ; is qui à materno ventre præsultáverat, ei qui in ventre adorátus fúerat; præcursor et præcursúrus, ei qui apparúerat et apparitúrus erat. Quid autem Jesus? Sine modò; hoc enim certo consílio et dispensatióne fit. Ascendit Jesus ex aqua; mundum enim secum in altum effert: ac cœlos quos Adam cláuserat et sibi et pósteris, quemádmodùm et flámmeo gládio paradísum, findi atque aperíri cernit. Ac Spíritus testimónium pérhibet divinitátis; ad símilem enim accurrit. Et vox cœlitùs míttitur: illinc enim erat is de quo testimónium perhibebátur. Et ut columba Spíritus appáret; à multis enim séculis columba dilúvii finem nuntiáre consuévit.

℟. Jesu baptizáto, et orante, apertum est cœlum; et * Descendit Spíritus sanctus corporáli spécie sicut columba in ipsum. ℣. Flos de radíce Jesse ascendet: et requiescet super eum Spíritus Dómini. * Descendit. *Luc.* 3. *Is.* 11.

LECTIO VI.

Nos ígitur hódie Christi baptismum venerémur, ac festum honestè celebrémus; non ventris delíciis óperam dantes, sed spirituáliter nos oblectantes. Lavámini, mundi estóte. Si peccáto rubri estis, ac propè sanguínei, quasi nix dealbámini. Si coccínei estis, ac omnínò viri sánguinum, ad candórem lanæ pervenitóte. Purgámini, inquam; nullà enim re Deus perinde delectátur, ut hóminis resipiscéntiâ ac salúte, pro quo omnis sermo et ómnia mystéria. Sic fiet ut sicut luminária in mundo, ita et vos áliis homínibus sitis vis quædam vivífica, et velut lúmina perfúsa, magno illi lúmini astantes, et à Trinitáte illumináti, cujus nunc rádium à divinitáte, quæ una est, emanantem accepistis in Christo Jesu Dómino nostro, cui glória in sécula seculórum. Amen. Tu autem.

℟. Ecce vox de cœlis, dicens: * Hic est Fílius meus dilectus, in quo mihi complácui. ℣. Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit: * Hic est. Glória Patri. * Hic est Fílius. *Matt.* 3. *Ps.* 28.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 5. F. Venit per aquam Jesus Christus: et Spíritus est qui testificátur quóniam Christus est véritas. 1. *Jo.* 5.

Ant. 1. g. Joannes clamat: Hic erat quem dixi: Qui post me ventúrus est ante me fac-

tus est; quia prior me erat. *Joan.* 1.

Ant. 6. F. Ego nesciébam eum; sed ut manifestétur in Israel, proptéreà veni ego in aqua baptízans. *Joan.* 1.

℣. Dominábitur à mari usque ad mare; ℟. Et à flúmine usque ad términos orbis terrárum. *Ps.* 71.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 1.)

In illo témpore; Vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 4, in Joan. Evang. n. 12 et 13.)

Accepit ministérium baptísmatis Joannes in aqua pœniténtiæ, paráre viam Dómino, non existens Dóminus. At ubi cógnitus est Dóminus, supérfluò ei via parabátur; quia cognoscéntibus se ipse factus est via. Itaque non durávit diù baptismus Joannis. Sed quómodò demonstrátus est Dóminus? Húmilis; ut ídeò accíperet baptisma Joannes, in quo baptizarétur ipse Dóminus. Et opus erat Dómino baptizári? Et ego intérrogans, citò respóndeo: Opus erat Dómino nasci? Opus erat Dómino crucifígi? Opus erat Dómino mori? Opus erat Dómino sepelíri? Si ergo tantam suscépit pro nobis humilitátem, baptismum non erat susceptúrus? Et quid prófuit, quia suscépit baptismum servi? Ut tu non dedignaréris suscípere baptismum Dómini.

℟. Vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei; * Ecce qui tollit peccátum mundi. ℣. Justificábit ipse Justus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit: * Ecce. *Joan.* 1. *Is.* 53.

LECTIO VIII.

(Tract. 6, n. 5 et 6.)

Ecce columba descendit super Dóminum, et super Dóminum baptizátum; et appáruit ibi sancta illa et vera Trínitas, quæ nobis unus Deus est. Ascendit enim Dóminus ab aqua, sicut in Evangélio légimus; et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spíritum descendentem velut columbam, et mansit super eum; et statim vox consecúta est: Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complácui. Appáret manifestíssima Trínitas; Pater in voce; Fílius in hómine, Spíritus in columba. In ista Trinitáte missi sunt discípuli, In nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti, ab illo de quo dictum est: Hic est qui bap-

tízat; qui sibi ténuit hanc potestátem, ita ut in nullum ministrórum eam transferret, quamvis per ministros suos baptizáre dignátus sit. Per hanc potestátem stat únitas Ecclésiæ, quæ significátur in columba de qua dictum est: Una est columba mea. Si enim transferrétur potestas à Dómino ad ministrum, tot baptísmata essent, quot ministri essent; et jam non staret únitas baptismi.

℟. Qui misit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit: Super quem víderis Spíritum descendentem, et manentem super eum, * Hic est qui baptízat in Spíritu sancto. ℣. Ecce servus meus, dedi Spíritum meum super eum: * Hic. *Joan.* 1. *Is.* 42.

LECTIO IX.

(N. 7.)

In columba cognóvit Joannes quiddam próprium, cùm ei dictum esset: Super quem víderis Spíritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, ipse est qui baptízat in Spíritu sancto. Jam nóverat Joannes, quia baptizatúrus erat Dóminus in Spíritu sancto. Antequàm veníret ad flúvium, cùm multi concúrrerent ad Joannem baptizári, ait illis: Ego quidem baptízo vos in aqua; qui autem post me venit, ipse vos baptizábit in Spíritu sancto et igni. Quid ergo per columbam dídicit, nisi quamdam proprietátem in Christo talem futúram, ut quamvis multi ministri baptizatúri essent, sive justi, sive injusti, non tribuerétur sánctitas baptismi, nisi illi super quem descendit columba, de quo dictum est: Hic est qui baptízat in Spíritu sancto? Petrus baptízet, hic est qui baptízat. Paulus baptízet, hic est qui baptízat. Judas baptízet, hic est qui baptízat.

℟. Vidi Spíritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. * Vidi, et testimónium perhíbui quia † Hic est Fílius Dei. ℣. Deus ostendit illi glóriam suam; audívit enim eum, et vocem ipsíus. * Vidi. Glória Patri. † Hic est. *Joan.* 1. *Eccli.* 45.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícite, fontes, Dómino: ℟. Laudáte, et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Ant. 7. ç. Nisi quis renátus fúerit ex aqua et Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei. *Joan.* 3.

Ant. 6. F. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spíritu, spíritus est: oportet vos nasci dénuo. Joan. 3.

Ant. 5. a. Ego recípiam vos; et ero vobis in patrem, et vos éritis mihi in fílios et fílias. 2. *Cor.* 6.

Canticum, ut in die Epiphaniæ, 302.

Ant. 3. c. Docéte omnes gentes*, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti. *Matth.* 28.

Ant. 1. a. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit. *Marc.* 16.

Capitulum. (*Ezech.* 36.)

Dabo vobis cor novum, et Spíritum novum ponam in médio vestrî; et áuferam cor lapídeum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum.

HYMNUS.

Emergit undis, et Deo
Fundit preces homo Deus :
Patet polórum régia,
Adest repente Spíritus.
Instar columbæ, vértici
Illapsus ínsidet sacro ;
Summi Patris vox pérsonat :
Dilectus hic est Fílius.
Christi dicáta córpore
Sic quem lavácra cónsecrant,
Hic náscitur proles Dei ;
Cœlum precanti pánditur.
Castis fit, expers sórdium,
Columba simplex móribus :
Divínus hunc intùs regit,
Agit, fovetque Spíritus.
O Christe, sacri gúrgitis
Quos abluisti fóntibus,
Tuo cruóre cándidos
Fac nulla labes ínquinet.
Mundi scelus qui díluis,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Conféssio et pulchritúdo in conspectu ejus; ℟. Sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus. *Ps.* 95.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. *D.* Jesus Christus diléxit nos, et lavit nos à peccátis nostris, et fecit nos regnum et sacerdótes Deo et Patri suo : ipsi glória in sécula. *Apoc.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit : præsta, quæsumus, ut per eum quem símilem nobis foris agnóvimus, intùs reformári mereámur : Qui tecum vivit.

AD PRIMAM.

Ant. 7. ç. Nisi quis renátus.

In ℟. *br.* ℣. Mundi scelus * qui díluis.

Canon proprius ad calcem, die XIII *Januarii.*

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Quod natum est.

Capitulum. (*Tit.* 3.)

Deus salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis, et renovatiónis Spiritûs sancti quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum Salva-

tórem nostrum ; ut justificáti grátià ipsíus, hærédes simus secundùm spem vitæ ætérnæ.

℟. br. Deduxit eos in abyssis, * et salvávit eos, * Allelúia, allelúia. Deduxit. ℣. Et opéruit aquâ * tribulantes eos, * Allelúia. Glória Patri. Deduxit. Ps. 105.

℣. Contribulásti cápita dracónum in aquis : ℟. Tu dirupisti fontes et torrentes. Ps. 73.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Ego.

Capitulum. (2. *Petr.* 1.)

Per Christum Deus máxima et pretiósa nobis promissa donávit; ut per hæc efficiámini divínæ consortes natúræ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem.

℟. br. Apud te, Dómine, * est fons vitæ, * Allelúia, allel. Apud te. ℣. Et in lúmine tuo * vidébimus lumen, * Allelúia. Glória. Apud te. Ps. 35.

℣. Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem; ℟. Proptéreà unxit te Deus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Ps. 44.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Qui credíderit.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

Christus dilexit Ecclésiam, et seipsum trádidit pro ea, ut illam sanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ ; ut exhibéret ipse sibi gloriósam Ecclésiam, non habentem máculam, aut rugam, aut áliquid hujúsmodi; sed ut sit sancta et immaculáta.

℟. br. Flúminis ímpetus * lætíficat civitátem Dei, * Allelúia, allel. Flúminis. ℣. Sanctificávit * tabernáculum suum Altíssimus, * Allelúia. Glória. Flúminis. Ps. 45.

℣. Rivos ejus inébria, Dómine : ℟. Multíplica genímina ejus. Ps. 64.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. g. Unus Dóminus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et Pater ómnium. *Ephes.* 4.

Ant. 5. C. Omnes fílii Dei estis per fidem quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizáti estis, Christum induistis. *Galat.* 3.

Ant. 2. D. Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. *Galat.* 3.

Ant. 6. F. Ablúti estis, sanctificáti estis, justificáti estis in nómine Dómini nostri Jesu Christi, et in Spíritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6.

Ant. 3. a. Caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis; et pax Christi exultet in córdibus vestris,

in qua et vocáti estis in uno córpore. *Coloss.* 3.

Capitulum. (1. *Cor.* 12.)

Omnia membra córporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus, sive Judæi, sive gentíles, sive servi, sive líberi.

Hymnus, Emergit, 326.

℣. Ego dixi: Dii estis, ℟. Et fílii Excelsi omnes. *Ps.* 81.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Jesus plenus Spíritu sancto, regressus est à Jordáne; et agebátur à Spíritu in desertum. *Luc.* 4.

Collecta ut suprà ad Laud.

Deinde fit Commem. S. Hilarii, ut in Proprio Sanctorum.

Posteà S. Felicis, ut in Proprio Sanctorum.

Ad Complet. *ut suprà* 295, *cum Doxologia* * Mundi scelus.

Ab Octava *Epiph. ad Præsent. Domini, in fine Hymnorum metri sequentis, nisi propriam Doxologiam habeant, dicitur Doxologia :*

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna secula. Amen.

Ad Primam, *in* ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine.

Ad Laudes et Vesp. *Commem. de Virg. Deipara, ut suprà* 280 *et* 282.

Lectiones sequentes leguntur à Dominica intra Octavam Epiphaniæ et per Hebdomad. loco Epistolæ ad Romanos.

DOMINICA
INTRA OCTAVAM EPIPHANIÆ,

Quæ est prima post Epiph.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

(Cap. 1.)

Paulus vocátus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, et Sósthenes frater, Ecclésiæ Dei quæ est Corínthi, sanctificátis in Christo Jesu, vocátis sanctis, cum ómnibus qui ínvocant nomen Dómini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsórum, et nostro : Grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quòd in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni sciéntia : sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis; ita ut nihil vobis desit in ulla grátia, expectántibus revelatiónem Dómini nostri Jesu Christi, qui et confirmábit vos usque in finem sine crímine, in die

adventûs Dómini nostri Jesu Christi. Fidélis Deus, per quem vocáti estis in societátem Fílii ejus Jesu Christi Dómini nostri.

LECTIO II.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Dómini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicátis omnes, et non sint in vobis schísmata; sitis autem perfecti in eódem sensu, et in eádem senténtia. Significátum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloës, quia contentiónes sunt inter vos. Hoc autem dico, quòd unusquisque vestrûm dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Divísus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nómine Pauli baptizáti estis? Grátias ago Deo, quòd néminem vestrûm baptizávi, nisi Crispum et Cáium; ne quis dicat quòd in nómine meo baptizáti estis. Baptizávi autem et Stéphanæ domum: céterùm nescio si quem álium baptizáverim. Non enim misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre; non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi.

LECTIO III.

Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? Ubi conquisítor hujus séculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credentes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifixum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam.

In II et III Nocturno leguntur Lectiones de Dominica intra Octavam, 308. *Si verò dies Octava Epiph. venerit in Dominica, leguntur de die Octava, suprà*, 322.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Epístola prima ad Corínthios.

(Cap. 2.)

Et ego cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum

Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitáte, et timóre, et tremóre multo fui apud vos : et sermo meus, et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne Spíritûs, et virtútis ; ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

LECTIO II.

Sapientiam autem lóquimur inter perfectos ; sapiéntiam verò non hujus séculi, neque príncipum hujus séculi, qui destruuntur : sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sécula in glóriam nostram, quam nemo príncipum hujus séculi cognóvit : si enim cognovissent, nunquam Dóminum glóriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est : Quòd óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. Nobis autem revelávit Deus per Spíritum suum ; Spiritus enim ómnia scrutátur, étiam profunda Dei. Quis enim hóminum scit quæ sunt hóminis, nisi spíritus hóminis, qui in ipso est ? ita et quæ Dei sunt nemo cognóvit, nisi Spíritus Dei.

LECTIO III.

Nos autem non spíritum hujus mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ à Deo donáta sunt nobis ; quæ et lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína Spíritûs, spirituálibus spirituália comparantes. Animális autem homo non pércipit ea quæ sunt Spíritûs Dei ; stultítia enim est illi, et non potest intellígere, quia spirituáliter examinátur. Spirituális autem júdicat ómnia ; et ipse à némine judicátur. Quis enim cognóvit sensum Dómini, qui ínstruat eum ? Nos autem sensum Christi habémus.

FERIA TERTIA,

LECTIO I.

De Epístola prima ad Corínthios.

(Cap. 3.)

Cum sit inter vos zelus et conténtio, nonne carnáles estis, et secundùm hóminem ambulátis ? Cùm enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli ; álius autem, Ego Apollo : nonne hómines estis ? Quid ígitur est Apollo ? quid verò Paulus ? Ministri ejus cui credidistis, et unicuíque sicut Dóminus dedit. Ego plantávi, Apollo rigávit ; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat, Deus. Qui autem plan-

tat, et qui rigat, unum sunt. Unusquìisque autem próprìam mercédem accípiet secundùm suum labórem. Dei enim sumus adjutóres, Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis.

LECTIO II.

Nescitis quia templum Dei estis, et Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei violáverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se sedúcat. Si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc século, stultus fiat, ut sit sápiens. Sapiéntia enim hujus mundi stultítia est apud Deum. Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astútia eórum. Et íterùm : Dóminus novit cogitatiónes sapiéntium, quóniam vanæ sunt. Nemo ítaque gloriétur in homínibus.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Hæc autem, fratres, transfigurávi in me et Apollo, propter vos; ut in nobis discátis ne supra quàm scriptum est, unus adversùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriáris quasi non accéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis : sine nobis regnátis; et útinam regnétis, ut et nos vobiscum regnémus! Puto enim quòd Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit, tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Epístola prima ad Corínthiós.

(Cap. 5.)

Omnino audítur inter vos fornicátio, et talis fornicátio, qualis nec inter gentes; ita ut uxórem patris sui áliquis hábeat. Et vos infláti estis; et non magis luctum habuistis, ut tollátur de médio vestrûm qui hoc opus fecit. Ego quidem absens córpore, præsens autem spíritu, jam judicávi ut præsens eum qui sic operátus est, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, congregátis vobis et meo spíritu, cum virtúte Dómini nostri Jesu, trádere hujúsmodi sátanæ in intéritum carnis, ut spíritus salvus sit in die Dómini nostri Jesu Christi. Non est bona gloriátio vestra. Nescítis quia módicum fermentum totam massam corrumpit?

LECTIO II.

(Cap. 6.)

Audet áliquis vestrûm habens negótium adversùs álterum, judicári apud iníquos, et non apud sanctos? An nescítis quóniam sancti de hoc mundo judicábunt? Et si in vobis judicábitur mundus, indigni estis qui de mínimis judicétis? Nescítis quóniam Angelós judicábimus? quantò magis seculária? Seculária ígitur judícia si habuéritis, contemptíbiles qui sunt in Ecclésia, illos constitúite ad judicandum. Ad verecúndiam vestram dico. Sic non est inter vos sápiens quisquam, qui possit judicáre inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judício contendit; et hoc apud infidéles.

LECTIO III.

Jam quidem omnínò delictum est in vobis, quòd judícia habétis inter vos. Quare non magis injúriam accípitis? Quare non magis fraudem patímini? Sed vos injúriam fácitis, et fraudátis; et hoc frátribus. An nescítis quia iníqui regnum Dei non possidébunt? Nolíte erráre: neque fornicárii, neque idólis serviéntes, neque adúlteri, neque molles, neque masculórum concubitóres, neque fures, neque avári, neque ebriósi, neque malédici, neque rapáces regnum Dei possidébunt. Et hæc quidem fuistis: sed ablúti estis, sed sanctificáti estis, sed justificáti estis in nómine Dómini nostri Jesu Christi, et in Spíritu Dei nostri.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Epístola prima ad Coríntbios.

(Cap. 6.)

Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergò membra Christi, fáciam membra meretrícis? Absit. An nescítis quóniam qui adhæret meretríci, unum corpus effícitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Dómino, unus spíritus est. Fúgite fornicatiónem. Omne peccátum quodcumque fécerit homo, extra corpus est; qui autem fornicátur, in corpus suum peccat. An nescítis quóniam membra vestra templum sunt Spíritûs sancti, qui in vobis est, quem habétis à Deo, et non estis vestrî? Empti enim estis prétio magno. Glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

LECTIO II.

(Cap. 7.)

De quibus autem scripsistis mihi; bonum est hómini mulíerem non tángere: propter fornicatiónem au-

tem unusquisque suam uxórem hábeat, et unaquæque suum virum hábeat. Uxóri vir débitum reddat, simíliter autem et uxor viro. Múlier sui córporis potestátem non habet, sed vir. Simíliter autem et vir sui córporis potestátem non habet, sed múlier. Nolíte fraudáre invícem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacétis oratióni, et íterùm revertímini in idipsum, ne tentet vos sátanas propter incontinéntiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgéntiam, non secundùm impérium.

LECTIO III

Hoc ítaque dico, fratres: tempus breve est. Réliquum est, ut et qui habent uxóres, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodò pláceat uxóri; et divísus est. Et múlier innupta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodò pláceat viro.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Epístola prima ad Corinthios.

(Cap. 9.)

Quæ est merces mea? ut Evangélium prædicans, sine sumptu ponam Evangélium, ut non abútar potestáte meâ in Evangélio. Nam cùm liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucrifácerem. Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrárer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege), ut eos qui sub lege erant, lucrifácerem: iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cùm sine lege Dei non essem; sed in lege essem Christi), ut lucrifácerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifácerem. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. Omnia autem fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus effíciar.

LECTIO II.

Nescitis quòd ii qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit brávium? Sic cúrrite, ut comprehendátis. Omnis au-

tem qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet; et illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorruptam. Ego ígitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi áerem vérberans; sed castígo corpus meum, et in servitútem rédigo, ne fortè cùm áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar.

LECTIO III.

(Cap. 12.)

De spirituálibus autem nolo vos ignoráre, fratres. Scitis quóniam cùm Gentes essétis, ad simulácra muta proùt ducebámini euntes. Ideò notum vobis fácio, quòd nemo in Spíritu Dei loquens, dicit anáthema Jesu. Et nemo potest dícere, Dóminus Jesus, nisi in Spíritu sancto. Divisiónes verò gratiárum sunt, idem autem Spíritus: et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus: et divisiónes operatiónum sunt, idem verò Deus qui operátur ómnia in ómnibus. Unicuíque autem datur manifestátio Spíritûs ad utilitátem. Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ; álii autem sermo sciéntiæ secundùm eumdem Spíritum: álteri fides in eódem Spíritu: álii grátia sanitátum in uno Spíritu: álii operátio virtútum, álii prophetía, alii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii intepretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis proùt vult.

SABBATO.

LECTIO I.

De Epístola prima ad Corínthios.

(Cap. 13.)

Si línguis hóminum loquar, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tínniens. Et si habúero prophetíam, et nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam; et si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum, ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest.

LECTIO II.

Cáritas pátiens est, benígna est: cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congaudet autem veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas nunquam éxcidit, sive

prophetíæ evacuabuntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Ex parte enim cognóscimus, et ex parte prophetámus. Cùm autem vénerit quod perfectum est, evacuábitur quod ex parte est.

LECTIO III.

Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus. Quando autem factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cógnitus sum. Nunc autem manent fides, spes, cáritas, tria hæc; major autem horum est cáritas.

¶ *Quando Septuagesima inciderit in Dominicam secundam post Epiphaniam, tunc hodie in Officio de Beatâ, prima Lect. erit de initio Epist. II ad Corinth. tribus in unam junctis; secunda de Beatâ; tertia verò de Homil. in Evang. Dominicæ II, cum Commem. ejusdem Dom. in Laud. tantùm. Vesperæ verò ut in Sabbato ante Septuagesimam. Et deinceps nihil fiet de Officio à Circumcis. ad Præsent. Domini, nisi Commem. de Virg. Deiparâ ad Laudes et ad Vesp.* ℟. *br. ad Primam, et Doxologia,* Qui natus es.

DOMINICA II

POST EPIPHANIAM.

Fit de SS. Nomine Jesu, ut in Proprio Sanctorum mensis Januarii.

In I. Vesperis, *fit Commerat. Sabbati.*

Ant. 5. a. Si qua in Christo nova creatúra, vétera transiérunt: ecce facta sunt ómnia nova. 2. *Corinth.* 5.

℣. Vidérunt omnes términi terræ ℟. Salutáre Dei nostri. *Ps.* 95.

Collecta, Omnípotens, *infrà.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

(Cap. 1.)

Paulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, et Timótheus frater, Ecclésiæ Dei quæ est Corinthi, cum ómnibus sanctis qui sunt in universa Acháia: Grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra; ut possímus et ipsi consolári eos qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem quâ exhortá-

mur et ipsi à Deo. Quóniam sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolátio nostra. Sive autem tribulámur, pro vestra exhortatióne et salúte; sive consolámur, pro vestra consolatióne; sive exhortámur, pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur tolerántiam earumdem passiónum, quas et nos pátimur; ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes quòd sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis.

LECTIO II.

Non enim vólumus ignoráre vos, fratres, de tribulatióne nostra quæ facta est in Asiá; quóniam supra modum graváti sumus supra virtútem, ita ut tæderet nos étiam vívere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habúimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui súscitat mórtuos: qui de tantis perículis nos erípuit, et éruit: in quem sperámus quóniam et adhuc erípiet, adjuvántibus et vobis in oratióne pro nobis; ut ex multórum persónis, ejus quæ in nobis est donatiónis, per multos grátiæ agantur pro nobis.

LECTIO III.

Nam glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ *nostræ*, quòd in simplicitáte cordis et sinceritáte Dei, et non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversáti sumus in hoc mundo; abundántiùs autem ad vos. Non enim ália scríbimus vobis, quàm quæ legistis et cognovistis. Spero autem quòd usque in finem cognoscétis, sicut et cognovistis nos ex parte, quòd glória vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi.

IN III.º NOCTURNO

Pro Commemoratione Dominicæ, legitur sequens

LECTIO IX.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 2.)

In illo témpore; Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater Jesu ibi: vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 8, in Joan. n. 1 et 3.)

Quis est qui consíderat ópera Dei quibus régitur et administrátur totus hic mundus, et non obstupescit obruiturque miráculis? Sed quia hómines in áliud intenti perdidérunt consideratiónem óperum Dei, in qua darent laudem quotídie Creatóri; servávit sibi Deus inusitáta quædam quæ fáce-

tanquam dormientes
s ad se colendum mi-
s excitáret. Prióra
la fecit per Verbum
Deum apud se; poste-
cit per ipsum Verbum
ncarnátum. Cùm er-
a videámus facta per
esum, quid mirámur
in vinum conversam
minem Jesum? ipse
c, qui illa ómnia.
AUDES, *pro Comme-*
ne Domínicæ,
3. *á.* Ut gustávit ar-
línus aquam vinum
, vocat sponsum, et
: Servasti bonum vi-
que adhuc. *Joan.* 2.
tende, prósperè pro-
℣. Et regna propter
em, et mansuetúdi-
t justítiam. *Ps.* 44.

LECTA. Orémus.

POTENS, sempiterne
qui cœléstia simul et
moderáris : suppli-
s pópuli tui clemen-
udi, et pacem tuam
concéde tempóri-
r Dóminum nostrum
Christum.

VESPERAS, *pro Com-*
tione Domínicæ.

1. d. Fecit inítium
m Jesus in Cana Ga-
et manifestávit gló-
am; et credidérunt in
scípuli ejus. *Joan.* 2.
u es ipse Rex meus,
meus; ℟. Qui man-
ites Jacob. *Ps.* 43.
cla, ut suprà.

FERIA SECUNDA HEBDOMADÆ II POST EPIPH.

LECTIO I.

De Epístola secunda ad Corínthios.

(Cap. 2.)

STATUI hoc ipsum apud me, ne íterùm in tristítia venírem ad vos. Si enim ego contristo vos, et quis est qui me lætíficet, nisi qui contristátur ex me? Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cùm vénero, tristítiam super tristítiam hábeam, de quibus oportúerat me gaudére: confídens in ómnibus vobis, quia meum gáudium ómnium vestrûm est. Nam ex multa tribulatióne, et angústia cordis scripsi vobis per multas lácrymas; non ut contristémini, sed ut sciátis quam caritátem hábeam abundántiùs in vobis.

LECTIO II.

SI quis autem contristávit, non me contristávit; sed ex parte, ut non ónerem omnes vos. Súfficit illi qui ejúsmodi est, objurgátio hæc quæ fit à plúribus; ita ut è contrário magis donétis et consolémini, ne fortè abundantióri tristítiâ absorbeátur qui ejúsmodi est. Propter quod óbsecro vos, ut confirmétis in illum caritátem. Ideò enim et scripsi ut cognoscam experimentum ves-

trum, an in ómnibus obedientes sitis. Cui autem áliquid donastis, et ego : nam et ego quod donávi, si quid donávi, propter vos in persóna Christi, ut non circumveniámur à sátana; non enim ignorámus cogitatiónes ejus.

LECTIO III.

Deo autem grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odórem notítiæ suæ manifestat per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui péreunt : áliis quidem odor mortis in mortem; áliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idóneus? Non enim sumus sicut plúrimi, adulterantes verbum Dei; sed ex sinceritáte, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo lóquimur.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Epístola secunda ad Corínthios.

(Cap. 3.)

Incipimus íterùm nosmetipsos commendáre? Aut numquid egémus (sicut quidam) commendatítiis epístolis ad vos, aut ex vobis? Epístola nostra vos estis, scripta in córdibus nostris, quæ scitur et légitur ab ómnibus homínibus : manifestáti quòd epístola estis Christi, ministráta à nobis, et scripta non atramento, sed Spíritu Deí vivi; non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus. Fidúciam autem talem habémus per Christum ad Deum; non quòd sufficientes simus cogitáre áliquid à nobis, quasi ex nobis : sed sufficiéntia nostra ex Deo est, qui et idóneos nos fecit ministros novi testamenti, non lítterâ, sed spíritu; líttera enim occídit, spíritus autem vivíficat.

LECTIO II.

(Cap. 4.)

Non enim nosmetipsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum : nos autem servos vestros per Jesum; quóniam Deus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illuxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesaurum istum in vasis fictílibus; ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur : aporiámur, sed non destitúimur : persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur : dejícimur, sed non perímus; semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. Semper enim nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum; ut

et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli.

LECTIO III.

Propter quod non defícimus : sed licèt is qui foris est, noster homo corrumpátur; tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentáneum, et leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporália sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Epístola secunda ad Corínthios.

(Cap. 5.)

Scimus quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quod ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti; eò quod nólumus expoliári, sed supervestíri; ut absorbeátur quod mortále est, à vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spíritûs.

LECTIO II.

Audentes ígitur semper, scientes quóniam dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem); audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, et præsentes esse ad Dóminum. Et ídeò conténdimus, sive absentes, sive præsentes, placére illi. Omnes enim nos manifestári oportet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquisque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

LECTIO III.

Caritas enim Christi urget nos; æstimantes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt : et pro ómnibus mórtuus est Christus; ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est, et resurrexit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secundùm carnem. Et si cognóvimus secundùm carnem Christum; sed nunc jam non nóvimus. Si qua ergo in Christo nova creatúra, vétera transiérunt : ecce facta sunt ómnia nova. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit sibi per Christum, et

dedit nobis ministérium reconciliatiónis.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Epístola secunda ad Corínthios.

(Cap. 7.)

Nunc gáudeo; non quia contristáti estis, sed quia contristáti estis ad pœniténtiam. Contristáti enim estis secundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiámini ex nobis. Quæ enim secundùm Deum tristítia est, pœniténtiam in salútem stábilem operátur; séculi autem tristítia mortem operátur. Ecce enim hoc ipsum secundùm Deum contristári vos, quantam in vobis operátur sollicitúdinem; sed defensiónem, sed indignatiónem, sed timórem, sed desidérium, sed æmulatiónem, sed vindictam. In ómnibus exhibuistis vos incontaminátos esse negótio. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit injúriam, nec propter eum qui passus est, sed ad manifestandam sollicitúdinem nostram quam habémus pro vobis coram Deo.

LECTIO II.

(Cap. 9.)

Qui parcè séminat, parcè et metet; et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. Unusquisque proùt destinávit in corde suo, non ex tristítia, aut ex necessitáte; hílarem enim datórem díligit Deus. Potens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis; ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habentes, abundétis in omne opus bonum.

LECTIO III.

(Cap. 10.)

In carne ambulantes, non secundùm carnem militámus. Nam arma milítiæ nostræ non carnália sunt, sed poténtia Deo ad destructiónem munitiónum, consília destruentes et omnem altitúdinem extollentem se adversùs sciéntiam Dei, et in captivitátem redigentes omnem intellectum in obséquium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobediéntiam, cùm impléta fúerit vestra obediéntia.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Epístola secunda ad Corínthios.

(Cap. 11.)

Quoniam multi gloriantur secundùm carnem, et ego gloriábor. Libenter enim suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes. Sustinétis enim si quis vos in servitútem rédigit, si quis dévorat, si quis áccipit, si quis extóllitur, si quis in fáciem

vos cædit. Secundùm ignobilitátem dico, quasi nos infirmi fuérimus in hac parte. In quo quis audet, (in insipiéntia dico) áudeo et ego. Hebræi sunt, et ego : Israelítæ sunt, et ego : semen Abrahæ sunt, et ego : ministri Christi sunt, (ut minùs sápiens dico), plùs ego : in labóribus plúrimis, in carcéribus abundántius, in plagis supra modum, in mórtibus frequenter.

LECTIO II.

(Cap. 12.)

Si gloriári oportet, (non éxpedit quidem) véniam autem ad visiónes et revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim, sive in córpore, néscio, sive extra corpus, néscio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tértium cœlum. Et scio hujusmodi hóminem, sive in córpore, sive extra corpus, néscio, Deus scit, quóniam raptus est in paradísum, et audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui. Pro hujúsmodi gloriábor : pro me autem nihil gloriábor nisi in infirmitátibus meis. Nam et si volúero gloriári, non ero insípiens; veritátem enim dicam. Parco autem, ne quis me exístimet supra id quod videt in me, aut áliquid audit ex me.

LECTIO III.

Et ne magnitúdo revelatiónum extollat me, datus est mihi stímulus carnis meæ, ángelus sátanæ, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi, ut discéderet à me; et dixit mihi ; Súfficit tibi grátia mea; nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libenter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi. Propter quod pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in necessitátibus, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo; cùm enim infirmor, tunc potens sum.

SABBATO.

LECTIO I.

De Epístola secunda ad Corínthios.

(Cap. 13.)

Ecce tértio hoc vénio ad vos. In ore duórum vel trium téstium stabit omne verbum. Prædixi, et prædíco, ut præsens et nunc absens, iis qui ante peccavérunt, et céteris ómnibus, quóniam si vénero íterùm, non parcam. An experimentum quæritis ejus qui in me lóquitur Christus, qui in vobis non infirmátur, sed potens est in vobis? Nam etsi crucifixus est ex infirmitáte; sed vivit ex virtúte Dei. Nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivémus cum eo ex virtúte Dei in vobis.

LECTIO II.

Vosmetipsos tentáte si estis in fide: ipsi vos probáte. An non cognóscitis vosmetipsos quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte réprobi estis. Spero autem quòd cognoscétis quia nos non sumus réprobi. Orámus autem Deum, ut nihil mali faciátis, non ut nos probáti appareámus, sed ut vos, quod bonum est, faciátis; nos autem ut réprobi simus. Non enim póssumus áliquid adversùs veritátem, sed pro veritáte. Gaudémus enim quóniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc et orámus vestram consummatiónum.

LECTIO III.

Ideo hæc absens scribo, ut non præsens dúriùs agam secundùm potestátem quam Dóminus dedit mihi in ædificatiónem, et non in destructiónem. De cétero, fratres, gaudéte, perfecti estóte, exhortámini, idem sápite, pacem habéte; et Deus pacis et dilectiónis erit vobiscum. Salutáte ínvicem in ósculo sancto. Salútant vos omnes sancti. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis. Amen. Tu autem.

Ad Vesperas, *Psalmi ut in Psalt. Cetera ut notantur suprà pro Sabbatis et Dominicis à Circumcis. ad Præsent.* 277.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Scientes quòd nón justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu crédimus. *Galat.* 2.

℣. Vidérunt omnes términi terræ ℟. Salutáre Dei nostri. *Ps.* 97.

Collecta ut infrà ad Laud.

DOMINICA III

POST EPIPHANIAM.

Omnia ut in Dominicis à Circumcis. ad Præsent. 278, *exceptis quæ sequuntur.*

IN I.o NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

(Cap. 1.)

Paulus Apóstolus non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem qui suscitávit eum à mórtuis; et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclésiis Galátiæ: Grátia vobis et pax à Deo Patre, et Dómino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccátis nostris, ut eríperet nos de præsenti século nequam, secundùm voluntátem Dei et Patris nostri, cui est glória in sécula seculórum. Amen. Tu autem.

℟. Apud Dóminum misericórdia et copiósa apud eum redémptio * Et ipse rédimet Israel ex ómnibus iniquitátibus ejus. ℣. Salvátor noster

Jesus Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte: * Et ipse. *Ps.* 129. *Tit.* 2.

LECTIO II.

Miror quòd sic tam citò transferímini ab eo qui vos vocávit in grátiam Christi, in áliud Evangélium; quod non est áliud, nisi sunt áliqui qui vos conturbant, et volunt convértere Evangélium Christi. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelízet vobis præterquam quod evangelizávimus vobis, anáthema sit. Sicut prædíximus, et nunc íterùm dico: Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepistis, anáthema sit. Modò enim homínibus suádeo, an Deo? An quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem.

℟. Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum; et humiliábit calumniatórem: * Oriétur in diébus ejus justítia. ℣. Christum propósuit Deus, ad ostensiónem justítiæ ejus in hoc témpore; ut sit ipse justus, et justíficans eum qui est ex fide Jesu Christi. * Oriétur. *Ps.* 71. *Rom.* 3.

LECTIO III.

Notum enim vobis fácio, fratres, Evangélium quod evangelizátum est à me, quia non est secundùm hóminem. Neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Jesu Christi. Audistis enim conversatiónem meam aliquando in Judaismo; quóniam supra modum persequébar Ecclésiam Dei, et expugnábam illam, et proficiébam in Judaismo supra multos coætáneos meos in génere meo, abundántiùs æmulátor existens paternárum meárum traditiónum. Cùm autem plácuit ei qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in géntibus, contínuò non acquiévi carni et sánguini.

℟. Rectum est verbum Dómini, et ómnia ópera ejus in fide: * Díligit misericórdiam et judícium; † Misericórdià Dómini plena est terra. ℣. In Christo Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium: sed fides quæ per caritátem operátur: * Díligit. Glória. † Misericórdia. *Ps.* 32. *Galat.* 5.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

De Expositióne sancti Augustíni Epíscopi in Epístolam ad Gálatas.

(Præf. initio.)

Causa propter quam scribit Apóstolus ad Gálatas, hæc est: Ut intélligant grátiam Dei id secum ágere, ut sub

lege jam non sint. Cùm enim prædicáta eis esset Evangélii grátia, non defuérunt quidam ex circumcisióne, quamvis Christiáni nómine, nondum tamen tenentes ipsum grátiæ benefícium, et adhuc volentes esse sub onéribus legis, quæ Dóminus Deus imposúerat, non justítiæ serviéntibus, sed peccáto; justam scílicet legem injustis homínibus dando, ad demonstranda peccáta eórum, non auferenda. Non enim aufert peccáta, nisi grátia fídei, quæ per dilectiónem operátur.

℟. Adjuva me, Dómine Deus meus: salvum me fac secundùm misericórdiam tuam; et sciant * Quia manus tua hæc, et tu, Dómine, fecisti eam. ℣. Grátià estis salváti per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est; non ex opéribus, ut ne quis gloriétur: * Quia. *Ps.* 108. *Ephes.* 2.

LECTIO V.

Sub hac ergo grátia jam Gálatas constitútos illi volébant constitúere sub onéribus legis, asseverantes nihil eis prodesse Evangélium, nisi circumciderentur, et céteras carnáles Judáici ritûs observatiónes subírent. Et ídeò Paulum Apóstolum suspectum habére cœperant, à quo illis Evangélium prædicátum erat, tanquam non tenentem disciplínam ceterórum Apostolórum qui gentes cogébant judaizáre.

℟. Super omnem terram glória tua, Deus; * Ut liberentur dilecti tui, salvum fac déxterâ tuâ, et exaudi me. ℣. Grátia quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora seculária, manifestáta est nunc per illuminatiónem salvatóris nostri Jesu Christi; * Ut. *Ps.* 107. 2. *Tim.* 1.

LECTIO VI.

Talis quidem quæstio est et in Epístola ad Romános. Verúmtamen vidétur áliquid interesse, quod ibi contentiónem ipsam dírimit, litemque compónit, quæ inter eos qui ex Judæis, et eos qui ex géntibus credíderant, orta erat; cùm illi tanquam ex méritis óperum legis, sibi rédditum Evangélii præmium arbitrarentur, quod præmium incircumcísis tanquam imméritis nolébant dari; illi contrà Judæis se præferre gestírent, tanquam interfectóribus Dómini. In hac verò Epístola, ad eos scribit, qui jam commóti erant auctoritáte illórum qui ex Judæis erant, et ad observatiónes legis cogébant.

℟. Dóminus petra mea, et robur meum, sperábo in eum: * Salvátor meus, † De iniquitáte liberábis me. ℣. Lex spíritûs vitæ in Christo Jesu liberávit me à lege peccáti et mortis: * Salvátor

Glória. ✝ De iniquitáte. 2. *Reg.* 22. *Rom.* 8.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 8.)

In illo témpore : Cùm descendisset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ; et ecce leprósus véniens, adorábat eum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 1. Comment. in cap. 8. Matth.)

De monte Dómino descendente, occurrunt turbæ; quia ad altióra ascéndere non valuérunt. Et primus ei occurrit leprósus : necdum enim póterat cum lepra tam multíplicem in monte Salvatóris audíre sermónem. Et notandum, quòd hic primus speciáliter curátus sit; secundo, puer Centuriónis : tértio, socrus Petri fébriens in Caphárnaüm: quarto loco, qui obláti sunt et à dæmónio vexáti, quorum spíritus verbo ejiciébat, quando omnes malè habentes curávit.

℟. Cùm descendisset Jesus de monte, ecce leprósus véniens, adorábat eum, dicens : Dómine, * Si vis, potes me mundáre. ℣. Dómine Deus, non erit tibi diffícile omne verbum : * Si vis. *Matth.* 8. *Jerem.* 32.

LECTIO VIII.

Et ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens : Rectè post prædicatiónem atque doctrínam, signi offertur occásio, ut per virtútum mirácula prætéritus apud audientes sermo firmétur. Dómine, si vis, potes me mundáre. Qui voluntátem rogat, de virtúte non dúbitat. Et extendens Jesus manum, tétigit eum, dicens : Volo; Mundáre. Extendente manum Dómino, statim lépra fugit. Simulque consídera quàm húmilis et sine jactántia respónsio. Ille díxerat : Si vis; Dóminus respondit : Volo. Ille præmíserat : Potes me mundáre : Dóminus jungit, et dicit : Mundáre. Non ergo, ut plerique latinórum putant, jungendum est et legendum, volo mundáre, sed separátim, ut primùm dicat, Volo; deindè ímperans dicat : Mundáre.

℟. Jesus misertus ejus, extendit manum suam; et tangens eum, * Ait illi : Volo, mundáre : et statim mundátus est. ℣. Omne quod volúerit, fáciet; et sermo illíus potestáte plenus est. * Ait. *Marc.* 1. *Eccles.* 8.

LECTIO IX.

Et ait illi Jesus : Vide, némini díxeris. Et revérà quid

erat necesse ut sermóne jactáret, quod córpore præferébat? Sed vade, ostende te Sacerdótibus, et offer munùs quod præcépit Móyses, in testimónium illis. Várias ob causas mittit eum ad Sacerdótes. Primùm propter humilitátem, ut Sacerdótibus deferre honórem videátur. Erat enim lege præceptum, ut qui mundáti fúerant à lepra, offerrent múnera Sacerdótibus. Deinde ut mundátum videntes leprósum, aut créderent Salvatóri, aut non créderent: si créderent, salvarentur; si non créderent, inexcusábiles forent: et simul ne, quod in eo sæpíssimè criminabantur, legem viderétur infríngere.

℟. Ait Jesus: Vide, némini díxeris; sed vade, * Ostende te sacerdóti, et ✝ Offer munus quod præcépit Móyses in testimónium illis. ℣. Hic est ritus leprósi, quando mundandus est: Adducétur ad sacerdótem, qui præcípiet ei ut ófferat. * Ostende. Glória Patri. ✝ Offer. *Matth.* 8. *Levit.* 14.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. a. Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, et malè torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, et curábo eum. *Matth.* 8.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens, sempiterne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice; atque, ad protegendum nos, déxteram tuæ majestátis extende; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Dixit Jesus Centurióni: Vade, et sicut credidisti fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora. *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Epístola ad Gálatas.

(Cap. 2.)

Scientes quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi; et nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi et non ex opéribus legis: propter quod ex opéribus legis non justificábitur omnis caro. Quod si quærentes justificári in Christo, inventi sumus et ipsi peccatóres, numquid Christus peccáti minister est? Absit. Si enim quæ destruxi, íterùm hæc ædífico, prævaricatórem me constítuo. Ego enim per legem legi mórtuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego; vivit verò in me Christus. Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei qui dilexit me, et trádidit semetipsum pro me. Non abjício grátiam Dei. Si enim per legem justítia, ergo gratis Christus mórtuus est.

℟. Apud Dóminum, 342.

LECTIO II.

(Cap. 3.)

O INSENSATI Gálatæ, quis vos fascinávit non obedíre veritáti, ante quorum óculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? Hoc solùm à vobis volo díscere : Ex opéribus legis Spíritum accepistis, an ex audítu fídei? Sic stulti estis, ut cùm spíritu cœpéritis, nunc carne consummémini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Qui ergo tríbuit vobis Spíritum, et operátur virtútes in vobis; ex opéribus legis, an ex audítu fídei? Sicut scriptum est : Abraham crédidit Deo, et reputátum est illi ad justítiam. Cognóscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt fílii Abrahæ.

℟. Judicábit, 343.

LECTIO III.

PROVIDENS autem Scriptúra, quia ex fide justíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ : Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fidéli Abraham. Quicumque enim ex opéribus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim : Maledictus omnis qui non permánserit in ómnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut fáciat ea. Quóniam autem in lege nemo justificátur apud Deum, manifestum est quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide; sed, Qui fécerit ea, vivet in illis. Christus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno; ut in géntibus benedíctio Abrahæ fíeret in Christo Jesu, ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem.

℟. Rectum est, 343.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas

(Cap. 5.)

VOS in libertátem vocáti estis, fratres : tantùm ne libertátem in occasiónem detis carnis, sed per caritátem Spíritûs servíte ínvicem. Omnis enim lex in uno sermóne implétur : Díliges próximum tuum sicut teipsum. Quòd si ínvicem mordétis et comédilis, vidéte ne ab ínvicem consumámini. Dico autem : Spíritu ambuláte, et desidéria carnis non perficiétis. Caro enim concupiscit adversùs spíritum; spíritus autem adversùs carnem : hæc enim sibi ínvicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciátis. Quòd si Spíritu ducímini, non estis sub lege. Manifesta sunt autem ópera carnis : quæ sunt fornicátio immundítia, impudíci-

tia, luxúria, idolórum sérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, dissensiónes, sectæ, invídiæ, homicídia, ebrietátes, comessatiónes, et his simília, quæ prædíco vobis sicut prædixi; quóniam qui tália agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem Spíritûs est cáritas, gáudium, pax, patiéntia, benígnitas, bónitas, longanímitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas.

℟. Adjuva me, 344.

LECTIO II.

(Cap. 6.)

Fratres, etsi præoccupátus fúerit homo in áliquo delicto, vos qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans teipsum, ne et tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. Nam si quis exístimat se áliquid esse, cùm nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantùm glóriam habébit, et non in áltero: unusquisque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is qui catechizátur verbo, ei qui se catechízat in ómnibus bonis. Nolíte erráre, Deus non irridétur. Quæ enim semináverit homo, hæc et metet. Quóniam *qui* séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem; qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam.

℟. Super omnem, 344.

LECTIO III.

Videte quálibus lítteris scripsi vobis meâ manu. Quicumque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circumcídi, tantùm ut crucis Christi persecutiónem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem custódiunt; sed volunt vos circumcídi, ut in carne vestra gloriéntur. Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicumque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israel Dei. De cétero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmáta Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen. Tu autem.

℟. Dóminus, 344.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Incipit Epistola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

(Cap. 1.)

Paulus Apóstolus Jesu

Christi per voluntátem Dei, ómnibus sanctis qui sunt Ephesi, et fidélibus in Christo Jesu : Grátia vobis, et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspectu ejus in caritáte.

℟. Apud Dóminum, 342.

LECTIO II.

Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilecto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secundùm divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia; ut notum fáceret nobis sacramentum voluntátis suæ, secundùm beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt, in ipso.

℟. Judicábit, 343.

LECTIO III.

In quo étiam et nos sorte vocáti sumus, prædestináti secundùm propósitum ejus, qui operátur ómnia secundùm consílium voluntátis suæ; ut simus in laudem glóriæ ejus; nos qui antè sperávimus in Christo : in quo et vos, cùm audissétis verbum veritátis (Evangélium salútis vestræ), in quo et credentes signáti estis Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

℟. Rectum, 343.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Ephésios.

(Cap. 2.)

Nos omnes aliquando conversáti sumus in desidériis carnis nostræ, facientes voluntátem carnis et cogitatiónum; et erámus natúrâ fílii iræ, sicut et céteri. Deus autem qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam quâ dilexit nos, et cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, (cujus grátiâ estis salváti) et conresuscitávit, et consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu; ut osténderet in séculis superveniéntibus abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu. Grátiâ enim estis salváti per fidem, et hoc non ex vobis;

Dei enim donum est, non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis quæ præparávit Deus, ut in illis ambulémus.

℟. Adjuva me, 344.

LECTIO II.

Propter quod mémores estóte, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicímini præpútium, ab ea quæ dícitur circumcísio in carne, manu facta; quia erátis illo in témpore sine Christo, alienáti à conversatióne Israel, et hóspites testamentórum, promissiónis spem non habentes, et sine Deo, in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando erátis longè, facti estis propè in sánguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, et médium paríetem macériæ solvens, inimicítias in carne sua; legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hóminem, fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetipso.

℟. Super omnem, 344.

LECTIO III.

Et véniens evangelizávit pacem vobis qui longè fuistis, et pacem iis qui propè; quóniam per ipsum habémus accessum ambo in uno Spíritu ad Patrem. Ergo jam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei, superædificáti super fundamentum Apostólorum et Prophetárum, ipso summo angulári lapide Christo Jesu: in quo et omnis ædificátio constructa crescit in templum sanctum in Dómino; in quo vos coædificámini in habitáculum Dei in Spiritu.

℟. Dominus, 344.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Ephésios.

(Cap. 4.)

Obsecro vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne quà vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum patiéntia, supportantes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, et unus spíritus; sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis.

℟. Apud Dóminum, 342.

LECTIO II.

Unicuique autem nostrûm data est grátia secundùm mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit: As-

cendens in altum captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primùm in inferióres partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impléret ómnia.

℟. Judicábit, 343.

LECTIO III.

Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres et Doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi, donec occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perfectum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi; ut jam non simus párvuli fluctuantes, et circumferámur omni vento doctrínæ, in nequítia hóminum, in astútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem facientes in caritáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus.

℟. Rectum est, 343.

SABBATO.

LECTIO I.

De Epístola ad Ephésios.

(Cap. 5.)

Estote imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi: et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus dilexit nos, et trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis. Fornicátio autem, et omnis immundítia, aut avarítia, nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitúdo, aut stultilóquium, aut scurrílitas quæ ad rem non pértinet; sed magis gratiárum áctio. Hoc enim scitóte intelligentes, quòd omnis fornicátor, aut immundus, aut avárus, (quod est idolórum sérvitus) non habet hæreditátem in regno Christi et Dei.

LECTIO II.

Nemo vos sedúcat inánibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in fílios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut fílii lucis ambuláte, (fructus enim lucis est in omni bonitáte, et justítià, et veritáte:) probantes quid sit beneplácitum Deo: et nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum; magis autem redargúite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dícere. Omnia autem quæ arguuntur, à lúmine manifestantur; omne enim quod manifestátur, lumen est. Propter quod dicit: Surge,

qui dormis ; et exurge à mórtuis : et illuminábit te Christus.

LECTIO III.

(Cap. 6.)

De cétero, fratres, confortámini in Dómino, et in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stáre adversùs insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio adversùs carnem et sánguinem, sed adversùs príncipes et potestátes, adversùs mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ in cœléstibus. Proptéreà accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritáte, et indúti lorícam justítiæ, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis : in ómnibus sumentes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea extínguere.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Omnia detrimentum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam. *Philipp.* 3.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos; pro humána scis fragilitáte non posse subsístere : da nobis salútem mentis et córporis, ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte, vincámus; Per Dóminum.

DOMINICA IV

POST EPIPHANIAM.

Ante Præsentationem Officium, ut suprà, 278. Post Præsentationem, Officium ut in Psalterio.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

(Cap. 1.)

Paulus, et Timótheus, servi Jesu Christi, ómnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Epíscopis, et Diacónibus : Grátia vobis, et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo in omni memória vestrî, semper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis, cum gáudio deprecatiónem fáciens super communicatióne vestra in Evangélio Christi, à prima die usque nunc ; confídens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu : sicut est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis; eò quòd hábeam vos in corde, et in vínculis meis, et in defensióne et confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse.

℟. Voluntátem timéntium se fáciet Dóminus, et

deprecatiónem eórum exáudiet, et salvos fáciet eos. * Custódit Dóminus omnes diligentes se. ℣. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat : sed generátio Dei conservat eum. * Custódit. *Ps.* 144. 1. *Joan.* 5.

LECTIO II.

Testis enim mihi est Deus quómodò cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abundet in sciéntia et in omni sensu; ut probétis potióra, ut sitis sincéri et sine offensa in diem Christi, repléti fructu justítiæ per Jesum Christum in glóriam et laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venérunt Evangélii : ita ut víncula mea manifésta fíerent in Christo in omni prætório, et in céteris ómnibus; et plures è frátribus in Dómino confidentes vínculis meis, abundántiùs audérent sine timóre verbum Dei loqui.

℟. Dómine, vísita nos in salutári tuo, * Ad videndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítia gentis tuæ; ut lauderis cum hæreditáte tua. ℣. Iis qui coæquálem nobiscum sortíti sunt fidem in justítia Dei nostri et Salvatóris Jesu Christi, grátia et pax adimpleátur, * Ad videndum in bonitáte. *Ps.* 105. 2. *Petr.* 1.

LECTIO III.

Quidam quidem et propter invídiam et contentiónem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant; quidam ex caritáte, scientes quóniam in defensiónem Evangélii pósitus sum. Quidam autem ex contentióne Christum annúntiant non sincérè, existimantes pressúram se suscitáre vínculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasiónem, sive per veritátem Christus annuntiétur, et in hoc gáudeo, sed et gaudébo. Scio enim quia hoc mihi provéniet ad salútem per vestram oratiónem, et subministratiónem Spíritûs Jesu Christi.

℟. Salvábis me, Dómine, a contradictiónibus pópuli mei; custódies me in caput géntium : pópulus quem ignóro, sérviet mihi : * Et exaltábitur Deus fortis salútis meæ. ℣. Sermo Dei currat et clarificétur; * Et. Glória Patri. * Et. 2. *Reg.* 22. 2. *Thess.* 3.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Commentário sancti Joannis Chrysóstomi in Epístolam ad Philippenses.

(In Præf. n. 2.).

Paulus testimónium Phi-

lippénsibus dat, non solùm fídei et periculórum nómine, sed étiam beneficéntiæ, ubi, inquit, quòd et in princípio Evangélii, et semel et bis in usum mihi misistis, némine álio id præstante. Hæc ígitur et nos intelligentes, aggrediámur ipsi digni fíeri hujúsmodi exemplis, et primùm quidem promptos ac parátos nos ostendámus pro Christo pati. At enim hoc témpore non est qui Christiános insectétur et vexet. Ergo, ubi nihil áliud, saltem efficácem et vehementem illórum beneficéntiam imitémur; neque ubi semel atque íterùm dedérimus, omni offício perfunctos nos arbitrémur. Etenim per omnem vitam id faciendum est.

℟. Clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; et de necessitátibus eórum liberávit eos. * Misit verbum suum, et sanávit eos; et erípuit eos de interitiónibus eórum. ℣. Vidistis quóniam miséricors Dóminus est et miserátor, * Misit verbum suum. *Ps.* 106. *Jac.* 5.

LECTIO V.

Nostis profectò, nostis et vos ex pecúniis mala ómnia, ex pecúniis sexcenta bella solére exístere. Quamobrem qui illas contémnere dídicit, tranquillo in portu seipsum locávit, nec damnum posthac métuit. Ad hanc enim disciplínam illum eleemósyna erudívit: non áppetit posthac aliéna; quómodò enim, cùm sua profundat ac donet? Nullà posthàc dívitis invídià tángitur: quómodò enim, cùm pauper fíeri velit? Ipsumque ánimæ óculum ab omni labe purum reddit. Atque hæc quidem hìc: quorum verò ibi bonórum compos futúrus sit, nulla unquam orátio queat expónere. Non unà cum stultis virgínibus foris manébit, sed unà cum prudéntibus, unà cum sponso introíbit, spléndidas habens lámpades.

℟. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum; * Quia suscépit eos de via iniquitátis eórum. ℣. Suscípite infirmos, semper quod bonum est sectámini in omnes: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu; * Quia. *Ps.* 106. 1. *Thess.* 5.

LECTIO VI.

Itaque si ex misericórdia atque hóminum amóre, Deus homo factus est, imò si eò adductus est ut servus fíeret; multò magis propter eam servos in domum introdúcet suam. Hanc amémus, hanc colámus, non uno aut áltero die, sed per omne tempus; ut ipsa nos bene notos hábeat. Nam si ea nos nóverit, et Dóminus noscet; sin ignóret, Dóminus étiam

ignorábit, ac dicet, Néscio vos. Verùm absit ut hanc nos vocem audiámus, sed beátam illam: Veníte, benedicti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum à constitutióne mundi; quod útinam nos omnes consequámur in Christo Jesu Dómino nostro, cum quo Patri, unàque sancto Spirítui glória, impérium, honos, nunc et semper, in sécula seculórum. Amen. Tu autem.

℟. Misericórdiam et veritátem díligit Deus: * Grátiam et glóriam dabit Dóminus; † Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia. ℣. Hílarem datórem díligit Deus; potens est autem omnem grátiam abundáre fácere in vobis. * Grátiam. Glória Patri. † Non privábit. *Ps*. 83. 2. *Cor*. 9.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 8.)

In illo témpore; Ascendente Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus: et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; ipse verò dormiébat. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Enarr. 2. in Psalm. 25.)

Audistis in Evangélio: Periclitabátur navígium in stagno, et dormiébat Jesus. Navigámus per quoddam stagnum, et ventus et procellæ non desunt; tentatiónibus quotidiánis hujus séculi propè opplétur nostrum navígium. Unde autem fit, nisi quia dormit Jesus? Si non dormíret in te Jesus, tempestátes istas non pateréris; sed tranquillitátem habéres intériùs, convigilante tecum Jesu.

℟. Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; Jesus verò dormiébat. Et discípuli ejus suscitavérunt eum, dicentes: * Dómine, salva nos, perímus. ℣. Exurge, quare obdormis, Dómine? ádjuva nos: * Dómine, salva nos. *Matth*. 8. *Ps*. 43.

LECTIO VIII.

Quid est autem, Dormit Jesus? Fides tua, quæ est de Jesu, obdormívit. Surgunt procellæ stagni hujus; vides malos florére, bonos laboráre: tentátio est, fluctus est. Et dicit ánima tua: O Deus, ipsa est justítia tua, ut mali flóreant, boni labórent? Dicis Deo, Ipsa est justítia tua? et Deus tibi, Ipsa est fides tua? Hæc enim tibi promísi? ad hoc Christiánus factus es, ut in século isto floréres? Unde hoc dicis? unde flúctibus stagni et tempestáte turbáris?

Quia: dormit Jesus, id est, quia fides tua, quæ est de Jesu, sopíta est in corde tuo.

℟. Exurgens Jesus ait discípulis: * Quid tímidi estis? necdum habétis fidem? ℣. Qui timet Dóminum, non pavébit; quóniam ipse est spes ejus. * Quid: *Marc.* 4. *Eccli.* 34.

LECTIO IX.

Quid facis ut liberéris? Excita Jesum, et dic: Magister, perímus. Movent enim incerta stagni, perímus. Evigilábit ille, id est, rédiet ad te fides tua; et, adjuvante illo, considerábis in ánima tua; quia quæ dantur modò malis, non cum illis perseverábunt; tibi autem quod promíttitur, manébit in æternum. Évigilante Christo, jam tempestas illa non quátiet cor tuum, non opplébunt fluctus navim tuam; quia fides tua ímperat ventis et flúctibus, et tránsiet perículum.

℟. Vidérunt ópera Dómini, et mirabília ejus in profundo. Clamavérunt ad Dóminum: * Et státuit procellam in auram; et † Siluérunt fluctus maris. ℣. Comminátus est Jesus vento, et dixit mari: Tace, obmutesce; * Et státuit. Glória. † Siluérunt. *Ps.* 106. *Marc.* 4.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Surgens Jesus, imperávit ventis et mari: et facta est tranquíllitas magna. *Matth.* 8.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis et córporis, ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvante, vincámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Hómines miráti sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obédiunt ei! *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Epístola ad Philippenses.

(Cap. 2.)

Si qua consolátio in Christo, si quod solátium caritátis, si qua socíetas spíritûs, si qua víscera miseratiónis; impléte gáudium meum, ut idem sapiátis, eamdem caritátem habentes, unánimes, idipsum sentientes, nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam; sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrantes, non quæ sua sunt sínguli considerantes, sed ea quæ aliórum.

℟. Voluntátem, 352.

LECTIO II.

Itaque, caríssimi mei, (sicut semper obedistis) non

ut in præséntia meî tantùm, sed multò magis nunc in abséntia mea, cum metu et tremóre vestram salútem operámini. Deus est enim, qui operátur in vobis et velle et perfícere, pro bona voluntáte. Omnia autem fácite sine murmuratiónibus et hæsitatiónibus; ut sitis sine queréla, et símplices fílii Dei, sine reprehensióne in médio natiónis pravæ et perversæ, inter quos lucétis sicut luminária in mundo.

℟. Dómine, 353.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

De cétero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ; hæc cogitáte. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc ágite; et Deus pacis erit vobiscum. Gavísus sum autem in Dómino vehementer, quóniam tandem aliquando refloruistis pro me sentíre, sicut et sentiebátis: occupáti autem erátis. Non quasi propter penúriam dico: ego enim dídici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio et humiliári, scio et abundáre, (ubíque et in ómnibus institútus sum) et satiári, et esuríre, et abundáre, et penúriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.

℟. Salvábis me, 353

FERÍA TERTIA.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

(Cap. 1.)

Paulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, et Timótheus frater, eis qui sunt Colossis, sanctis et fidélibus frátribus in Christo Jesu: Grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ágimus Deo et Patri Dómini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectiónem quam habétis in sanctos omnes, propter spem quæ repósita est vobis in cœlis, quam audistis in verbo veritátis Evangélii, quod pervénit ad vos, sicut et universo mundo est, et fructíficat, et crescit, sicut in vobis ex ea die quà audistis et cognovistis grátiam Dei in veritáte.

℟. Clamavérunt, 354.

LECTIO II.

Ideo et nos ex qua die audívimus, non cessámus pro vobis orantes, et postulantes ut impleámini agnitióne voluntátis ejus in omni sapiéntia et intellectu spiritáli, ut ambulétis dignè

Deo, per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificantes, et crescentes in sciéntia Dei : in omni virtúte confortáti, secundùm poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntia, et longanimitáte cum gáudio, grátias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine; qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum.

℟. Confiteantur, 354.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti et superædificáti in ipso, et confirmáti fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiárum actióne. Vidéte ne quis vos decípiat per philosóphiam, et inánem falláciam, secundùm traditiónem hóminum, secundùm elementa mundi, et non secundùm Christum; quia in ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter, et estis in illo repléti, qui est caput omnis principátûs et potestátis : in quo et circumcísi estis circumcisióne non manu factà in expoliatióne córporis carnis, sed in circumcisióne Christi : consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operatiónis Dei qui suscitávit illum à mórtuis.

℟. Misericórdiam, 355.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

(Cap. 3.)

Induite vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam; supportantes ínvicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus áliquem habet querélam : sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc, caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis : et pax Christi exultet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte.

℟. Voluntátem, 352.

LECTIO II.

Verbum Christi hábitet in vobis abundanter in omni sapiéntia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et cánticis spirituálibus, in grátia cantantes in córdibus vestris Deo. Omne quodcumque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agentes Deo et Patri per ipsum. Mulíeres, súbditæ estóte viris,

sicut oportet, in Dómino. Viri, dilígite uxóres vestras, et nolíte amári esse ad illas. Fílii, obedíte paréntibus per ómnia; hoc enim plácitum est in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre fílios vestros, ut non pusillo ánimo fiant.

℟. Dómine, 353.

LECTIO III.

(Cap. 3 et 4.)

Servi, obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum servientes, quasi homínibus placentes, sed in simplicitáte cordis timentes Deum. Quodcumque fácitis, ex ánimo operámini sicut Dómino, et non homínibus; scientes quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis. Dómino Christo servíte. Qui enim injúriam facit, recípiet id quod iníquè gessit; et non est personárum accéptio apud Deum. Dómini, quod justum est et æquum, servis præstáte; scientes quòd et vos Dóminum habétis in cœlo. Oratióni instáte, vigilantes in ea in gratiárum actióne.

℟. Salvábis me, 353.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

(Cap. 1.)

Paulus, et Silvánus, et Timótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre, et Dómino Jesu Christo: Grátia vobis et pax. Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestrî facientes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum: scientes, fratres dilecti à Deo, electiónem vestram; quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantùm, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos.

℟. Clamavérunt, 354.

LECTIO II.

(Cap. 2.)

Exhortatio nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo: sed sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, non quasi homínibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est; nec quærentes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis. Cùm possémus vobis óneri esse, ut Christi Apóstoli; sed facti sumus párvuli

in médio vestrûm, tanquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderantes vos, cúpidè volebámus trádere vobis non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quóniam caríssimi nobis facti estis.

℟. Confiteantur, 354.

LECTIO III.

Memores enim estis, fratres, labóris nostri et fatigatiónis: nocte ac die operantes, ne quem vestrûm gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis, et Deus, quàm sanctè, et justè, et sine queréla, vobis qui credidistis, fúimus, sicut scitis quáliter unumquemque vestrûm, (sicut pater fílios suos) deprecantes vos et consolantes, testificáti sumus ut ambularétis dignè Deo qui vocávit vos in suum regnum et glóriam. Ideò et nos grátias ágimus Deo sine intermissióne; quóniam cùm accepissétis à nobis verbum audítûs Dei, accepistis illud, non ut verbum hóminum, sed (sicut est verè) verbum Dei qui operátur in vobis qui credidistis.

℟. Misericórdiam, 355.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Epístola prima ad Thessalonicenses.

(Cap. 4.)

De cétero, fratres, rogámus vos, et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemadmodùm accepistis à nobis quómodò opórteat vos ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcepta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificátio vestra; ut abstineátis vos à fornicatióne, ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidére in sanctificatióne et honóre, non in passióne desidérii, sicut et gentes quæ ignórant Deum; et ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum; quóniam vindex est Dóminus de iis ómnibus, sicut prædíximus vobis, et testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem.

℟. Voluntátem, 352.

LECTIO II.

(Cap. 5.)

De tempóribus autem et momentis, fratres, non indigétis ut scribámus vobis. Ipsi enim diligenter scitis quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim díxerint, Pax et secúritas; tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habentis, et non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat.

es enim vos fílii lucis et fílii diéi: non sumus noctis; neque tenebrárum. Igitur non dormiámus sicut et céteri, sed vigilémus et sóbrii simus.

Dómine, 353.

LECTIO III.

Rogamus autem vos, fratres, ut novéritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Dómino, et monent vos, ut habeátis illos abundántiùs in caritáte propter opus illórum: pacem habéte cum eis. Rogámus autem vos, fratres, corripite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infirmos, patientes estóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alícui reddat: sed semper quod bonum est sectámini in ínvicem, et in omnes. Semper gaudéte. Sine intermissióne oráte. In ómnibus grátias ágite: hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. Spíritum nolíte exstinguere. Prophetías nolíte spernere. Omnia autem probate: quod bonum est tenete: ab omni spécie mala abstinéte vos.

Salvábis me, 353.

SABBATO.

LECTIO I.

Incipit Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

(Cap. 1.)

Paulus, et Silvánus, et Timótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium, in Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo: Grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ágere debémus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quóniam supercrescit fides vestra, et abundat cáritas uniuscujusque vestrûm in ínvicem; ita ut et nos ipsi in vobis gloriémur in Ecclésiis Dei, pro patiéntia vestra et fide, et in ómnibus persecutiónibus vestris, et tribulatiónibus quas sustinétis in exemplum justi judícii Dei, ut digni habeámini in regno Dei, pro quo et patímini. Si tamen justum est apud Deum retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant; et vobis qui tribulámini, réquiem nobíscum in revelatióne Dómini Jesu de cœlo cum Angelis virtútis ejus.

LECTIO II.

(Cap. 2.)

Rogamus autem vos, fratres, per adventum Dómini nostri Jesu Christi, et nostræ congregatiónis in ipsum, ut non citò moveámini à vestro sensu, neque terreámini, neque per spíritum, neque per sermónem, neque per epístolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Dómini. Ne quis vos sedúcat ullo modo; quóniam nisi vénerit discessio

primùm, et revelátus fúerit homo peccáti, fílius perditiónis, qui adversátur et extóllitur supra omne quod dícitur Deus, aut quod cólitur, ita ut in templo Dei sédeat, ostendens se tanquam sit Deus. Non retinétis quòd, cùm adhuc essem apud vos, hæc dicébam vobis? Et nunc quid detíneat scitis, ut revelétur in suo témpore. Nam mystérium jam operátur iniquitátis: tantùm, ut qui tenet nunc, téneat, donec de médio fiat. Et tunc revelábitur ille iníquus, quem Dóminus Jesus interfíciet spíritu oris sui, et déstruet illustratióne adventûs sui eum.

LECTIO III.

(Cap. 3.)

Nam et cùm essémus apud vos, hoc denuntiabámus vobis; quóniam si quis non vult operári, nec mandúcet. Audívimus enim inter vos quosdam ambuláre inquiétè, nihil operantes, sed curiósè agentes. Iis autem qui ejúsmodi sunt, denuntiámus, et obsecrámus in Dómino Jesu Christo, ut cum siléntio operantes suum panem mandúcent. Vos autem, fratres, nolíte defícere benefacientes. Quòd si quis non óbedit verbo nostro per Epístolam, hunc notáte, et ne commisceámini cum illo, ut confundátur: et nolíte *quasi inimícum* existimáre, sed corrípite ut fratrem. Ipse autem Dóminus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dóminus sit cum ómnibus vobis. Salutátio meâ manu Pauli, quod est signum in omni Epístola: ita scribo. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum ómnibus vobis. Amen. Tu autem.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. *C.* Christus Jesus dedit redemptiónem semetipsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis. 1. *Tim.* 2.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA V

POST EPIPHANIAM.

Officium ut in Psalterio.

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 1.)

Paulus Apóstolus Jesu Christi secundùm impérium Dei salvatóris nostri, et Christi Jesu spei nostræ: Timótheo dilecto fílio in fide; Grátia, misericórdia, et pax à Deo Patre, et Christo Jesu Dómino nostro. Sicut rogávi te ut remanéres Ephesi, cùm irem in Macedóniam, ut denuntiáres quibusdam ne áliter docérent, neque inténderent fábulis et

genealógiis interminátis : quæ quæstiónes præstant magìs quàm ædificatiónem Dei, quæ est in fide. Finis autem præcepti est cáritas de corde puro, et consciéntiâ bonâ, et fide non fictâ. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vanilóquium, volentes esse legis doctóres, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

℟. Díriget Dóminus mansuétos in judício : docébit mites vias suas. * Universæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, requiréntibus testamentum ejus. ℣. Sectáre justítiam, fidem, caritátem, et pacem; stultas autem et sine disciplína quæstiónes devíta. * Universæ viæ Dómini, misericórdia. *Ps.* 24. 2. *Tim.* 2.

LECTIO II.

GRATIAS ago ei qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro; quia fidélem me existimávit, ponens in ministério; qui priùs blasphémus fui, et persecútor, et contumeliósus : sed misericórdiam Dei consecútus sum, quia ígnorans feci in incredulitáte. Superabundávit autem grátia Dómini nostri cum fide et dilectióne quæ est in Christo Jesu. Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus; quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum : sed ídeò misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi in vitam ætérnam.

℟. Usquequò, Deus, improperábit inimícus? irrítat adversárius nomen tuum in finem? Deus autem rex noster ante sécula : * Operátus est salútem in médio terræ. ℣. Fílius hóminis non venit ánimas pérdere, sed salváre : * Operátus est. *Ps.* 73. *Luc.* 9.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

OBSECRO ígitur primùm ómnium fíeri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus, pro régibus, et ómnibus qui in sublimitáte sunt; ut quiétam et tranquillam vitam agámus in omni pietáte et castitáte. Hoc enim bonum est, et acceptum coram salvatóre nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum homo Christus Jesus, qui dedit redemptiónem semetipsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis.

℟. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, et ve-

ritátis suæ dómui Israel. * Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri. ℣. Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delicta ipsórum. * Vidérunt. Glória. * Vidérunt. *Ps.* 97. 2. *Cor.* 5.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(De verbis Apost. Serm. 175 aliàs 9, c. 1.)

FIDELIS sermo, et omni acceptióne dignus; quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum. Nulla causa fuit veniendi Christo Dómino, nisi peccatóres salvos fácere. Tolle morbos, tolle vúlnera, et nulla causa est medicínæ. Si venit de cœlo magnus médicus, magnus per totum orbem terræ jacébat ægrótus: ipse ægrótus genus humánum est.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino; et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus: * Anima mea, noli oblivisci omnes retributiónes ejus, qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℣. Misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam. * Anima. *Ps.* 102. 1. *Tim.* 1.

LECTIO V.

(Serm. 176, c. 4.)

DICIT Paulus unicuíque ægróto, et de se volenti desperáre: Qui curávit me, misit me ad te, et dixit mihi: Illi desperanti vade, et dic quid habuisti, quid in te sanávi, quàm citò sanávi. De cœlo vocávi; unà voce percussi et dejéci, áliâ erexi et elégi, tértiâ implévi et misi, quartâ liberávi et coronávi. Vade, dic ægrótis, clama desperátis: Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere. Quid timétis? Quid trepidátis? Quorum primus ego sum. Ego, inquit, vobis loquor, sanus ægrotántibus, stans jacéntibus, secúrus desperántibus. Ideò enim misericórdiam consecútus sum, ut in me osténderet Christus Jesus omnem longanimitátem.

℟. Quómodò miserétur pater filiórum, misertus est Dóminus timéntibus se; quóniam * Ipse cognóvit figmentum nostrum: recordatus est quóniam pulvis sumus. ℣. Non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit: * Ipse cognóvit figmentum nostrum. *Ps.* 102. *Tit.* 3.

LECTIO VI.

(Cap. 5.)

Nolite ergo desperáre. Ægróti estis, accédite ad eum, et sanámini : cæci estis, accédite ad eum, et illumináMini. Et qui sani estis, ei grátias ágite; et qui ægrotátis, ad eum sanandi cúrrite; dícite omnes : Veníte, adorémus, et prosternámur ei, et plorémus coram Dómino qui fecit nos et hómines et salvos. Nam si ille nos fecit hómines, nos autem ipsi nos fécimus salvos; áliquid illo mélius fécimus : mélior est enim salvus homo, quàm quílibet homo. Si ergo te Deus fecit hóminem, et tu te fecisti bonum hóminem; quod tu fecisti, mélius est. Noli te extóllere super Deum : subde te Deo, adóra, prostérnere, confitére illi qui fecit te; quia nemo récreat, nisi qui creat; nemo réficit, nisi qui fecit.

℟. Magnificáte Dóminum mecum : et exaltémus nomen ejus in idipsum. * Accédite ad eum, et illuminámini; et † Fácies vestræ non confundentur. ℣. Dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine, qui erípuit nos de postestáte tenebrárum. * Accédite. Glória Patri. † Fácies vestræ non confundentur. *Ps.* 33. *Coloss.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 13.)

In illo témpore; Parábolam propósuit turbis Jesus, dicens : Símile factum est regnum cœlórum hómini qui seminávit bonum semen in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(De verbis Evang. Serm. 88, c. 18.)

Hoc in mystério lectiónis hujus cognóvimus, fratres, esse intùs in Ecclésia bonos et malos, quod sæpè dícimus frumentum et páleam. Nemo ante tempus déserat áream, tóleret paleam in tritúra, tóleret in área : quod enim tóleret, in hórreo non habébit. Véniet ventilátor qui dívidet malos à bonis. Erit étiam corporális separátio, quam modò spiritális præcédit. A malis corde semper disjungímini, ad tempus cautè córpore copulámini. Nec tamen negligentes sitis in corrigendis vestris, ad curam scílicet vestram quoquómodò pertinéntibus, monendo, docendo, hortando, terrendo.

℟. Símile factum est regnum cœlórum hómini qui * Seminávit bonum semen in agro suo : cùm autem dor-

mírent hómines, inimícus superseminávit zizánia. ℣. Ad imáginem similitúdinis suæ Deus fecit hóminem; invídiâ autem diáboli, mors introívit in orbem terrárum. * Seminávit bonum. semen in agro suo. *Matth.* 13. *Sap.* 2.

LECTIO VIII.

Duobus modis non te máculat malus; si non conséntias, et si redárguas : hoc est, non communicáre, non consentíre. Communicátur quippe, quando facto ejus consórtium voluntátis vel approbatiónis adjúngitur. Hoc ergo nos ádmonens Apóstolus, ait : Nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum. Et quia parùm erat non consentíre, si sequerétur negligéntia disciplínæ : Magis autem, inquit, et redargúite. Vidéte quemádmodùm utrumque compléxus est : Nolíte communicáre; magis autem et redargúite. Quid est, Nolíte communicáre? Nolíte consentíre, nolíte laudáre, nolíte approbáre. Quid est, Magìs autem et redargúite? Reprehéndite, corrípite, coercéte. Deinde in ipsa correctióne vel coercitióne alienórum peccatórum cavendum est ne se extollat qui álterum córripit. Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbétis; neque negligentes, ut non arguatis; neque superbientes, ut insultanter arguátis.

℟. Zizánia fílii sunt nequam; inimícus autem qui seminávit ea, est diábolus. * Sicut colliguntur zizánia et igni comburuntur, sic erit in consummatióne séculi. ℣. In diem perditiónis servátur malus, et ad diem furóris ducétur. * Sicut. *Matth.* 13. *Job* 21.

LECTIO IX.

Qui deserúerit unitátem, víolat caritátem; et quisquis víolat caritátem, quódlibet magnum hábeat, ipse nihil est. Si linguis hóminum loquátur et Angelórum, si sciat ómnia sacramenta, si hábeat ómnem fidem ut montes tránsferat, si distríbuat ómnia sua paupéribus, si corpus suum tradat ut árdeat, caritátem autem non hábeat; nihil est, nihil ei prodest. Universa inutíliter habet, qui unum illud quo universis utátur, non habet. Amplectámur ítaque caritátem, studentes serváre unitátem spíritûs in vínculo pacis. Non nos sedúcant qui carnáliter intélligunt, et corporálem separatiónem facientes, ab Ecclésiæ fruméntis toto orbe diffúsis spiritáli sacrilégio separantur. Per totum enim mundum seminátum est bonum semen.

℟. Mittet Fílius hóminis Angelos suos; et cólligent

eos qui fáciunt iniquitátem, et mittent eos in camínum ignis : * Tunc ✝ Justi fulgébunt sicut sol in regno Patris eórum. ℣. Justum et ímpium judicábit Deus, et tempus omnis rei tunc erit * Tunc. Glória Patri. ✝ Justi. *Matth.* 13. *Eccles.* 3.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. c. **Dómine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizánia? Et ait illis: Inimícus homo hoc fecit.** *Matth.* 13.

COLLECTA. Orémus.

FAMILIAM tuam, quæsumus, Dómine, contínuà pietáte custódi; ut quæ in sola spe grátiæ cœlestis innítitur, tuà semper protectióne muniátur; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Collígite primùm zizánia, et alligáte ea in fascículos ad comburendum; tríticum autem congregáte in hórreum meum. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Epístola prima ad Timótheum.

(Cap. 3.)

FIDELIS sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Oportet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, unius uxóris virum, sóbrium, prudentem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinolentum, non percussórem, sed modestum; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habentem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præesse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum, ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Oportet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt; ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. Díriget, 363.

LECTIO II.

(Cap. 4 et 5.)

NEMO adolescéntiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, attende lectióni, exhortatióni, et doctrínæ. Noli neglígere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam cum impositióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit ómnibus. Attende tibi, et doctrínæ : insta in illis. Hoc enim fáciens, et teipsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt. Seniórem ne increpáveris, sed óbsecra ut patrem; júvenes, ut fratres; anus, ut matres; juvénculas, ut soróres in omni castitáte. Ví-

duas honóra, quæ verè víduæ sunt.

℟. Usquequò, 363.

LECTIO III.

(Cap. 6.)

Est autem quæstus magnus píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum : haud dúbium quòd nec auferre quid póssumus. Habentes autem aliménta, et quibus tegámur, his contenti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas : quam quidam appetentes, erravérunt à fide, et inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge : sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehende vitam æternam in qua vocátus es, et confessus bonam confessiónem coram multis téstibus.

℟. Recordátus est, 363.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Incipit Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 1.)

Paulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, secundùm promissiónem vitæ quæ est in Christo Jesu : Timótheo caríssimo fílio; Grátia, misericórdia, pax à Deo Patre, et Christo Jesu Dómino nostro. Grátias ago Deo, cui sérvio à progenitóribus in consciéntia pura, quòd sine intermissióne hábeam tuî memóriam in oratiónibus meis nocte ac die, desíderans te vidére; memor lacrymárum tuárum, ut gáudio ímplear; recordatiónem accípiens ejus fídei, quæ est in te non ficta, quæ et habitávit primùm in ávia tua Lóide, et matre tua Eunice, certus sum autem quòd et in te. Propter quam causam admóneo te ut resúscites grátiam Dei quæ est in te per impositiónem mánuum meárum.

℟. Bénedic, 364.

LECTIO II.

(Cap. 2.)

Tu ergo, fili mi, confortáre in grátia quæ est in Christo Jesu; et quæ audísti à me per multos testes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt et álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo, ímplicat se negótiis seculáribus; ut ei pláceat cui se probávit. Nam et qui certat in agóne, non coronátur nisi legítimè certáverit. Laborantem agrícolam oportet primùm

frúctibus percípere. Intellige quæ dico; dabit étenim tibi Dóminus in ómnibus intellectum.

℟. Quómodò, 364.

LECTIO III.

Juvenilia autem desidéria fuge: sectáre verò justítiam, fidem, caritátem, et pacem cum iis qui ínvocant Dominum de corde puro. Stultas autem et sine disciplina quæstiónes devíta; sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non oportet litigáre, sed mansuétum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modéstia corripientem eos qui resistunt veritáti, nequando Deus det illis pœniténtiam ad cognoscendam veritátem, et resipiscant à diáboli láqueis, à quo capti tenentur ad ipsíus voluntátem.

℟. Magnificáte, 365.

FERIA QUARTA

LECTIO I.

Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 3.)

Hoc autem scito, quòd in novíssimis diébus instábunt tempora periculósa: erunt hómines seipsos amantes, cupidi, eláti, superbi, blasphémi, parentíbus non obedientes, ingráti, scelesti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinentes, immítes, sine benignitáte; proditóres, protervi, túmidi, et voluptátum amatóres magis quàm Dei; habentes spéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegantes. Et hos devíta: ex his enim sunt qui pénetrant domos, et captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis, quæ ducuntur váriis desidériis; semper discentes, et nunquam ad sciéntiam veritátis pervenientes.

℟. Díriget Dóminus, 363.

LECTIO II.

Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes; quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patientur. Mali autem hómines et seductóres profícient in pejus, errantes; et in errórem mittentes. Tu verò pérmane in iis quæ didicisti, et crédita sunt tibi, sciens à quo didíceris, et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem quæ est in Christo Jesu.

℟. Usquequò Deus, 363.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Testificor coram Deo, et Jesu Christo qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per adventum ipsíus, et regnum ejus: prædica verbum, insta opportúnè, importúnè: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia et doctrína. Erit enim tempus, cùm sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magistros prurientes áuribus; et à veritáte quidem audítum avertent, ad fábulas autem convertentur. Tu verò vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto.

℟. Recordátus est, 363.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

(Cap. 1.)

Paulus servus Dei, Apóstolus autem Jesu Christi secundùm fidem electórum Dei, et agnitiónem veritátis quæ secundùm pietátem est, in spem vitæ ætérnæ quam promísit, qui non mentítur, Deus ante témpora seculária: manifestávit autem tempóribus suis verbum suum in prædicatióne quæ crédita est mihi secundùm præceptum Salvatóris nostri Dei: Tito dilecto fílio, secundùm commúnem fidem, grátia et pax à Deo Patre, et Christo Jesu salvatóre nostro.

℟. Bénedic, ánima, 364.

LECTIO II.

Hujus rei grátiâ relíqui te Cretæ, ut ea quæ desunt córrigas, et constítuas per civitátes Presbyteros, sicut et ego dispósui tibi. Si quis sine crímine est, unius uxóris vir, fílios habens fidéles, non in accusatióne luxúriæ, aut non súbditos. Oportet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem, non superbum, non iracundum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos qui contradícunt, argúere.

℟. Quómodò, 364.

LECTIO III

Sunt enim multi étiam inobedientes, vaníloqui et seductóres, máximè qui de circumcisióne sunt, quos oportet redárgui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri grátiâ. Dixit quidam ex illis próprius ipsórum prophéta: Cretenses semper mendáces, malæ bés-

tiæ, ventres pigri. Testimónium hoc verum est. Quam ob causam íncrepa illos durè, ut sani sint in fide, non intendentes Judáicis fábulis, et mandátis hóminum aversántium se à veritáte. Omnia munda mundis; coinquinátis autem et infidélibus nihil est mundum, sed inquinátæ sunt eórum et mens et consciéntia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abomináti, et incrédíbiles, et ad omne opus bonum réprobi.

℟. Magnificáte, 365.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Titum.

(Cap. 2.)

Tu lóquere quæ decent sanam doctrínam; senes, ut sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino servientes, bene docentes ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant; prudentes, castas, sóbrias, domûs curam habentes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is qui ex adverso est, vereátur nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Díriget, 363.

LECTIO II.

(Cap. 3.)

Admone illos princípibus et potestátibus súbditos esse, dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos esse, néminem blasphemáre, non litigiósos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetúdinem ad omnes hómines. Erámus enim aliquando et nos insipientes, incréduli, errantes, servientes desidériis et voluptátibus váriis, in malítia et invídia agentes, odíbiles, odientes ínvicem. Cùm autem benígnitas et humánitas appáruit salvatóris nostri Dei, non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritûs sancti, quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum salvatórem nostrum; ut justificáti grátiâ ipsíus, hærédes simus secundùm spem vitæ æternæ.

℟. Usquequò, 363.

LECTIO III.

Fidelis sermo est; et de his volo te confirmare. Ut curent bonis opéribus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona et utília homínibus. Stultas autem quæstiónes, et

genealógias, et contentiónes, et pugnas legis devíta; sunt enim inútiles et vanæ. Hæréticum hóminem, post unam et secundam correptiónem, devíta; sciens quia subversus est qui ejúsmodi est, et delinquit; cùm sit próprio judício condemnátus. Cùm mísero ad te Artemam aut Tychicum, festína ad me veníre Nicópolim; ibi enim státui hiemáre. Zenam legisperítum et Apollo sollícitè præmitte, ut nihil illis desit. Discant autem et nostri bonis opéribus præesse ad usus necessários, ut non sint infructuósi. Salútant te qui mecum sunt omnes. Salúta eos qui nos amant in fide. Grátia Dei cum ómnibus vobis. Amen. Tu autem.

℟. Recordátus est, 363.

SABBATO.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philémonem.

PAULUS vinctus Christi Jesu, et Timótheus frater: Philémoni dilecto et adjutóri nostro, et Appiæ soróri caríssimæ, et Archippo commilitóni nostro, et Ecclésiæ quæ in domo tua est: Grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo semper memóriam tuî fáciens in oratiónibus meis, áudiens *caritátem* tuam, et fidem quam habes in Dómino Jesu, et in omnes sanctos, ut communicátio fídei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni quod est in vobis in Christo Jesu.

LECTIO II.

GAUDIUM enim magnum hábui, et consolatiónem in caritáte tua, quia víscera sanctórum requievérunt per te, frater. Propter quod multam fidúciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pértinet, propter caritátem magis óbsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi: óbsecro te pro meo fílio, quem génui in vínculis, Onésimo, qui tibi aliquando inútilis fuit, nunc autem et mihi et tibi útilis, quem remísi tibi. Tu autem illum, ut mea víscera, súscipe. Quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi ministráret in vínculis Evangélii; sine consílio autem tuo nihil vólui fácere, utì ne velut ex necessitáte bonum tuum esset, sed voluntárium.

LECTIO III.

FORSITAN enim ideò discessit ad horam à te, ut æternùm illum recíperes; jam non ut servum, sed pro servo caríssimum fratrem, máximè mihi: quantò autem magis tibi, et in carne, et in Dómino? Si ergo habes me sócium,

súscipe illum sicut me: si autem áliquid nócuit tibi, aut debet, hoc mihi ímputa. Ego Paulus scripsi meà manu: ego reddam, ut non dicam tibi quòd et teipsum mihi debes. Ita, frater. Ego te fruar in Dómino: réfice víscera mea in Dómino. Confídens in obediéntia tua, scripsi tibi; sciens quóniam et super id quod dico fácies. Simul autem et para mihi hospítium; nam spero per oratiónes vestras donári me vobis. Salútat te Epaphras concaptívus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adjutóres mei. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro. Amen. Tu autem.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Jesus Christus heri et hódie: ipse et in sécula. *Hebr.* 13.

Collecta, ut infrà ad Laud.

DOMINICA VI
POST EPIPHANIAM.
IN I.o NOCTURNO.
LECTIO I.

Incípit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

(Cap. 1.)

Multifariam multisque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis, novíssimè diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit et sécula. Qui cùm sit splendor glóriæ, et figúra substántiæ ejus, portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excelsis; tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit.

℟. Speciósus formâ præ fíliis hóminum; diffúsa est grátia in lábiis tuis. * Sedes tua, Deus, in séculum séculi: virga æquitátis, virga regni tui. ℣. Ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos, spíritus; ad Fílium autem: * Sedes. *Ps.* 44. *Hebr.* 1.

LECTIO II.

Cui enim dixit aliquando Angelórum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Fílium? Et cùm íterùm introdúcit Primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos, spíritus; et ministros suos, flammam ignis. Ad Fílium autem: Thronus tuus, Deus, in séculum séculi: virga æquitátis, virga regni tui. Dilexìsti justítiam, et odísti iniquitátem; proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo exultatiónis præ partícipibus tuis.

℟. Regnum tuum, Dómine, regnum ómnium seculórum: * Et Dominàtio

tua in omni generatióne, et generatiónem. ℣. Dómine Deus omnípotens, accepisti virtútem tuam magnam, et regnasti :* Et. *Ps.* 144. *Apoc.* 11.

LECTIO III.

Et : Tu in princípio, Dómine, terram fundasti, et ópera mánuum tuárum sunt cœli : ipsi perîbunt, tu autem permanébis, et omnes ut vestimentum veterascent; et velut amictum mutábis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Ad quem autem Angelórum dixit alíquando : Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimícos tuos scabellum pedum tuórum? Nonne omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos qui hæreditátem cápient salútis?

℟. Tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * Nimis exaltátus es super omnes deos. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem; quia tu creasti ómnia : * Nimis. Glória Patri. * Nimis. *Ps.* 96. *Apoc.* 4.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Athanásii Epíscopi.

(Orat. 2. contra Arianos, n. 24 et 26.)

Nemo disceptantes audíre velit hæréticos, Deum non semper Patrem fuisse, sed póstea factum esse; ut ementiantur áliquo témpore ejus Verbum non extitisse. Nemo, inquam, hæc disputantes patienter audíerit, cùm multæ sint adversùs illos refutatiónes; tum ex verbis Joannis qui dicit, Erat Verbum; tum ex Pauli scriptis, cujus hæc senténtia est; Qui est splendor glóriæ, et qui est super ómnia Deus benedictus in sécula : amen. Deus æternáliter est. Æternáliter ígitur existente Patre, æternáliter quoque existit ejus splendor, quod ipsum est Verbum ejus. Ac rursum Deus existens, ex se existens Verbum habet; neque Verbum supervénit, cùm priùs non esset; neque Pater unquam irrationális, hoc est, sine ratióne et Verbo fuit.

℟. Domináre in médio inimicórum tuórum : * Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum ; ex útero ante lucíferum génui te. ℣. Ad quem Angelórum dixit Deus aliquando : Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimícos tuos scabellum pedum tuórum? * Tecum. *Ps.* 109. *Hebr.* 1.

LECTIO V.

(N. 53 et 55.)

Sed, ínquiunt, in Epístola ad Hebræos ita Apóstolus

lóquitur : Tantò mélior Angelis factus, quantò præstántius nomen præ illis sortítus est. Ex his verbis cólligunt Verbum Dei creatúram esse, et opus, et unam ex rebus cónditis. Si persónam, rem, tempus Apostólici dicti cognóscerent hærétici, nunquam humána in deitátem transferentes, tam ímpiè et stultè adversùs Christum sese habuissent. Id intuéri licébit, si inítium lectiónis probè excípias. Dicit enim Apóstolus : Multifáriàm multísque modis olim Deus locútus est pátribus nostris per Prophétas, últimis autem diébus locútus est nobis in Fílio. Atque ita paulò pòst dicit, perfectâ ab eo nostrórum peccatórum purificatióne, ipsum sedére ad déxteram majestátis in excelsís, tantò melióren Angelis factum, quantò præstántius nomen præ illis sortítus est. De eo ígitur témpore quo nobis per Fílium locútus est, cùm peccatórum purgátio fíeret, Apostólicum dictum mentiónem facit. Quando autem nobis locútus est in Fílio, aut quando purgátio peccatórum facta est, aut quando natus est homo, nisi post Prophétas; idque in últimis diébus?

℟. Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, potentes virtúte, facientes verbum illíus, * Ad audiendam vocem sermónum ejus. ℣. Vidébitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Fílium hóminis. * Ad. *Ps.* 102. *Joan.* 1.

LECTIO VI.

Deinde cùm narrátio institúta esset de humána Verbi dispensatióne, deque últimis tempóribus, consequenter commemorávit Deum neque superióribus ætátibus tacuisse, sed locútum esse per Prophétas. Et postquàm Prophétæ suo offício perfuncti sunt, et lex per Angelos pronuntiáta est, et Fílius étiam ad nos descendit, et ad ministrandum accessit; tunc demum necessáriò subíntulit : Tantò mélior Angelis factus; osténdere volens, quantò Fílius præ servo excellit, tantò functióne officioque servórum Fílii administratiónem melíórem fuisse.

℟. Quis símilis erit Deo in fíliis Dei? Deus qui glorificátur in concílio sanctórum : * Magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt. ℣. Qui est de terra, de terra est, et de terra lóquitur; qui de cœlo venit, super omnes est : * Magnus. Glória. * Magnus. *Ps.* 88. *Jo.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 13.)

In illo témpore; Parábolam

propósuit turbis Jesus, dicens: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 2, in Matth.)

Regnum cœlórum, prædicátio Evangélii est, et notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, et de qua dícitur ad Judæos: Auferétur à vobis regnum Dei, et dábitur genti facienti fructus ejus. Símile est ergo hujuscémodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo, à plerisque Salvátor intellígitur, quòd in ánimis credéntium séminet. Ab áliis, ipse homo séminans in agro suo, hoc est, in semetipso, et in corde suo.

℟. Locútus est Jesus in parábolis ad turbas, ut implerétur quod dictum est per Prophétam: * Eructábo abscóndita à constitutióne mundi. ℣. Apériam in parábolis os meum; loquar propositiónes ab inítio: * Eructábo abscóndita. *Matt.* 13. *Ps.* 77.

LECTIO VIII.

Quis est iste qui séminat, nisi sensus noster et ánimus; qui suscípiens granum prædicatiónis, et fovens sementem humóre fídei, facit in agro sui péctoris pullulåre. Prædicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplínis. Ad primam quippe doctrínam fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Deum mórtuum, et scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus philosophórum, et libris eórum, et splendóri eloquéntiæ, et compositióni sermónum; et vidébis quantò minor sit céteris semínibus sementis Evangélii.

℟. Dimissis turbis, venit Jesus in domum; et * Accessérunt ad eum discípuli ejus, dicentes: Edíssere nobis parábolam. ℣. Cor sapientis quærit doctrínam. * Accessérunt. *Matth.* 13. *Prov.* 15.

LECTIO IX.

Sed illa cùm créverit, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demonstrat: sed totum fláccidum marcidúmque et mollítum ebullit in ólera, et in herbas quæ citò arescunt et córruunt. Hæc autem prædicátio, quæ parva videbátur in princípio, cùm vel in ánima credentis, vel in toto mundo sata fúerit, non exurgit in ólera, sed crescit in árborem; ita ut vólucres cœli (quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines Dei servítio mancipátas sentíre debémus) véniant et hábitent in ramis ejus. Ramos puto Evangéli-

cæ árboris, quæ de grano sinápis créverit, dógmatum esse diversitátes, in quibus supradictárum vólucrum unaquæque requiescit.

℟. Quæ semináverit homo, hæc et metet; quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem: * Qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam. ℣. Qui séminat iniquitátem, metet mala: * Qui autem. Glória. * Qui autem. *Galat.* 6. *Prov.* 22.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. *d.* Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod mínimum quidem est ómnibus semínibus: cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus. *Matth.* 13.

COLLECTA. Orémus.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita, et dictis exequámur et factis; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Símile est regnum cœlórum fermento quod acceptum múlier abscondit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 2.)

Propterea abundántiùs oportet observáre nos ea quæ audívimus, ne fortè pereffluámus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricátio et inobediéntia accépit justam mercédis retributiónem; quómodò nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem? Quæ cùm inítium accepisset enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt in nos confirmáta est, contestante Deo signis et portentis, et váriis virtútibus, et Spíritûs sancti distributiónibus, secundùm suam voluntátem.

℟. Speciósus, 373.

LECTIO II.

Eum autem, qui módico quàm Angeli minorátus est, vidémus Jesum, propter passiónem mortis, glóriâ et honóre coronátum; ut grátiâ Dei pro ómnibus gustáret mortem. Decébat enim eum, propter quem ómnia, et per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummáre. Qui enim sanctíficat et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis; in médio ecclésiæ laudábo te. Et íterùm: Ego ero fidens in eum. Et íterùm: Ecce ego, et púeri mei quos dedit mihi Deus.

℟. Regnum tuum, 373

LECTIO III.

Quia ergo púeri communicavérunt carni et sánguini, et ipse simíliter participávit eisdem; ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est, diábolum, et liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fíeret, et fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delicta pópuli. In eo enim, in quo passus est ipse et tentátus, potens est et eis qui tentantur auxiliári.

℟. Tu Dóminus, 374.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 3.)

Unde, fratres sancti, vocatiónis cœlestis partícipes, consideráte Apóstolum et Pontíficem confessiónis nostræ Jesum, qui fidélis est ei qui fecit illum, sicut et Móyses in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iste præ Móyse dignus est hábitus, quantò ampliórem honórem habet domûs qui fabricávit illam. Omnis namque domus fabricátur ab áliquo; qui autem ómnia creávit, Deus est. Et Móyses quidem fidélis erat in tota domo ejus tanquam fámulus, in testimónium eórum quæ dicenda erant; Christus verò tanquam Fílius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fidúciam et glóriam spei usque ad finem firmam retineámus.

℟. Domináre, 374.

LECTIO II.

Videte, fratres, ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis, discedendi à Deo vivo; sed adhortámini vosmetipsos per síngulos dies, donec Hódie cognominátur, ut non obdurétur quis ex vobis fallácià peccáti. Partícipes enim Christi effecti sumus; si tamen inítium substántiæ ejus usque ad finem firmum retineámus. Dum dícitur: Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, quemádmodùm in illa exacerbatióne. Quidam enim audientes, exacerbavérunt; sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Móysen.

℟. Benedícite, 375.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Vivus est enim sermo Dei, et éfficax, et penetrabílior omni gládio ancípiti; ac pertingens usque ad divisiónem ánimæ et spíritûs, compágum quoque ac medullá-

rum, et discrétor cogitatiónum et intentiónum cordis. Et non est ulla creatúra invisíbilis in conspectu ejus; ómnia autem nuda et aperta sunt óculis ejus, ad quem nobis sermo. Habentes ergo Pontíficem magnum, qui penetrávit cælos, Jesum Fílium Dei, teneámus confessiónem. Non enim habémus Pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris; tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ; ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℟. Quis símilis erit, 375.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 6.)

Quapropter intermittentes inchoatiónis Christi sermónem, ad perfectióra ferámur, non rursum jacientes fundamentum pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, et fídei ad Deum, baptísmatum doctrínæ, impositiónis quoque mánuum, ac resurrectiónis mortuórum, et judícii æterni. Et hoc faciémus, síquidem permíserit Deus. Impossíbile est enim eos qui semel sunt illumináti, gustavérunt étiam donum cœleste, et partícipes facti sunt Spíritûs sancti, gustavérunt nihilóminus bonum Dei verbum, virtutesque séculi ventúri, et prolapsi sunt, rursus renovári ad pœniténtiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Fílium Dei, et osténtui habentes.

℟. Speciósus forma, 373.

LECTIO II.

Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, et génerans herbam opportúnam illis à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo: próferens autem spinas ac tríbulos réproba est, et maledicto próxima; cujus consummátio in combustiónem. Confídimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra et vicinióra salúti, tametsi ita lóquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, et dilectiónis quam ostendistis in nómine ipsíus, qui ministrastis sanctis, et ministrátis. Cúpimus autem unumquemque vestrûm eamdem ostentáre sollicitúdinem ad expletiónem spei usque in finem, ut non segnes efficiámini, verùm imitatóres eórum qui fide et patiéntiâ hæreditábunt promissiónes.

℟. Regnum tuum, 373.

LECTIO III.

(Cap. 7 et 8.)

Lex hómines constítuit sa-

cerdótes infirmitátem habentes; sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Fílium in æternum perfectum. Capitulum autem super ea quæ dicuntur : Talem habémus Pontíficem, qui consédit in déxtera sedis magnitúdinis in cœlis, sanctórum minister, et tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, et non homo. Omnis enim Póntifex ad offerendum múnera et hóstias constitúitur; unde necesse est et hunc habére áliquid quod ófferat. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui offerrent secundùm legem múnera, qui exemplári et umbræ desérviunt cœlestium. Sicut responsum est Móysi, cùm consummáret tabernáculum : Vide, (inquit) ómnia fácito secundùm exemplar quod tibi ostensum est in monte. Nunc autem mélius sortítus est ministérium, quantò et melióris testamenti mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancitum est. Nam si illud prius culpâ vacasset, non útique secundi locus inquirerétur.

℟. Tu Dóminus, 374.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 10.)

VOLUNTARIE peccántibus nobis post acceptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóstia; terríbilis autem quædam expectátio judícii, et ignis æmulátio quæ consumptúra est adversários. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ulla miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur : quantò magis putátis deterióra meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, et sánguinem testamenti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, et Spirítui grátiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit : Mihi vindicta, et ego retríbuam. Et íterùm : Quia judicábit Dóminus pópulum suum. Horrendum est incídere in manus Dei viventis.

℟. Domináre in médio inimicórum, 374.

LECTIO II.

(Cap. 11.)

EST autem fides sperandárum substántia rerum, argumentum non apparéntium. In hac enim testimónium consecúti sunt senes. Fide intellígimus aptáta esse sécula Verbo Dei; ut ex invisibílibus visibília fíerent. Fide plúrimam hóstiam Abel quám Caïn obtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo; et per illam defunctus adhuc lóquitur. Fide Enoch

translátus est, ne vidéret mortem; et non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus: ante translatiónem enim testimónium hábuit placuisse Deo. Sine fide autem impossíbile est placére Deo. Crédere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquiréntibus se remunerátor sit.

℟. Benedícite Dómino, 375.

LECTIO III.

Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, métuens aptávit arcam in salútem domûs suæ, per quam damnávit mundum; et justítiæ, quæ per fidem est, hæres est institútus. Fide qui vocátur Abraham obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem; et éxiit, néssciens quò iret. Fide demorátus est in terra repromissiónis, tanquam in aliéna, in cásulis habitando cum Isaac et Jacob cohærédibus repromissiónis ejusdem. Expectábat enim fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex et cónditor Deus.

℟. Quis símilis erit Deo, 375.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 12.)

Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspicientes in auctórem fídei, et consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contemptà; atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetipsum contradictiónem; ut ne fatigémini, ánimis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sánguinem restitistis, adversùs peccátum repugnantes; et oblíti estis consolatiónis quæ vobis tanquam fíliis lóquitur, dicens: Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini; neque fatigéris, dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus, castígat; flagellat autem omnem fílium quem récipit.

℟. Speciósus formâ, 373.

LECTIO II.

In disciplína perseveráte. Tanquam fíliis vobis offert se Deus: quis enim fílius, quem non córripit pater? Quòd si extra disciplínam estis, cujus partícipes facti sunt omnes; ergo adúlteri, et non fílii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ eruditóres habúimus, et reverebámur eos: non multò magis obtemperábimus Patri spirítuum, et vivémus? Et illi quidem in témpore

paucórum diérum, secundùm voluntátem suam erudiébant nos : hic autem ad id quod útile est, in recipiendo sanctificatiónem ejus. Omnis autem disciplína in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris; pósteà autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ.

℟. Regnum tuum, 373.

LECTIO III.

Propter quod remissas manus et solúta génua erígite, et gressus rectos fácite pédibus vestris; ut non cláudicans quis erret, magis autem sanétur. Pacem sequímini cum ómnibus, et sanctimóniam sine qua nemo vidébit Deum : contemplantes ne quis desit grátiæ Dei, ne qua radix amaritúdinis sursum gérminans impédiat, et per illam inquinentur multi. Ne quis fornicátor aut profánus, ut Esaü qui propter unam escam véndidit primitíva sua. Scitóte enim quóniam et pósteà cúpiens hæreditáre benedictiónem, reprobátus est; non enim invénit pœniténtiæ locum, quanquam cum lácrymis inquisísset eam.

℟. Tu Dóminus, 374.

SABBATO.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 13.)

Caritas fraternitátis máneat in vobis. Et hospitalitátem nolíte oblivisci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hospítio receptis. Mementóte vinctórum, tanquam simul vincti; et laborántium, tanquam et ipsi in córpore morantes. Honorábile connúbium in ómnibus, et thorus immaculátus. Fornicatóres enim et adúlteros judicábit Deus. Sint mores sine avarítia, contenti præséntibus; ipse enim dixit : Non te déseram, neque derelinquam. Ita ut confidenter dicámus : Dóminus mihi adjútor; non timébo quid fáciat mihi homo.

LECTIO II.

Doctrinis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátiâ stabilíre cor, non escis quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infertur sanguis pro peccáto in sancta per pontíficem, horum córpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portantes. Non enim habémus hic manentem civitátem; sed futúram inquírimus.

LECTIO III.

Obedite Præpósitis vestris, et subjacéte eis : ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri ; ut cum gáudio hoc fáciant, et non gementes : hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis : confídimus enim quia bonam consciéntiam habémus, in ómnibus bene volentes conversári. Ampliùs autem deprécor vos hoc fácere, quò celérius restítuar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mórtuis Pastórem magnum óvium in sánguine testamenti æterni, Dóminum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem; fáciens in vobis quod pláceat coram se per Jesum Christum, cui est glória in sécula seculórum. Amen.

Tu autem.

SABBATO

ANTE SEPTUAGESIMAM.

[*In fine quintæ Antiph. Vesp. si sint de Sabbato ; (si autem de Festo, in fine Ant. ad* Magníficat) *dicitur* Allelúia, *nec ampliùs dicitur usque ad Pascha.*]

AD VESPERAS.

Omnia ut in Psalterio, exceptis quæ sequuntur.

Capitulum. (*Exod.* 31.)

Custodiant fílii Israel sábbatum, et célebrent illud in generatiónibus suis. Pactum est sempiternum inter me et fílios Israel, signumque perpétuum ; sex enim diébus fecit Dóminus cœlum et terram, et in séptimo ab ópere cessávit.

HYMNUS.

Te læta, mundi Cónditor,
Unum manet semper quies :
Festíva cœlestes choros
Semper decent præcónia.

Nos, sanctitáte pérditâ,
Pœnális expectat labor :
Hymnosne dulces pátriæ
Mœsti canámus éxules?

Qui te piis placábilem
Spondes futúrum flétibus,
Lugére da longi, Pater,
Delicta, causas éxilî.

Verum salúbrem témperet
Spe nixa mœrórem fides ;
Tu mox quiéti nos tuæ,
Lætisque reddes cánticis.

Sit summa Patri glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum. Amen.

℣. Priusquàm montes fíerent, aut formarétur terra et orbis, ℟. A século et usque in séculum tu es Deus. *Ps.* 89.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Dóminus Deus noster fecit terram in fortitúdine sua, præparávit orbem in sapiéntia sua, et prudéntiâ suâ extendit cœlos. *Jerem.* 51.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

AD COMPLET. *loco* Allelúia, *dicitur :* Laus tibi, Dómine, rex ætérnæ glóriæ.

DOMINICA

SEPTUAGESIMÆ.

Omnia ut in Dominicis à Septuagesima ad Quadragesimam, infrà, 389, additis quæ sequuntur.

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Génesis.

(Cap. 1.)

IN princípio creávit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inánis et vácua, et ténebræ erant super fáciem abyssi ; et Spíritus Dei ferebátur super aquas. Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd esset bona : et divísit lucem à ténebris. Appellavitque lucem, Diem ; et ténebras, Noctem. Factumque est véspere et mane, dies unus. Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in médio aquárum ; et dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum ; divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum, Cœlum. Et factum est véspere et mane, dies secundus. Dixit verò Deus : Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum ; et appáreat árida. Et factum est ita. Et vocávit Deus áridam, Terram ; congregationesque aquárum appellávit Mária. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et ait : Gérminet terra herbam virentem et faciéntem semen, et lignum pomíferum fáciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et prótulit terra herbam virentem, et faciéntem semen juxta genus suum, lignumque fáciens fructum, et habens unumquodque sementem secundùm spéciem suam. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies tértius.

℟. In princípio creávit Deus cœlum et terram : * Et vidit Deus cuncta quæ fécerat, et erant valde bona. ℣. Fide intellígimus aptáta esse sécula verbo Dei, ut ex invisibílibus visibília fíerent : * Et vidit. *Gen.* 1. *Hebr.* 11.

LECTIO II.

DIXIT autem Deus : Fiant luminária in firmamento cœli, et dívidant diem ac noctem, et sint in signa et témpora, et dies et annos, ut lúceant in firmamento cœli, et illúminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminária magna : luminárе május, ut præesset diéi ; et lumináre minus, ut præesset nocti ; et stellas.

Et pósuit eas in firmamento cœli, ut lucérent super terram, et præessent diéi ac nocti, et divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies quartus. Dixit étiam Deus : Prodúcant aquæ réptile animæ viventis, et volátile super terram, sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grándia, et omnem ánimam viventem atque motábilem, quam prodúxerant aquæ in spécies suas, et omne volátile secundùm genus suum. Et vidit Deus quòd esset bonum. Benedixitque eis, dicens : Créscite, et multiplicámini, et repléte aquas maris; avesque multiplicentur super terram. Et factum est véspere et mane, dies quintus.

℞. Verbo Dómini cœli firmáti sunt; et spíritu oris ejus omnis virtus eórum : cóngregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. * Tímeat Dóminum omnis terra. ℣. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. * Tímeat. *Ps.* 32. *Joan.* 1.

LECTIO III.

(Cap. 1 et 2.)

Dixit quoque Deus : Prodúcat terra ánimam viventem in génere suo, jumenta, et reptília, et béstias terræ secundùm spécies suas. Factumque est ita. Et fecit Deus béstias terræ juxta spécies suas, et jumenta, et omne réptile terræ in génere suo. Et vidit Deus quòd esset bonum, et ait : Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram : et præsit píscibus maris, et volatílibus cœli, et béstiis, universæque terræ, omníque réptili quod movétur in terra. Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam : ad imáginem Dei creávit illum : másculum et féminam creávit eos. Benedixitque illis Deus, et ait : Créscite, et multiplicámini, et repléte terram, et subjícite eam; et domináмini píscibus maris et volatílibus cœli, et universis animántibus quæ moventur super terram. Dixitque Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis seméntem géneris sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animántibus terræ, omníque vólucri cœli, et universis quæ moventur in terra, et in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fécerat; et erant valde bona. Et factum est véspere et mane, dies sextus. Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornátus eórum. Complevitque Deus die séptimo opus

suum quod fécerat; et requiévit die séptimo ab universo ópere quod patràrat. Et benedixit diéi séptimo, et sanctificávit illum; quia in ipso cessáverat ab omni ópere suo quod creávit Deus ut fáceret.

℟. Ait Deus: Faciámus hóminem ad imáginem nostram, et præsit universæ terræ, et * Creávit Deus hóminem ad imáginem suam. ℣. Novus homo secundùm Deum creátus est in justítia et sanctitáte veritátis. * Creávit Deus hóminem. Glória Patri. * Creávit Deus. *Gen.* 1. *Ephes.* 4.

IN II.o NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Civitáte Dei.

(Lib. 14, c. 15, § 1.)

Quia contemptus est Deus jubens, qui creáverat, qui ad suam imáginem fécerat, qui céteris animálibus præposúerat, qui in paradíso constitúerat, qui rerum ómnium cópiam salutisque præstíterat, qui præceptis nec plúribus, nec grándibus, nec difficílibus oneráverat; sed uno brevíssimo atque levíssimo ad obediéntiæ salubritátem adminiculáverat, quo eam creatúram cui líbera sérvitus expedíret, se esse Dóminum commonébat; justa damnátio subsecúta est, talisque damnátio, ut homo qui custodiendo mandátum, futúrus fúerat étiam carne spiritális, fíeret étiam mente carnális: et qui suà supérbià sibi placúerat, Dei justítià sibi donarétur; nec sic ut in sua esset omnímoda potestáte, sed à se ipso quoque disséntiens, sub illo cui peccando consensit, pro libertáte quam concupívit, duram miseramque ágeret servitútem; mórtuus spíritu volens, et córpore moritúrus invítus; desertor ætérnæ vitæ, étiam ætérnà, nisi grátia liberáret, morte damnátus.

℟. Deus de terra hóminem fecit, creávit ex ipso adjutórium símile sibi: et * Disciplínà intellectûs replévit illos, et mala et bona ostendit illis. ℣. Non legistis quia qui fecit hóminem ab inítio, másculum et féminam fecit eos? * Disciplínà intellectûs replévit illos. *Eccli.* 17. *Matth.* 19.

LECTIO V.

Quisquis hujúsmodi damnatiónem vel nímiam vel injustam putat, metíri profectò nescit quanta fúerit iníquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facílitas. Sicut enim Abrahæ non immérito magna obediéntia prædicátur, quia, ut occíderet fílium, res difficíllima est imperáta; ita in paradíso tantò maior ino-

bediéntia fuit, quantò id quod præceptum est, nullíus difficultátis fuit. Et sicut obediéntia secundi hóminis eò prædicabílior est, quò factus est obédiens usque ad mortem; ita inobediéntia primi hóminis eò detestabílior, quò factus est inobédiens usque ad mortem. Ubi enim magna est inobediéntiæ pœna propósita, et res à Creatóre fácilis imperáta; quisnam satis éxplicet, quantum malum sit non obedíre in re fácili, et tantæ potestátis império, et tanto terrenti supplício?

℟. A mulíere inítium factum est peccáti, * Et per illam omnes mórimur. ℣. Adam enim non est seductus; múlier autem seducta in prævaricatióne fuit; * Et per. *Eccli.* 25. 1. *Tim.* 2.

LECTIO VI.

Denique, ut bréviter dicátur, in illíus peccáti pœna, quid inobediéntiæ, nisi inobediéntia retribúta est? Nam quæ hóminis est ália misérìa, nisi adversùs eum ipsum inobediéntia ejus ipsíus; ut quóniam nóluit quod pótuit, quod non potest velit? In paradíso enim, etiamsi non ómnia póterat ante peccátum, quidquid tamen non póterat, non volébat; et ideò póterat ómnia quæ volébat: nunc verò, sicut in ejus stirpe cognóscimus, et divína Scriptúra testátur: Homo vanitáti símilis factus est. Quis enim enúmeret quàm multa quæ non potest velit, dum sibi ipsi, id est voluntáti ejus, ipse ánimus ejus, eòque inférior caro ejus, non obtémperat? Ipso namque invíto, et ánimus plerúmque turbátur, et caro dolet, et veterascit, et móritur.

℟. Sicut per inobediéntiam uníus hóminis peccatóres constitúti sunt multi; ita * Et † Per uníus obediéntionem justi constituentur multi. ℣. Corrupti sunt, et abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * Et. Glória. † Per. *Rom.* 5. *Ps.* 52.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 20.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum hómini patrifamíliàs, qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam suam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 87, de verb. Evang. c. 5.)

Tanquam primâ horâ vocantur, qui recentes ab útero matris incípiunt esse Christiáni; quasi tértiâ púeri, quasi sextâ júvenes, quasi nonâ vergentes in sénium,

quasi undécimâ omnínò decrépiti; unum tamen vitæ ætærnæ denárium omnes acceptúri. Sed atténdite et intellígite, fratres mei, ne ídeò quisque dífferat veníre ad víneam, quia secúrus est quóniam, quandocumquè vénerit, ipsum denárium acceptúrus est Secúrus est quidem quòd ipse denárius illi promíttitur; sed differre non jubétur.

℟. Paterfamíliâs éxiit primo mane condúcere operários in víneam suam; et circa horam tértiam vidit álios in foro otiósos, et dixit: * Ite in víneam meam, et quod justum fúerit dabo vobis. ℣. Quid adhuc retardátis? operámini opus vestrum, et Dóminus dabit vobis mercédem vestram in témpore suo. * Ite in víneam meam. *Matth.* 20. *Eccli.* 51.

LECTIO VIII.

Quid ille datúrus sit, et quid factúrus sit, penès ipsum consílium est. Tu quando vocáris, veni: merces enim cunctis æquális promíttitur; sed de ipsa hora operandi magna quæstio est. Si illi enim, verbi grátiâ, qui vocáti sunt horâ sextâ, in hac ætáte córporis constitúti, ubi juveníles anni fervent, sicut ipsa hora sexta fervet; si dícerent illi júvenes vocáti, Expecta, audívimus enim in Evangélio quia omnes unam mercédem acceptúri sunt: cùm senes facti fuérimus, horâ undécimâ veniémus, tantumdem acceptúri; quare ámpliùs laboratúri? responderétur eis, et diceréturʼ: Laboráre non vis, qui utrùm vivas usque ad senectam nescis? Sextâ horâ vocáris; sextâ horâ veni.

℟. Circa undécimam invénit álios stantes, et dicit illis: Quid hic statis totâ die otiósi? * Ite et vos in víneam meam. ℣. Non dissolvantur manus vestræ; erit enim merces óperi vestro. * Ite et vos. *Matth.* 20. 2. *Paral.* 15.

LECTIO IX.

Paterfamilias tibi quidem étiam undécimâ venienti denárium promísit; sed utrùm vivas usque ad séptimam, nemo tibi promísit. Non dico usque ad undécimam, sed usque ad séptimam. Quare ergo differs vocantem te, certus de mercéde, incertus de die? Vide ne fortè quod tibi ille datúrus est promittendo, tu tibi áuferas differendo. Si hoc rectè dícitur de infántibus, tanquam ad horam primam pertinéntibus; si rectè dícitur de púeris, tanquam ad horam tértiam pertinéntibus; si rectè dícitur de juvénibus, tanquam in horæ sextæ flagrántia constitútis; quantò magis rectè de decrépitis dícitur: Ecce jam hora un-

est, et adhuc stas,
iger es?
cit dóminus víneæ
óri suo: Redde ope-
ercédem, incípiens
imis. Primi mur-
t; at ille uni eó-
it: * Non fácio tibi
; volo huic novís-
re sicut et tibi. ℣.
rébor cui volúero,
as ero in quem mihi
t. * Non. Glória.
Dicit, *usque ad* ℣.
tth. 20. *Exod.* 33.
us observatur in om-
novem Lect. in quo
tur Te Deum, *quod*
omittitur ab hac die
l Pascha, in omni
Tempore.]
nedictus, *Ant.* 8. *G.*
nonne ex denário
sti mecum? Tolle
um est. Non licet
od volo fácere? An
tuus nequam est,
bonus sum? *Matth.*

ECTA. Orémus.

pópuli tui, quæsu-
Dómine, clementer
ut qui justè pro pec-
tris afflígimur, pro
inis glóriâ miseri-
liberémur; Per Dó-
nostrum.
gníficat, *Ant.* 6. F.
ovíssimi primi, et
víssimi, multi enim
áti, pauci verò elec-
h. 20.
ta, ut suprà.

IN DOMINICIS
A SEPTUAGESIMA
AD QUADRAGESIMAM.

[*Initio Horarum quarumcumque, loco* Allel. *dicitur* Laus tibi, Dómine, rex ætérnæ glóriæ, *usque ad Nonam Feriæ IV majoris Hebdom. inclusivè.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Deum qui fecit cœlum et terram, * Veníte, adorémus. *Ps.* 113.
Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Rebus creátis nil egens,
Temet beátus, nunc tuo
Prodis ab arcáno, Deus,
Mundoque das primórdia.
Tu cuncta quæ non sunt vocas:
Et illa se sistunt tibi;
Miróque concentu, suo
Dant conditóri glóriam.
At mundus è sinu tuo
Dum prodit aspectábilis,
Augustiórem cógitas
Mundum, Creátor, álterum.
Illum Redemptor ártifex
Virtútibus condet suis,
Sparsóque terris ómnibus
Verbi potentis sémine.
Illum, peractis séculis,
Cœlo locábit; et throni
Mensæque consortem suæ
Deo redonábit Patri.
Utrique mundo qui præes,
Utrumque conserva, Pater:
Utrumque, Fili, dírige:

Utrumque, Flamen, cónsecra. Amen.

Psalmi, Ant. et ℣℣℣. *de Psalterio.*

Lectiones et Responsoria, ut in qualibet Dominica.

Non dicitur Te Deum, *usque ad Pascha, nisi in Festis.*

℣. *Sacerd.* Magnus Dóminus et laudábilis nimis; ℟. Et magnitúdinis ejus non est finis. *Ps.* 144.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 8. G. Dómine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt. *Act.* 4.

Ant. 5. C. Omnípotens manus tua, Dómine, creávit orbem terrárum: ómnia in mensúra, et número, et póndere disposuisti. *Sap.* 11.

Ant. 3. a. Dómine, Pater noster es tu, nos verò lutum; et fictor noster tu, et ópera mánuum tuárum omnes nos. *Is.* 64.

Ant. 6. F. Benedícant te cœli et terræ, mareque, et fontes, et flúmina, et omnes creatúræ tuæ quæ in eis sunt. *Tob.* 8.

Ant. 7. d. Laudáte Dóminum, cœli cœlórum; quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandávit, et creáta sunt. *Ps.* 148.

Capitulum. (*Apoc.* 4.)

Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem; quia tu creasti ómnia, et propter voluntátem tuam erant, et creáta sunt.

HYMNUS.

Qui nos creas solus, Pàter,
De prístino lapsos statu,
Non solus instauras: simul
Nostros labóres éxigis.

Delicta pœniténtibus
Clemens relaxas; ímprobos
Vocas morantes, et viam
Erróris urges línquere.

Scelus remordet; íntimo
Pectus dolóre scínditur:
Ultóris et partes Dei
Exercet in semet nocens.

Vitare plagas ádmonet
Ægrè recepta sánitas,
Et arctiórem sénsuum
Hortátur ad custódiam.

Divina non scrutábilis
O altitúdo cónsilî!
Sic vel malórum próvidus
Edúcis è sinu bona.

At obstinátis víndicem
Iram reservas: mérgitur
Scelestus orbis; únicus
Noë superstes éffugit.

Hic, præco pœniténtiæ,
Novi sequester fœderis,
Servátor orbis et parens,
Christi figúram prætulit.

Sit laus Patri, laus Fílio:
Utrumque qui nectis, Deus
Utríque compar, sit tibi
Laus sempiterna, Spíritus.
Amen.

℣. Magnus est Deus noster præ ómnibus diis: ℟. Omnia quæcumque vóluit, fecit. *Ps.* 134.

Ant. ad Benedictus, *et*

Collecta, ut in qualibet Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. Creávit Deus hóminem inexterminábilem; et ad imáginem similitúdinis suæ fecit illum. *Sap.* 2.

Canon *ad calcem.*

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Sicut per unum hóminem peccátum in mundum intrávit, et per peccátum mors; et ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt. *Rom.* 5.

Capitulum. (2. *Cor.* 11.)

Fratres; Tímeo ne sicut serpens Evam seduxit astútiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri, et éxcidant à simplicitáte quæ est in Christo.

℟. *br.* Salvum me fac, Dómine, * Quóniam defécit sanctus. Salvum. ℣. Diminútæ sunt veritátes * à fíliis hóminum, * Quóniam defécit sanctus. Glória Patri. Salvum me fac. *Ps.* 11.

℣. Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: ℟. Non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum. *Ps.* 13.

AD SEXTAM.

Ant. 3. b. Misericórdiæ Dómini, quia non sumus consumpti; quia non defecérunt miseratiónes ejus. *Thren.* 3.

Capitulum. (*Sap.* 10.)

Sapientia illum qui primus formátus est à Deo pater orbis terrárum, cùm solus esset creátus, custodívit, et eduxit illum à delicto suo, et dedit illi virtútem continendi ómnia.

℟. *br.* Quómodò miserétur pater filiórum, * Misertus est Dóminus. Quómodò. ℣. Quóniam ipse cognóvit * figmentum nostrum, * Misertus est Dóminus. Glória Patri. Quómodò miserétur pater filiórum.

℣. Recordátus est quóniam pulvis sumus: ℟. Homo sicut fœnum dies ejus. *Ps.* 102.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Nihil odisti eórum quæ fecisti: parcis autem ómnibus; quóniam tua sunt, Dómine, qui amas ánimas. *Sap.* 11.

Capitulum. (*Sap.* 1.)

Deus mortem non fecit, nec lætátur in perditióne vivórum; creávit enim ut essent ómnia, et sanábiles fecit natiónes orbis terrárum.

℟. *br.* Deus, tu conversus, * Vivificábis nos. Deus. ℣. Et plebs tua * lætábitur in te. * Vivificábis nos. Glória Patri. Deus. *Ps.* 84.

℣. Dómine, misericórdia tua in séculum: ℟. Opera

mánuum tuárum ne despícias. *Ps.* 137.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. D. Dómine Deus, ómnium creátor, qui fecisti patres electos, et sanctificasti eos, custódi partem tuam, et sanctífica. 2. *Mach.* c. 1.

Ant. 4. E. Ne áuferas misericórdiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum. *Dan.* 3.

Ant. 2. D. Juxta fidem defuncti sunt isti, non acceptis repromissiónibus, sed à longè eas aspicientes, et salutantes, et confitentes quia peregríni et hóspites sunt super terram. *Hebr.* 11.

Ant. 5. C. Deus non confúnditur vocári Deus eórum; parávit enim illis civitátem. *Hebr.* 11.

Ant. 3. 2. Móyses secùs rubum dicit Dóminum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob : Deus autem non est mortuórum, sed vivórum. *Luc.* 20.

Capitulum. (1. *Mach.* 2.)

Mementote óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis; et accipiétis glóriam magnam, et nomen æternum.

HYMNUS

Vos, ante Christi témpora,
Christi fidéles ásséclæ,
Verenda justórum cohors,
Primique credentûm patres:
 Vestram quis ô dignis queat
Efferre láudibus fidem?
Crebros anhelantis spei
Quis éxplicet suspíritus?
 Hic éxules, hìc ádvenæ,
Mundi figúram spérnitis:
Non litterâ, sed spíritu
Promissa pensátis bona.
 Intenta mens uni Deo
Respectat æternas domos:
Fac, Christe, nos veram quoque
Desideráre pátriam.
 Sit laus Patri; laus Fílio:
Utrumque qui nectis, Deus
Utríque compar, sit tibi
Laus sempiterna, Spíritus.
 Amen.

℣. Recordámini sermónis quem præcépit Dóminus,
℟. Quem pépigit cum Abraham. 1. *Paral.* 16.

Antiph. ad Magníficat, *et Collecta, ut in qualibet Dominica.*

Ad Completorium, *ut in Psalterio.*

IN FERIIS A SEPTUAGESIMA AD QUADRAGESIMAM.

INVITATORIUM.

Deum totíus creatúræ Dóminum, * Veníte, adorémus. *Judith.* 9.

Ps. 94. Veníte exultémus Dómino, 150.

Hymnus, Rebus creátis, 389.

Psalmi, Antiph. et Versic: *ut in Psalterio.*

Lectiones habentur infrà, in qualibet Feria.

Tria ℟℟℟. *sumuntur è Dominica præcedenti, ex I et II Nocturno alternatim, ut notatur in qualibet Feria.*

Non dicitur Te Deum *usque ad Pascha, nisi in Festis.*

℣. *Sacerd.* Magnus Dóminus, et laudábilis nimis; ℟. Et magnitúdinis ejus non est finis. *Ps.* 144.

AD LAUDES.

Psalmi et Antiph. de Psalterio.

Capitulum. (*Eccli.* 18.)

Qui vivit in æternum, creávit ómnia simul. Deus solus justificábitur, et manet invictus rex in æternum. Quis sússicit enarráre ópera illíus? Quis enim investigábit magnália ejus?

Hymnus, Qui nos creas, *ut suprà,* 390.

℣. Tuus est dies, et tua est nox : ℟. Tu fabricátus es auróram et solem. *Ps.* 73.

Ad Benedictus, *Antiph. propria, ut in qualibet Feria.*

Collecta Dominicæ præcedentis.

Ad Horas, *Psalmi et Ant. de Psalterio.*

AD PRIMAM.

Canon, *ad calcem, pro tempore Septuages. secundùm feriam.*

AD TERTIAM.

Capitulum. (*Hebr.* 11.)

Fide plúrimam hóstiam Abel quàm Caïn óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo; et per illam defunctus adhuc lóquitur.

℟. *br.* Sacrificáte sacrifícium justítiæ : * Speráte in Dómino. Sacrificáte. ℣. Multi dicunt : * Quis ostendit nobis bona? * Speráte. Glória. Sacrificáte. *Ps.* 4.

℣. Sacrifícium laudis honorificábit me : ℟. Et illic iter quo ostendam illi salutáre Dei. *Ps.* 49.

AD SEXTAM.

Capitulum. (*Hebr.* 11.)

Fide Enoch translátus est, ne vidéret mortem; et non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus : ante translatiónem enim testimónium hábuit placuisse Deo.

℟. *br.* Beátus vir * Cujus est nomen Dómini spes ejus. Beátus. ℣. Et non respexit in vanitátes * et insánias falsas; * Cujus. Glória Patri. Beátus. *Ps.* 39.

℣. Suscípiens mansuétos Dóminus, ℟. Humílians autem peccatóres usque ad terram. *Ps.* 146.

AD NONAM.

Capitulum. (*Hebr.* 11.)

Fide Noë, responso accepto

de iis quæ adhuc non videbantur, métuens aptávit arcam in salútem domûs suæ, per quam damnávit mundum; et justítiæ quæ per fidem est, hæres est institútus.

℟. br. Justus Dóminus, * Et justítias diléxit. Justus. ℣. Æquitátem vidit * vultus ejus, * Et justítias diléxit. Glória. Justus. Ps. 10.

℣. Salus justórum à Dómino, ℟. Et protector eórum in témpore tribulatiónis. Ps. 36.

AD VESPERAS.

Psalmi et Antiph. de Psalt.

Capítulum. (*Hebr.* 11.)

FIDE Abraham demorátus est in terra repromissiónis, tanquam in aliéna, in cásulis habitando cum Isaac et Jacob cohærédibus repromissiónis ejusdem; expectábat enim fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex et cónditor Deus.

Hymnus, Vos, ante, 392.

℣. Advena ego sum apud te, et peregrínus, ℟. Sicut omnes patres mei. Ps. 38.

Ad Magníficat, *Antiph. propria, ut in qualibet Feria.*

AD COMPLETORIUM, *ut in Psalterio.*

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 2.)

ISTÆ sunt generatiónes cœli et terræ, quando creáta sunt in die quo fecit Dóminus Deus cœlum et terram; et omne virgultum agri, ántequàm orirétur in terra; omnemque herbam regiónis, priusquàm germináret; non enim plúerat Dóminus Deus super terram, et homo non erat qui operarétur terram; sed fons ascendébat è terra, írrigans universam superfíciem terræ. Formávit ígitur Dóminus Deus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem ejus spiráculum vitæ, et factus est homo in ánimam viventem. Plantáverat autem Dóminus Deus paradísum voluptátis à princípio, in quo pósuit hóminem quem formáverat. Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suáve; lignum étiam vitæ in médio paradísi, lignumque sciéntiæ boni et mali. Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis ad irrigandum paradísum, qui inde divíditur in quátuor cápita.

℟. In princípio, 384.

LECTIO II.

TULIT ergo Dóminus Deus hóminem, et pósuit eum in paradíso voluptátis, ut operarétur et custodíret illum; præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradísi cómede, de ligno autem sciéntiæ boni et mali ne cómedas: in quocumque enim die comé-

ederis ex eo, morte moriéris. Dixit quoque Dóminus Deus : Non est bonum esse hóminem solum : faciámus ei adjutórium símile sibi. Formátis ígitur Dóminus Deus de humo cunctis animántibus terræ, et universis volatílibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea; omne enim quod vocávit Adam ánimæ vivéntis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nomínibus suis cuncta animántia, et universa volatília cœli, et ómnes béstias terræ.

℟. Verbo Dómini, 385.

LECTIO III.

Adæ verò non inveniebátur adjútór símilis ejus. Immísit ergo Dóminus Deus sopórem in Adam : cùmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replévit carnem pro ea. Et ædificávit Dóminus Deus costam, quam túlerat de Adam, in mulíerem; et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam : Hoc nunc os ex óssibus meis, et caro de carne mea : hæc vocábitur Virágo, quóniam de viro sumpta est. Quàmobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærébit uxóri suæ : et erunt duo in carne una. Erat autem uterque nudus, Adam scílicet, et uxor ejus; et non erubescébant.

℟. Ait Deus, 386.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Deus ab inítio constítuit hóminem, et relíquit illum in manu consílii sui : adjécit mandáta et præcepta sua. *Eccli.* 15.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *d.* Ante hóminem vita et mors, bonum et malum; quod placúerit ei, dábitur illi. *Eccli.* 15.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 3.)

Sed et serpens erat callídior cunctis animántibus terræ, quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem : Cur præcépit vobis Deus, ut non comederétis de omni ligno paradísi? Cui respondit mulíer : De fructu lignórum quæ sunt in paradíso, véscimur; de fructu verò ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus ne comederémus, et ne tangerémus illud, ne fortè moriámur. Dixit autem serpens ad mulíerem : Nequáquam morte moriémini; scit enim Deus quòd in quocumque die comedéritis ex eo, aperientur óculi vestri, et éritis sicut dii, scientes bonum et malum. Vidit ígitur múlier quòd bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum óculis, aspectuque delectábile: et tulit de fructu illíus, et comédit; deditque viro suo, qui comédit. Et

aperti sunt óculi ambórum.

℟. Deus de terra, 386.

LECTIO II.

Cumque cognovissent se esse nudos, consuérunt fólia ficûs, et fecérunt sibi perizómata. Et cùm audissent vocem Dómini Dei deambulantis in paradíso ad auram post merídiem, abscondit se Adam, et uxor ejus à fácie Dómini Dei in médio ligni paradísi. Vocavitque Dóminus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es? Qui ait : Vocem tuam audívi in paradíso, et tímui, eò quòd nudus essem, et abscondi me. Cui dixit : Quis enim indicávit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedisti? Dixitque Adam : Múlier quam dedisti mihi sóciam, dedit mihi de ligno; et comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem : Quare hoc fecisti? Quæ respondit : Serpens decépit me, et comédi.

℟. A mulíere, 387.

LECTIO III.

Et ait Dóminus Deus ad serpentem : Quia fecisti hoc, maledictus es inter ómnia animántia, et béstias terræ : super pectus tuum gradiéris, et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus : ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo ejus. Mulíeri quoque dixit : Multiplicábo ærumnas tuas et conceptus tuos : in dolóre páries fílios, et sub viri potestáte eris; et ipse dominábitur tuî. Adæ verò dixit : Quia audisti vocem uxóris tuæ, et comedisti de ligno ex quo præcéperam tibi ne coméderes, maledicta terra in ópere tuo : in labóribus cómedes ex ea cunctis diébus vitæ tuæ. Spinas et tríbulos germinábit tibi, et cómedes herbam terræ. In sudóre vultûs tui vescéris pane, donec revertáris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in púlverem revertéris. Et vocávit Adam nomen uxóris suæ, Eva; eò quòd mater esset cunctórum vivéntium.

℟. Sicut, 387.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Inítium supérbiæ hóminis apostatáre à Deo, quóniam ab eo qui fecit illum recessit cor ejus; quóniam inítium omnis peccáti est supérbia. *Eccli.* 10.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. à. Oculi Dei sine intermissióne inspicientes in viis hóminum : non sunt absconsa testamenta per iniquitátem illórum. *Eccli.* 17.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 3.)

Fecit Dóminus Deus Adæ

ri ejus túnicas pellí-
s induit eos, et ait:
Adam quasi unus ex
factus est, sciens bo-
t malum; nunc ergo
rtè mittat manum
et sumat étiam de
vitæ, et cómedat, et
n æternum. Et emísit
Dóminus Deus de pa-
voluptátis, ut opera-
erram, de qua sump-
. Ejecitque Adam, et
ávit ante paradísum
tátis Chérubim, et
eum gládium atque
ilem, ad custodien-
iam ligni vitæ.
In princípio creávit
384.

LECTIO II.

(Cap. 4.)

verò cognóvit uxó-
iam Evam; quæ con-
et péperit Caïn, di-
Possédi hóminem per
. Rursumque péperit
n ejus Abel. Fuit au-
bel pastor óvium, et
igrícola. Factum est
post multos dies ut
t Caïn de frúctibus
múnera Dómino. Abel
e óbtulit de primo-
gregis sui, et de
us eórum: et res-
Dóminus ad Abel,
múnera ejus; ad Caïn
et ad múnera illíus
spexit: iratusque est
ehementer, et cónci-
ltus ejus. Dixitque
Dóminus ad eum: Quare
irátus es? et cur cóncidit
fácies tua? Nonne si bene
égeris, recípies; sin autem
malè, statim in fóribus pec-
cátum áderit? Sed sub te
erit appetítus ejus, et tu
domináberis illíus.

℟. Verbo Dómini, 385.

LECTIO III.

Dixitque Caïn ab Abel fra-
trem suum: Egrediamur fo-
ràs. Cùmque essent in agro,
consurrexit Caïn adversùs
fratrem suum Abel, et in-
terfécit eum. Et ait Dómi-
nus ad Caïn: Ubi est Abel
frater tuus? Qui respondit:
Néscio; num custos fratris
mei sum ego? Dixitque ad
eum: Quid fecisti? vox sán-
guinis fratris tui clamat ad
me de terra. Nunc ígitur
maledictus eris super ter-
ram, quæ apéruit os suum,
et suscépit sánguinem fra-
tris tui de manu tua. Cùm
operátus fúeris eam, non
dabit tibi fructus suos: va-
gus et prófugus eris super
terram.

℟. Ait Deus, 386.

Ad Benedictus, *Ant.* 7.
ç. Invídiâ diáboli mors in-
troívit in orbem terrárum:
imitantur autem illum qui
sunt ex parte illíus *Sap.* 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 8
G. Non est ex Deo, qui non
díligit fratrem: sicut Caïn
qui ex maligno erat, et oc-
cídit fratrem suum; quó-
niam ópera ejus maligna

erant, fratris autem ejus justa. 1. *Joan.* 3.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 4.)

Dixit Caïn ad Dóminum: Major est iníquitas mea, quàm ut véniam mérear. Ecce éjicis me hódie à fácie terræ, et à fácie tua abscondar, et ero vagus et prófugus in terra; omnis ígitur qui invénerit me, occídet me. Dixitque ei Dóminus: Nequáquam ita fiet; sed omnis qui occíderit Caïn, séptuplùm puniétur. Posuitque Dóminus Caïn signum, ut non interfíceret eum omnis qui invenisset eum. Egressusque Caïn à fácie Dómini, habitávit prófugus in terra ad orientálem plagam Eden.

℟. Deus de terra, 386.

LECTIO II

Cognovit autem Caïn uxórem suam, quæ concépit et péperit Enoch: et ædificávit civitátem, vocavitque nomen ejus ex nómine fílii sui, Enoch. Porrò Enoch génuit Irad, et Irad génuit Mavíael, et Mavíael génuit Mathúsael, et Mathúsael génuit Lamech. Qui accépit duas uxóres: nomen uni Ada, et nomen álteri Sella. Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitántium in tentóriis, atque pastórum. Et nomen fratris ejus, Jubal: ipse fuit pater canéntium cítharà et órgano. Sella quoque génuit Tubálcaïn, qui fuit malleátor, et faber in cuncta ópera æris et ferri. Soror verò Tubálcaïn, Noéma.

℟. A muliere, 387.

LECTIO III.

Dixitque Lamech uxóribus suis, Adæ et Sellæ: Audíte vocem meam, uxóres Lamech, auscultáte sermónem meum: Quóniam occídi virum in vulnus meum, et adolescéntulum in livórem meum. Séptuplùm últio dábitur de Caïn, de Lamech verò septuágies sépties. Cognóvit quoque adhuc Adam uxórem suam; et péperit fílium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Pósuit mihi Deus semen áliud pro Abel quem occídit Caïn. Sed et Seth natus est fílius, quem vocávit Enos: iste cœpit invocáre nomen Dómini.

℟. Sicut, 387.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. *a.* Deus ipse fecit ex uno omne genus hóminum, inhabitáre super universam fáciem terræ, defíniens statúta témpora habitatiónis eórum. *Act.* 17.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Bona bonis creáta sunt ab inítio, sic nequíssimis bona et mala; ómnia sanctis

in bona, sic et ímpiis et peccatóribus in mala convertentur. *Eccli.* 39.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 5.)

Hic est liber generatiónis Adam. In die quâ creávit Deus hóminem, ad similitúdinem Dei fecit illum. Másculum et féminam creávit eos, et benedixit illis; et vocávit nomen eórum Adam, in die quo creáti sunt. Vixit autem Adam centum triginta annis, et génuit ad imáginem et similitúdinem suam, vocavitque nomen ejus Seth. Et facti sunt dies Adam, postquam génuit Seth, octingenti anni; genuitque fílios et fílias. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est. Vixit quoque Seth centum quinque annis, et génuit Enos. Vixitque Seth, postquam génuit Enos, octingentis septem annis; genuitque fílios et fílias. Et facti sunt omnes dies Seth nongentórum duódecim annórum, et mórtuus est.

℟. In princípio, 384.

LECTIO II.

Et vixit Jared, postquàm génuit Enoch, octingentis annis; et génuit fílios et fílias. Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, et mórtuus est. Porrò Enoch vixit sexaginta quinque annis, et génuit Mathúsalam. Et ambulávit Enoch cum Deo: et vixit, postquàm génuit Mathúsalam, trecentis annis; et génuit fílios et fílias. Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulávitque cum Deo; et non appáruit, quia tulit eum Deus.

℟. Verbo Dómini, 385.

LECTIO III.

Vixit quoque Mathúsala centum octoginta septem annis, et génuit Lamech. Et vixit Mathúsala, postquàm génuit Lamech, septingentis octoginta duóbus annis; et génuit fílios et fílias. Et facti sunt omnes dies Mathúsala nongenti sexaginta novem anni, et mórtuus est. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et génuit fílium. Vocavitque nomen ejus Noë, dicens: Iste consolábitur nos ab operibus et labóribus manuum nostrárum, in terra cui maledixit Dóminus. Vixitque Lamech, postquàm * génuit Noë, quingentis nonaginta quinque annis; et génuit fílios et fílias. Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni, et mórtuus est.

℟. Ait Deus, 38 6.

Ad Benedictus, *Antiph.* 6. C. Quid habet ámplius homo de universo labóre suo, quo labórat sub sole? Generátio præterit, et generátio advénit : universa vánitas et afflíctio spíritûs. *Eccles.* 1.

Ad Vesperas, *de beata Maria in Sabbato, nisi occurrat Festum Duplex, aut suprà; Commemoratio de Semiduplici aut Simplici, si occurrat.*

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 5 et 6.)

Noe cùm quingentórum esset annórum, génuit Sem, Cham et Japhet. Cùmque cœpissent hómines multiplicári super terram, et fílias procreassent, videntes fílii Dei fílias hóminum quod essent pulchræ, accepérunt sibi uxóres ex omnibus quas elégerant. Dixitque Deus : Non permanébit Spíritus meus in hómine in æternum, quia caro est : eruntque dies illíus centum viginti annórum. Gigantes autem erant super terram in diébus illis. Postquàm enim ingressi sunt fílii Dei ad fílias hóminum, illæque genuérunt, isti sunt potentes à século viri famósi.

LECTIO II.

Videns autem Deus quòd multa malitia hóminum esset in terra, et cuncta cogitátio cordis intenta esset ad malum omni témpore, pœnítuit eum quòd hóminem fecisset in terra. Et tactus dolóre cordis intrínsecùs, Delébo, inquit, hóminem quem creávi, à fácie terræ, ab hómine usque ad animántia, a réptili usque ad volucres cœli : pœnitet enim me fecisse eos. Noë verò invénit grátiam coram Dómino. Hæ sunt generatiónes Noë : Noë vir justus atque perfectus fuit in generatiónibus suis : cum Deo ambulávit; et génuit tres fílios, Sem, Cham et Japhet. Corrupta est autem terra coram Deo, et repléta est iniquitáte.

LECTIO III.

Cumque vidisset Deus terram esse corruptam. (omnis quippe caro corrúperat viam suam super terram) dixit ad Noë : Finis universæ carnis venit coram me : repléta est terra iniquitáte a fácie eórum, et ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis lævigátis : mansiúnculas in arca fácies, et bitúmine línies intrínsecùs et extrínsecùs. Et sic fácies eam : Trecentórum cubitórum erit longitúdo arcæ, quinquaginta cubitórum latitúdo, et triginta cubitórum altitúdo illíus. Fenestram in arca fá-

cies, et in cúbito consummábis summitátem ejus; óstium autem arcæ pones ex látere : deorsum, cœnácula et trístega fácies in ea. Ecce ego addúcam aquas dilúvii super terram, ut interfíciam omnem carnem in qua spíritus vitæ est subter cœlum. Universa quæ in terra sunt consumentur. Ponamque fœdus meum tecum; et ingrediéris arcam tu et fílii tui, uxor tua et uxóres filiórum tuórum tecum. Et ex cunctis animántibus universæ carnis bina indúces in arcam, ut vivant tecum, masculíni sexûs et feminíni.

AD VESPERAS.

Antiphonæ et Psalmi de Psalterio.

Capitulum. (*Sap.* 14.)

Ab inítio cùm perírent superbi gigantes, spes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remísit século semen nativitátis, quæ manu tuâ, Pater, erat gubernáta.

Hymnus et ℣. *ut in Sabbato ante Septuagesimam,* 383.

Ad Magníficat, *Antiph.* 5. C. Noë vir justus atque perfectus fuit in generatiónibus suis : cum Deo ambulávit. *Gen.* 6.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Completorium, *ut in Psalterio.*

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Omnia ut in Dominicis à Septuagesima ad Quadragesimam, 389, *additis quæ sequuntur.*

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 6 et 7.)

Fecit Noë ómnia quæ præcéperat illi Deus. Dixitque Dominus ad eum : Ingrédere tu, et omnis domus tua in arcam; te enim vidi justum coram me in generatióne hac. Ex ómnibus animántibus mundis tolle septéna et septéna, másculum et féminam : de animántibus verò immundis duo et duo, másculum et féminam. Sed et de volatílibus cœli septéna et septéna, másculum et féminam; ut salvétur semen super fáciem universæ terræ. Adhuc enim, et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diébus et quadraginta nóctibus; et delébo omnem substántiam quam feci, de superfície terræ. Fecit ergo Noë ómnia quæ mandáverat ei Dóminus.

℟. Videns Deus quòd multa malítia hóminum esset in terra, et cuncta cogitátio cordis intenta esset ad malum omni témpore : *

Delébo, inquit, hóminem quem creávi, à fácie terræ. ℣. Non est justus quisquam, non est requírens Deum; omnes enim peccavérunt: * Delébo. *Genes.* 6. *Rom.* 3.

LECTIO II.

Cumque transissent septem dies, aquæ dilúvii inundavérunt super terram. Anno sexcentésimo vitæ Noë, mense secundo, séptimo-décimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt: et facta est plúvia super terram quadraginta diébus et quadraginta nóctibus. In artículo diéi illíus ingressus est Noë, et Sem, et Cham, et Japhet, fílii ejus, uxor illíus, et tres uxóres filiórum ejus cum eis, in arcam; ipsi, et omne ánimal secundùm genus suum, universaque jumenta in génere suo, et omne quod movétur super terram in génere suo, cunctumque volátile secundùm genus suum, universæ aves, omnesque vólucres ingressæ sunt ad Noë in arcam, bina et bina ex omni carne in qua erat spíritus vitæ. Et quæ ingressa sunt, másculus et fémina, ex omni carne introiérunt, sicut præcéperat ei Deus; et inclúsit eum Dóminus déforis.

℟. Noë inventus est perfectus, justus; et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio: * Ideò dimissum est réliquum terræ, cùm factum est dilúvium. ℣. Deus origináli mundo non pepercit, sed octávum Noë justítiæ præcónem custodívit; * Ideò. *Eccli.* 44. 2. *Petr.* 2.

LECTIO III.

Factumque est dilúvium quadraginta diébus super terram; et multiplicátæ sunt aquæ, et elevavérunt arcam in sublíme à terra. Vehementer enim inundavérunt; et ómnia replevérunt in superfície terræ: porrò arca ferebátur super aquas. Et aquæ prævaluérunt nimis super terram; opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo. Quíndecim cúbitis áltior fuit aqua super montes quos operúerat. Consumptaque est omnis caro quæ movebátur super terram, vólucrum, animántium, bestiárum, omniumque reptílium quæ reptant super terram; universi hómines, et cuncta in quibus spiráculum vitæ est in terra, mórtua sunt. Et delévit omnem substántiam quæ erat super terram, ab hómine usque ad pecus, tam réptile quàm vólucres cœli; et deléta sunt de terra. Remansit autem solus Noë, et qui cum eo erant in arca. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diébus.

℟. Aquæ prævaluérunt nimis, opertique sunt omnes montes, et delévit Deus omnem substántiam super terram. * Remansit solus Noë, et qui cum eo erant in arca. ℣. In arca pauci, id est, octo ánimæ salvæ factæ sunt per aquam. * Remansit. Glória. * Remansit. *Gen.* 7. 1. *Petr.* 3.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de catechizandis rúdibus.

(Cap. 18.)

Quidquid homo fécerit, laudábilem in suis factis ínvenit Deum : si rectè égerit, laudábilem ínvenit per justítiam præmiórum : si peccáverit, laudábilem ínvenit per justítiam suppliciórum: si peccáta conféssus ad rectè vivendum redíerit, laudábilem ínvenit per misericórdiam indulgentiárum. Cur ergo non fáceret Deus hóminem, quamvis eum peccatúrum prænósceret, cùm et stantem coronáret, et cadentem ordináret, et surgentem adjuváret; semper et ubíque ipse gloriósus bonitáte, justítiâ, cleméntiâ?

℟. Gigantes nomináti illi, qui ab inítio fuérunt, viam disciplínæ non invenérunt, et proptéreà periérunt: * Et quóniam non habuérunt sapiéntiam, interiérunt propter suam insipiéntiam. ℣. In diebus Noë erant comedentes et bibentes, donec venit dilúvium, et tulit omnes : * Et. *Baruch.* 3. *Matt.* 24.

LECTIO V.

Nam est quòd omnes dilúvio delévit, excepto uno justo cum sóciis, quos in arca servári vóluit, nóverat quidem quòd non se correctúri essent : verúmtamen cùm per centum annos arca fabricáta est, prædicabátur útique eis ira Dei ventúra super eos : et si converterentur ad Deum, párceret eis, sicut pepercit pósteà Nínivæ civitáti agenti pœniténtiam, cùm ei per Prophétam futúrum intéritum prænuntiasset. Hoc autem facit Deus, étiam illis quos novit in malítia perseveratúros, dans pœnitendi spátium, ut nostram patiéntiam exérceat, et informet exemplo suo.

℟. Egressus Noë de arca, ædificávit altáre Dómino, et óbtulit holocausta : * Benedixitque Deus Noë et fíliis ejus. ℣. Justítiæ quæ per fidem est, Noë hæres est institútus : * Benedixitque. *Genes.* 8 *et* 9. *Hebr.* 11.

LECTIO VI.

Prænuntiabatur dilúvii sacramento, quo per lignum justi liberáti sunt, futúra Ecclésia, quam Rex ejus

Deus Christus mystério suæ crucis ab hujus séculi submersióne suspendit. Neque enim Deus ignorábat quòd étiam ex illis qui fúerant in arca serváti, nascitúri erant mali : sed tamen et exemplum futúri judícii dedit, et sanctórum liberatiónem ligni mystério prænuntiávit.

℟. Dixit Deus : Arcum meum ponam in núbibus : et * Erit signum fœderis inter me, et inter terram ; et † Non erunt ultrà aquæ dilúvii, ad delendum universam carnem. ℣. Vide arcum, et bénedic eum qui fecit illum. * Erit signum fœderis inter me, et inter terram. Glória. † Non erunt ultrà aquæ dilúvii, ad delendum. *Gen.* 9. *Eccli*. 43.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 8.)

In illo témpore ; Cùm turba plúrima convenírent, et de civitátibus properárent ad Jesum, dixit per similitúdinem : Exiit qui séminat, semináre semen suum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 15, in Evang. habita in Basilica S. Pauli, Dominicâ Sexagesimæ, n. 1.)

Lectio sancti Evangélii, quam modò, fratres caríssimi, audistis, expositióne non índiget, sed admonitióne. Quam enim per semetipsam Véritas expósuit, hanc discútere humána fragílitas non præsúmit. Sed est quòd sollícitè in hac ipsa expositióne Domínica pensáre debeátis : quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, vólucres dæmónia, spinas divítias significáre dicerémus ; ad credendum nobis mens fórsitan vestra dubitáret. Unde et idem Dóminus per semetipsum dignátus est expónere quod dicébat, ut sciátis rerum significatiónes quærere in iis étiam quæ per semetipsum nóluit explanáre.

℟. Dixit Jesus per similitúdinem : Exiit qui séminat, semináre semen suum ; et áliud * Semen cécidit in terram bonam, et ortum fecit fructum céntuplum. ℣. Sic erit verbum quod egrediétur de ore meo : non revertétur ad me vácuum. * Semen. *Luc.* 8. *Is.* 55.

LECTIO VIII.

Exponendo ergo quod dixit, figuráte se loqui innótuit : quátenus certos vos rédderet, cùm vobis nostra fragílitas verbórum illíus figúras aperíret. Quis enim mihi unquam créderet, si spinas divítias interpretári voluíssem ; máximè cùm illæ pungant, istæ delectent ? et ta-

spinæ sunt; quia cogi-
ium suárum punctió-
i mentem lácerant : et
usque ad peccátum
ahunt, quasi inflicto
ere cruentant. Quas
hoc in loco, álio Evan-
à attestante, nequá-
a Dóminus divítias, sed
ces divítias appellat.
Vobis datum est nosse
éria regni cœlórum; il-
item non est datum. *
in parábolis loquor
quia videntes non vi-
, et audientes non áu-
t. ℣. Dixit Dóminus :
ca cor pópuli hujus, et
os ejus claude; ne forte
it óculis suis, et sanem
*Ideò. *Matth.* 13 *Is.* 6.

LECTIO IX.
(N. I et 2.)

LACES enim sunt, quæ
scum diù permanére
possunt : falláces sunt,
mentis nostræ inópiam
expellunt. Solæ autem
iæ veræ sunt, quæ nos
es virtútibus fáciunt.
go, fratres caríssimi,
es esse cúpitis, veras
ias amáte. Si culmen
honóris quæritis, ad
ite regnum téndite. S
am dignitátum dilígi-
n illa superna Angelo-
cúria ascríbi festináte.
a Dómini, quæ aure
pitis, mente retinéte.
s enim mentis est ser-
ei; et quasi acceptus
stómacho languente
rejícitur, quando audítus sermo in ventre memóriæ non tenétur. Sed quisquis alimenta non rétinet, hujus profectò vita desperátur.

℟. Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ à viis vestris. * Et quómodò descendit imber, et inébriat terram, et dat semen serenti, et panem comedenti; sic erit verbum meum. ℣. Sic est regnum Dei, quemádmodùm si homo jáciat sementem in terram, et semen gérminet et increscat. * Et quomodò. Glória. *Repet.* ℟. Sicut *usque ad* ℣. Sic est. *Is.* 55. *Marc.* 4.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Qui secùs viam, hi sunt qui áudiunt; et diábolus tollit verbum de corde eórum : qui autem supra petram, hi radíces non habent; ad tempus credunt, et in témpore tentatiónis recédunt. *Luc.* 8.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui cónspicis quia ex nulla nostra actióne confídimus : concéde propítius, ut contra adversa ómnia, grátiæ tuæ protectióne muniámur; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Quod in spinas cécidit, hi sunt qui à sollicitudínibus, et divítiis, et voluptátibus vitæ euntes, suffocantur : quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et óptimo audientes

verbum rétinent, et fructum áfferunt in patiéntia. *Luc.* 8.

Collecta, ut suprà.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 8.)

Recordatus Deus Noë, cunctorumque animántium, et ómnium jumentórum quæ erant cum eo in arca, adduxit spíritum super terram, et imminútæ sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyssi, et cataractæ cœli; et prohíbitæ sunt plúviæ de cœlo. Reversæque sunt aquæ de terra, euntes et redeuntes; et cœpérunt mínui post centum quinquaginta dies. Requievitque arca mense séptimo, vigésimo die mensis, super montes Arméniæ. At verò aquæ ibant et decrescébant usque ad décimum mensem; décimo enim mense, primâ die mensis, apparuérunt cacúmina móntium.

℟. Videns Deus, 401.

LECTIO II.

Cumque transisssent quadraginta dies, apériens Noë fenestram arcæ, quam fécerat, dimísit corvum, qui egrediebátur, et non revertebátur, donec siccarentur aquæ super terram. Emísit quoque columbam post eum, ut vidéret si jam cessassent aquæ super fáciem terræ. Quæ cùm non invenisset ubi requiésceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam; aquæ enim erant super universam terram. Extenditque manum, et apprehensam íntulit in arcam. Expectátis autem ultrà septem diébus áliis, rursum dimísit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vésperam, portans ramum olívæ viréntibus fóliis in ore suo. Intellexit ergo Noë quòd cessassent aquæ super terram, expectavitque nihilóminùs septem álios dies, et emísit columbam, quæ non est reversa ultrà ad eum.

℟. Noë inventus est perfectus, 402.

LECTIO III.

Mense secundo, séptimo et vigésimo die mensis, arefacta est terra. Locútus est autem Deus ad Noë, dicens: Egrédere de arca, tu et uxor tua, fílii tui et uxóres filiórum tuórum tecum. Cuncta animántia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatílibus, quàm in béstiis, et universis reptílibus quæ reptant super terram, educ tecum, et ingredímini super terram: créscite, et multiplicámini super eam. Egressus est ergo Noë, et fílii ejus, uxor illíus, et uxóres filiórum ejus cum eo. Sed et ómnia animántia, jumenta, et reptília quæ reptant super

n secundùm genus
, egressa sunt de arca.
cávit autem Noë altá-
mino; et tollens de
is pecóribus et volú-
s mundis, óbtulit ho-
sta super altáre. Odo-
que est Dóminus odó-
uavitátis, et ait : Ne-
iam ultrà maledícam
propter hómines : sen-
iim et cogitátio humá-
rdis in malum prona
ib adolescéntia sua.

Aquæ prævaluérunt
, 403.

Benedictus, *Ant.* 1.
eli erant priùs, et terra
ua, et per aquam con-
is Dei verbo; per quæ
inc mundus aquà inun-
périit. 2. *Petr.* 3.

Magníficat, *Ant.* 7. d.
iodò dilúvium áridam
iávit, sic ira Dómini
s quæ non exquisiérunt
hæreditábit. *Eccli.* 39.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 9.)

DIXIT Deus Noë et fí-
jus; et dixit ad eos :
ite, et multiplicámini,
pléte terram. Et terror
r ac tremor sit super
ta animália terræ, et
omnes vólucres cœli,
universis quæ moven-
uper terram. Omnes
s maris mánui vestræ
ti sunt; et omne quod
movétur et vivit, erit vobis in cibum : quasi ólera viréntia trádidi vobis ómnia, excepto quòd carnem cum sánguine non comedétis : sánguinem enim animárum vestrárum requíram de manu cunctárum bestiárum; et de manu hóminis, de manu viri et fratris ejus requíram ánimam hóminis. Quicumque effúderit humánum sánguinem, fundétur sanguis illíus; ad imáginem quippe Dei factus est homo.

℟. Gigantes, 403.

LECTIO II.

HÆC quoque dixit Deus ad Noë, et ad fílios ejus cum eo : Ecce ego státuam pactum meum vobiscum, et cum sémine véstro post vos : et ad omnem ánimam viventem quæ est vobiscum tam in volúcribus quàm in jumentis et pecúdibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, et univérsis béstiis terræ. Státuam pactum meum vobiscum, et nequáquam ultrà interficiétur omnis caro aquis dilúvii, neque erit deinceps dilúvium díssipans terram. Dixitque Deus : Hoc signum fœderis quod do inter me et vos, et ad omnem ánimam viventem quæ est vobiscum in generatiónes sempiternas : Arcum meum ponam in núbibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. Cùmque obdúxero nú-

bibus cœlum, apparébit arcus meus in núbibus; et recordábor fœderis mei vobiscum, et cum omni ánima vivente quæ carnem végetat: et non erunt ultrà aquæ dilúvii ad delendum universam carnem.

℟. Egressus Noë, 403.

LECTIO III.

Erant ergo fílii Noë, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham et Japhet: porrò Cham ipse est pater Chánaan. Tres isti fílii sunt Noë, et ab his disseminátum est omne genus hóminum super universam terram. Cœpitque Noë vir agrícola exercére terram, et plantávit víneam. Bibensque vinum inebriátus est, et nudátus in tabernáculo suo. Quod cùm vidisset Cham pater Chánaan, verenda scílicet patris sui esse nudáta, nuntiávit duóbus frátribus suis foràs. At verò Sem et Japhet pállium imposuérunt húmeris suis, et incedentes retrorsùm, operuérunt verenda patris sui; faciesque eórum aversæ erant, et patris virília non vidérunt. Evígilans autem Noë ex vino, cùm didicisset quæ fécerat ei fílius suus minor, ait: Maledictus Chánaan, servus servórum erit frátribus suis. Dixitque: Benedictus Dóminus Deus Sem; sit Chánaan servus ejus. Dilátet Deus Japhet, et hábitet in tabernáculis Sem; sitque Chánaan servus ejus. Vixit autem Noë post dilúvium trecentis quinquaginta annis: et impléti sunt omnes dies ejus nongentórum quinquaginta annórum, et mórtuus est.

℟. Dixit Deus, 404.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Sicut in diébus Noë jurávi ne indúcerem aquas ultrà super terram, sic jurávi ut non irascar tibi, dixit miserátor tuus Dóminus. *Is.* 54.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Benedíctio patris firmat domos filiórum: glória hóminis ex honóre patris sui. *Eccli.* 3.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 11.)

Erat terra lábii uníus, et sermónum eorumdem. Cùmque proficiscerentur de oriente, invenérunt campum in terra Sennaar, et habitavérunt in eo. Dixitque alter ad próximum suum: Veníte, faciámus láteres, et coquámus eos igni. Habuerúntque láteres pro saxis, et bitúmen pro cæmento, et dixérunt: Veníte, faciámus nobis civitátem, et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum; et celebrémus nomen nostrum ántequàm dividámur in universas terras. Descendit autem Dómi-

nus ut vidéret civitátem, et turrim quam ædificábant fílii Adam, et dixit : Ecce unus est pópulus, et unum lábium ómnibus; cœperuntque hoc fácere, nec desistent à cogitatiónibus suis, donec eas ópere cómpleant. Veníte ígitur, descendámus, et confundámus ibi linguam eórum, ut non áudiat unusquisque vocem próximi sui. Atque ita divísit eos Dóminus ex illo loco in universas terras, et cessavérunt ædificáre civitátem. Et idcirco vocátum est nomen ejus, Babel.

℟. Videns Deus, 401.

LECTIO II.

VIXITQUE Thare septuaginta annis, et génuit Abram, et Nachor, et Aran. Hæ sunt autem generatiónes Thare: Thare génuit Abram, Nachor, et Aran. Porrò Aran genuit Lot. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra nativitátis suæ, in Ur Chaldæórum. Duxérunt autem Abram et Nachor uxóres : nomen uxóris Abram, Sáraï; et nomen uxóris Nachor, Melcha fília Aran, patris Melchæ, et patris Jeschæ. Erat autem Sáraï stérilis, nec habébat líberos. Tulit ítaque Thare Abram fílium suum, et Lot fílium Aran fílium fílii sui, et Sáraï nurum suam, uxórem Abram fílii sui, et eduxit eos de Ur Chaldæórum, ut irent in terram Chánaan: veneruntque usque Haran, et habitavérunt ibi. Et facti sunt dies Thare ducentórum quinque annórum, et mórtuus est in Haran.

℟. Noe inventus est perfectus, 402.

LECTIO III.

(Cap. 12.)

DIXIT autem Dóminus ad Abram : Egrédere de terra tua, et de cognatióne tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrábo tibi; faciamque te in gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum, erisque benedictus. Benedícam benedicéntibus tibi, et maledícam maledicéntibus tibi; atque in te benedicentur universæ cognatiónes terræ. Egressus est ítaque Abram, sicut præcéperat ei Dóminus, et ivit cum eo Lot. Septuaginta quinque annórum erat Abram, cùm egrederétur de Haran. Tulitque Sáraï uxórem suam, et Lot fílium fratris sui, universamque substántiam quam posséderant, et ánimas quas fécerant in Haran; et egressi sunt, ut irent in terram Chánaan.

℟. Aquæ, 403.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. In consensu nequítiæ cùm se natiónes contulissent, sapiéntia scivit justum, et conservávit sine queréla Deo. *Sap.* 10.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Quando dividébat Altíssimus gentes, quando separábat fílios Adam, constítuit términos populórum; pars autem Dómini pópulus ejus. *Deut.* 32.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 13.)

Facta est rixa inter pastóres gregum Abram et Lot. Eo autem témpore Chananæus et Pherezæus habitábant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot : Ne, quæso, sit júrgium inter me et te, et inter pastóres meos et pastóres tuos; fratres enim sumus : ecce universa terra coram te est; recéde à me, óbsecro. Si ad sinistram íeris, ego déxteram tenébo : si tu déxteram elégeris, ego ad sinistram pergam. Elevatis ítaque Lot óculis, vidit omnem circa regiónem Jordánis quæ universa irrigabátur, ántequam subvérteret Dóminus Sódomam et Gomorrham, sicut paradísus Dómini, et sicut Ægyptus veniéntibus in Segor. Elegitque sibi Lot regiónem circa Jordánem, et recessit ab Oriente.

℟. Gigantes, 403.

LECTIO II.

Abram habitávit in terra *Chánaan* : Lot verò morátus est in óppidis quæ erant circa Jordánem, et habitávit in Sódomis. Hómines autem Sodomítæ péssimi erant, et peccatóres coram Dómino nimis. Dixitque Dóminus ad Abram, postquàm divísus est ab eo Lot : Leva óculos tuos, et vide à loco in quo nunc es, ad aquilónem et merídiem, ad orientem et occidentem. Omnem terram quam cónspícis, tibi dabo et sémini tuo usque in sempitérnum. Faciamque semen tuum sicut púlverem terræ : si quis potest hóminum numeráre púlverem terræ, semen quoque tuum numeráre póterit. Surge, et perámbula terram in longitúdine et in latitúdine sua; quia tibi datúrus sum eam.

℟. Egressus Noë, 403.

LECTIO III.

(Cap. 14.)

Cum audisset Abram, captum vidélicet Lot fratrem suum, numerávit expéditos vernáculos suos trecentos decem et octo; et persecútus est usque Dan. Et divísis sóciis, írruit super eos nocte; percussitque eos, et persecútus est eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci. Reduxitque omnem substántiam, et Lot fratrem suum cum substántia illíus, mulíeres quoque et pópulum. Egressus est autem rex Sodomórum in occursum

ejus, postquàm reversus est à cæde Chodorlahómor, et regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis. At verò Melchísedech rex Salem, próferens panem et vinum, (erat enim Sacerdos Dei altíssimi) benedixit ei, et ait : Benedictus Abram Deo excelso, qui creávit cœlum et terram : et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in mánibus tuis sunt. Et dedit ei décimas ex ómnibus.

℞. Dixit Deus, 404.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. *D.* Justum Lot à nefandórum luxuriósa conversatióne erípuit Deus; aspectu enim et audítu justus erat. 2. *Petr.* 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. *à.* Intuémini quantus sit hic, qui décimas sumpsit ab Abraham; et hunc qui habébat repromissiónes, benedixit. *Hebr.* 7.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 17.)

Postquam Abram nonaginta et novem annórum esse cœperat, appáruit ei Dóminus, dixitque ad eum : Ego Deus omnípotens : ámbula coram me, et esto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me et te, et multiplicábo te vehementer nimis. Cécidit Abram pronus in fáciem. Dixitque ei Deus : Ego sum, et pactum meum tecum, erisque pater multárum géntium. Nec ultrà vocábitur nomen tuum Abram, sed appellàberis Abraham; quia patrem multárum géntium constítui te. Faciamque te créscere vehementíssimè, et ponam te in géntibus, regesque ex te egredientur.

℞. Videns Deus, 401.

LECTIO II

Dixit íterùm Deus ad Abraham : Et tu ergo custódies pactum meum, et semen tuum post te in generatiónibus suis. Hoc est pactum meum quod observábitis inter me et vos, et semen tuum post te : Circumcidétur ex vobis omne masculínum, et circumcidétis carnem præpútii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo diérum circumcidétur in vobis, omne masculínum in generatiónibus vestris; tam vernáculus quàm emptítius circumcidétur, et quicumque non fúerit de stirpe vestra : eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Másculus cujus præpútii caro circumcísa non fúerit, delébitur ánima illa de pópulo suo; quia pactum meum írritum fecit.

℞. Noë inventus est, 402.

LECTIO III.

Dixit quoque Deus ad Abraham : Sáraï uxórem tuam non vocabis Sáraï, sed Saram. Et benedícam ei, et ex illa dabo tibi fílium, cui benedictúrus sum : eritque in natiónes, et reges populórum orientur ex eo. Cécidit Abraham in fáciem suam, et risit, dicens in corde suo : Putasne centenário nascétur fílius? et Sara nonagenária páriet? Dixitque ad Deum : Utinam Ismael vivat coram te! Et ait Deus ad Abraham : Sara uxor tua páriet tibi fílium, vocabisque nomen ejus Isaac, et constítuam pactum meum illi in fœdus sempiternum, et sémini ejus post eum. Super Ismael quoque exaudívi te : ecce benedícam ei, et augébo, et multiplicábo eum valdè : duódecim duces generábit, et fáciam illum in gentem magnam. Pactum verò meum státuam ad Isaac, quem páriet tibi Sara témpore isto in anno áltero.

℟. Aquæ prævaluérunt nimis, opertique sunt omnes montes, 403.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. a. Abraham pater est ómnium nostrûm (sicut scriptum est : Quia patrem multárum géntium pósui te) ante Deum, cui crédidit. *Rom.* 4

Ad Vesperas, *de beata Maria in Sabbato, nisi occurrat Festum duplex. Commemoratio de Semiduplici aut Simplici occurrente.*

SABBATO.

LECTIO I.

(Cap. 19.)

Venerunt duo Angeli Sódomam véspere, et sedente Lot in fóribus civitátis. Qui cùm vidisset eos, surrexit, et ivit óbviam eis, adoravitque pronus in terram : et dixit : Obsecro, dómini, declináte in domum púeri vestri, et manéte ibi : laváte pedes vestros; et manè proficiscémini in viam vestram. Qui dixérunt : Mínimè, sed in platéa manébimus. Compulit illos óppidò ut divérterent ad eum : ingressisque domum illíus fecit convívium, et coxit ázyma; et comedérunt. Priùs autem quàm irent cúbitum, viri civitátis vallavérunt domum à púero usque ad senem, omnis pópulus simul. Vocaveruntque Lot, et dixérunt ei : Ubi sunt viri qui introiérunt ad te nocte?

LECTIO II.

Vimque faciébant Lot vehementíssime : jamque propè erat ut effríngerent fores. Et ecce misérunt manum viri, et introduxérunt ad se Lot, clauseruntque ós-

tium : et eos qui foris erant, percussérunt cæcitáte à mínimo usque ad máximum, ita ut óstium inveníre non possent. Dixérunt autem ad Lot : Habes hìc quémpiam tuórum? génerum, aut fílios, aut fílias, omnes qui tui sunt, educ de urbe hac : delébimus enim locum istum, eò quòd incréverit clamor eórum coram Dómino, qui misit nos ut perdámus illos. Egressus ítaque Lot, locútus est ad géneros suos, qui acceptúri erant fílias ejus, et dixit : Súrgite, egredímini de loco isto; quia delébit Dóminus civitátem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. Cùmque esset mane, cogébant eum Angeli, dicentes : Surge, tolle uxórem tuam, et duas fílias quas habes; ne et tu páriter péreas in scélere civitátis. Dissimulante illo, apprehendérunt manum ejus, et manum uxóris, ac duárum filiárum ejus; eò quòd párceret Dóminus illi. Eduxeruntque eum, et posuérunt extra civitátem.

LECTIO III.

Igitur Dóminus pluit super Sódomam et Gomorrham sulphur et ignem à Dómino de cœlo : et subvertit civitátes has, et omnem circa regiónem, universos habitatóres úrbium : et cuncta terræ viréntia. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in státuam salis. Abraham autem consurgens mane, ubi stéterat priùs cum Dómino, intúitus est Sódomam et Gomorrham, et universam terram regiónis illíus : viditque ascendentem favíllam de terra quasi fornácis fumum. Cùm enim subvérteret Deus civitátes regiónis illíus, recordátus Abrahæ, liberávit Lot de subversióne úrbium in quibus habitáverat.

AD VESPERAS.

Psalmi et Antiph. de Psalterio.

Capitulum. (*Eccli.* 44.)

Abraham magnus pater multitúdinis géntium, et non est inventus símilis illi in glória; qui conservávit legem Excelsi, et fuit in testamento cum illo.

Hymnus, Te læta, mundi cónditor, *et* ℣. Priusquam montes fíerent, *ut in Sabbato ante Septuagesimam*, 383.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Abraham in tentatióne inventus est fidélis; ídeò jurejurando dedit illi Deus glóriam in gente sua. *Eccli.* 44.

Collecta, Preces nostras; quæsumus, Dómine, clementer exaudi, *ut infrà ad Laudes*, *p.* 418.

Ad Complet., *ut in Psalterio.*

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Omnia ut in Dominicis à Septuagesim. ad Quadragesimam, 389, *additis quæ sequuntur.*

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 21.)

VISITAVIT Dóminus Saram sicut promíserat, et implévit quæ locútus est. Concepitque, et péperit fílium in senectúte sua, témpore quo prædíxerat ei Deus. Vocavitque Abraham nomen fílii sui quem génuit ei Sara, Isaac; et circumcídit eum octávo die, sicut præcéperat ei Deus, cùm centum esset annórum. Hâc quippe ætáte patris natus est Isaac. Dixitque Sara : Risum fecit mihi Deus : quicumque audíerit, corridébit mihi. Rursumque ait : Quis auditúrum créderet Abraham quòd Sara lactáret fílium, quem péperit ei jam seni ?

℟. Dixit Dóminus ad Abram : Egrédere de cognatióne tua, et veni in terram quam monstrábo tibi. Egressus est ítaque Abram, * Tulitque Sáraï uxórem suam, et Lot fílium fratris sui, universamque substántiam quam possséderant. ℣. Fide Abraham obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem, et exiit nésciens quò iret; * Tulitque. *Genes.* 12. *Hebr.* 11.

LECTIO II.

(Cap. 22.)

TENTAVIT Deus Abraham, et dixit ad eum : Abraham, Abraham. At ille respondit : Adsum. Ait illi : Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Isaac, et vade in terram visiónis; atque ibi ófferes eum in holocaustum super unum móntium quem monstrávero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit ásinum suum, ducens secum duos júvenes, et Isaac fílium suum. Cùmque concidisset ligna in holocaustum, ábiit ad locum quem præcéperat ei Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul, dixitque ad púeros suos : Expectáte hic cum ásino : ego et puer illuc usque properantes, postquàm adoravérimus, revertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, et impósuit super Isaac fílium suum; ipse verò portábat in mánibus ignem et gládium. Cùmque duo pérgerent simul, dixit Isaac patri suo : Pater mi. At ille respondit : Quid vis fili ? Ecce, inquit, ignis et ligna : ubi est víctima holocausti ? Dixit autem Abraham : Deus providébit sibi víctimam holocausti, fili mi.

℟. Fide Sara stérilis virtútem in conceptiónem séminis accépit, étiam præter tempus ætátis; * Quóniam fidélem crédidit esse eum qui repromíserat. ℣. Péperit Sara fílium in senectúte sua, témpore quo prædíxerat ei Deus; * Quóniam fidélem crédidit esse. *Hebr.* 11. *Genes.* 21.

LECTIO III.

Pergebant ergo páriter, et venérunt ad locum quem osténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre, et désuper ligna compósuit. Cùmque alligasset Isaac fílium suum, pósuit eum in altáre super struem lignórum. Extenditque manum, et arrípuit gládium, ut immoláret fílium suum. Et ecce Angelus Dómini de cœlo clamávit, dicens : Abraham, Abraham. Qui respondit : Adsum. Dixitque ei : Non extendas manum tuam super púerum, neque fácias illi quidquam : nunc cognóvi quòd times Deum, et non pepercisti unigénito fílio tuo propter me. Levávit Abraham óculos suos, viditque post tergum aríetem inter vepres hærentem córnibus, quem assúmens óbtulit holocaustum pro fílio.

℟. Fide óbtulit Abraham Isaac, cùm tentarétur : * Et unigénitum offerébat, qui suscéperat repromissiónes, árbitrans † Quia et à mortuis suscitáre potens est Deus. ℣. Extendit manum, et arrípuit gládium, ut immoláret fílium suum : * Et unigénitum offerébat, qui. Glória Patri. † Quia et à mórtuis suscitáre. *Hebr.* 11. *Genes.* 22.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei.

(Libr. 26, c. 31 et 32.)

Exponens Apóstolus, quid sit, in Isaac vocábitur tibi semen; id est, inquit, non qui fílii carnis hi filii Dei, sed fílii promissiónis deputantur in sémine. Ac per hoc fílii promissiónis, ut sint semen Abrahæ, in Isaac vocantur, hoc est, in Christum, vocante grátiâ, congregantur. Hanc ergo promissiónem pater pius fidéliter tenens, quia per hunc oportébat impléri, quem Deus jubébat occídi, non hæsitávit quòd sibi reddi póterat immolátus, qui dari pótuit non sperátus. Sic intellectum est et in Epístola ad Hebræos, et sic expósitum. Fide, inquit, præcessit Abraham in Isaac tentátus, et únicum óbtulit, qui promissiónem suscépit, ad quem dictum est : In Isaac vocábitur tibi semen : cógitans quia et ex mórtuis excitáre potest Deus.

℟. Vocávit Angelus Dó-

mini Abraham de cœlo, dícens : Quia non pepercisti fílio tuo unigénito propter me, * Benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Abrahæ promittens Deus, jurávit per semetipsum, dicens : Nisi benedícens benedícam te, et multíplicans multiplicábo te; * Benedicentur. *Genes.* 22. *Hebr.* 6.

LECTIO V.

Proinde áddidit pro hoc étiam eum et in similitúdinem adduxit. Cujus similitúdinem, nisi illíus de quo dicit idem Apóstolus : Qui próprio fílio non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum? Proptérea et Isaac, sicut Dóminus crucem suam, ita sibi ligna ad víctimæ locum, quibus fúerat imponendus, ipse portávit. Postrémò quia Isaac occídi non oportébat, posteaquàm est pater feríre prohíbitus, quis erat ille áries, quo immoláto implétum est significatívo sánguine sacrifícium? Nempè quandò eum vidit Abraham, córnibus in frútice tenebátur, quis ergo illo figurabátur, nisi Jesus, ántequam immolarétur spinis Judáicis coronátus?

℟. Appáruit Isaac Dóminus, et ait : Benedícam tibi, complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo; * Et benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelítæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes fílii; sed in Isaac vocábitur tibi semen : * Et. *Genes.* 26. *Rom.* 9.

LECTIO VI.

Et vocávit Angelus Dómini Abraham secundò de cœlo, dicens; Per me metipsum jurávi, Dicit Dóminus propter quod fecisti verbum hoc, et non pepercisti fílio tuo dilecto propter me, nisi benedícens benedícam te, et multíplicans multiplicábo semen tuum sicut stellas cœli, et tanquam arénam quæ est juxtà lábium maris Et hæreditáte possidébit semen tuum civitátes adversariórum; et benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ; quia obaudisti vocem meam. Hoc modo est illa de vocatióne géntium in sémine Abrahæ, post holocaustum quo significátus est Christus, étiam juratióne Dei firmáta promíssio. Sæpè enim promíserat, sed nunquam juráverat. Quid autem est Dei veri veracísque jurátio, nisi promissi confirmátio, et infidélium quædam increpátio?

℟. Vidit Jacob Dóminum dicentem sibi : Erit semen tuum quasi pulvis terræ, et * Benedicentur in te et in sémine tuo cunctæ tribus terræ. ℣. Non dicit : Et se-

mínibus quasi in multis, sed quasi in uno, qui est Christus : * Benedicentur. Glória Patri. * Benedicentur. *Genes.* 28. *Galat.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 18.)

In illo témpore; Assumpsit Jesus duódecim et ait illis : Ecce ascéndimus Jerosólymam, et consummabuntur ómnia quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio hóminis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 2, in Evang. habita in Basilica S. Petri, Dom. Quinquagesimæ, n. 1.)

Redemptor noster prævidens ex passióne sua discipulórum ánimos perturbandos, eis longè antè et ejusdem passiónis pœnam, et resurrectiónis suæ glóriam prædícit; ut cùm eum morientem, sicut prædictum est, cérnerent, étiam resurrectúrum non dubitárent. Sed quia carnáles adhuc discípuli nullo modo valébant cápere verba mystérii, venítur ad miráculum. Ante eórum óculos cæcus lumen récipit; ut qui cœlestis mystérii verba non cáperent, eos ad fidem cœléstia facta solidárent.

℟. Cæcus quidam sedébat secùs viam, mendícans. Dixérunt autem ei quòd Jesus transíret. Et clamávit, dicens : * Jesu, fili David, miserére meî. ℣. Dóminus firmamentum virtútis, et adjutórium casûs, exaltans ánimam, et illúminans óculos : * Jesu. *Luc.* 18. *Eccli.* 34.

LECTIO VIII.

Sed mirácula Dómini et Salvatóris nostri sic accipienda sunt, fratres caríssimi, ut et in veritáte credantur facta, et tamen per significatiónem nobis áliquid innuant. Opera quippe ejus et per poténtiam áliud ostendunt, et per mystérium áliud loquuntur. Ecce enim, quis juxta históriam cæcus iste fúerit, ignorámus; sed tamen, quem per mystérium signíficet, nóvimus. Cæcus quippe est genus humánum, quod in parente primo à paradísi gáudiis expulsum, claritátem supernæ lucis ignórans, damnatiónis suæ ténebras pátitur : sed tamen per Redemptóris sui præséntiam illuminátur; ut ætérnæ lucis gáudia jam per desidérium vídeat, atque in via vitæ boni óperis gressus ponat.

℟. Stans Jesus, jussit cæcum addúci ad se; et interrogávit illum, dicens : Quid tibi vis fáciam ? At ille di-

xit : * Dómine, ut vídeam. ℣. Deus meus, illúmina ténebras meas : * Dómine, ut vídeam. *Luc.* 18. *Ps.* 17.

LECTIO IX.

(N. 2, 3 et 4.)

Quisquis ergo cæcitátis suæ ténebras agnoscit, quisquis hoc quod sibi deest lumen æternitátis intélligit; clamet medullis cordis, clamet et vócibus mentis, dicens : Jesu fili David, miserére meî. Sed quid, clamante cæco, subjúngitur, audiámus : Et qui præíbant, increpábant eum ut tacéret. Quid autem designant isti qui Jesum venientem præcédunt, nisi desideriórum carnálium turbas, tumultusque vitiórum? qui, priusquàm Jesus ad cor nostrum véniat, tentatiónibus suis cogitatiónem nostram díssipant, et voces cordis in oratióne perturbant. Sed quid ad hæc illuminandus iste cæcus fecit, audiámus. Séquitur : Ipse verò multò magis clamábat : Fili David, miserére meî. Ecce quem turba íncrepat ut táceat, magis ac magis clamat; quia quantò gravióri tumultu cogitatiónum carnálium prémimur, tantò oratióni insístere ardéntiùs debémus.

℟. Jesus dixit illi : Réspice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit : * Et sequebátur illum, magníficans Deum. ℣. Statim visum recépit, dicebatque : Benedíco te, Dómine Deus Israel. * Et sequebátur illum. Glória Patri. *Repetitur* ℟. Jesus dixit, *usque ad* ℣. Statim visum. *Luc.* 18. *Tob.* 11.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Assumpsit Jesus duódecim, et ait : Ecce ascéndimus Jerosólymam; et consummabuntur ómnia quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio hóminis. *Luc.* 18.

COLLECTA. Orémus.

Preces nostras, quæsumus, Dómine, clementer exaudi, atque à peccatórum vínculis absolútos, ab omni nos adversitáte custódi; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Fílius hóminis tradétur géntibus, et illudétur, et flagellábitur, et conspuétur; et postquàm flagelláverint, occídent eum : et tértiâ die resurget. *Luc.* 18.

Collecta, ut suprà.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 25.)

Hæ sunt generatiónes Isaac fílii Abraham : Abraham génuit Isaac; qui cùm quadraginta esset annórum, duxit uxórem Rebeccam fíliam Bathuélis Syri de Mesopotámia, sorórem Laban. Deprecatusque est Isaac Dóminum pro uxóre sua, eò

quòd esset stérilis; qui exaudívit eum, et dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in útero ejus párvuli; quæ ait : Si sic mihi futúrum erat, quid necesse fuit concípere? Perrexitque ut consúleret Dóminum. Qui respondens, ait : Duæ gentes sunt in útero tuo, et duo pópuli ex ventre tuo dividentur, populusque pópulum superábit, et major sérviet minóri. Jam tempus pariendi advénerat, et ecce gémini in útero ejus reperti sunt. Qui prior egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis híspidus : vocatumque est nomen ejus, Esaü. Prótinus alter egrédiens, plantam fratris tenébat manu; et idcirco appellávit eum Jacob.

℟. Dixit Dóminus, ad Abram : Egrédere de cognatióne tua, et veni in terram quam monstrábo tibi. Egressus est ítaque Abram, * Tulitque Sáraï uxórem suam, et Lot fílium fratris sui, universamque substántiam quam posséderant. ℣. Fide Abraham obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem, et éxiit nésciens quò iret; * Tulitque. *Genes.* 12. *Hebr.* 11.

LECTIO II.

(Cap. 27.)

DIXIT Rebecca fílio suo Jacob : Audívi patrem tuum loquentem cum Esaü fratre tuo, et dicentem ei : Affer mihi de venatióne tua, et fac cibos ut cómedam; et benedícam tibi coram Dómino, ántequàm móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiesce consíliis meis; et pergens ad gregem, affer mihi duos hædos óptimos, ut fáciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter véscitur : quas cùm intúleris, et coméderit, benedícat tibi priusquàm moriátur. Cui ille respondit : Nosti quòd Esaü frater meus homo pilósus sit et ego lenis : si attrectáverit me pater meus, et sénserit, tímeo ne putet me sibi voluisse illúdere, et indúcam super me maledictiónem pro benedictióne. Ad quem mater : In me sit, ait, ista maledíctio, fili mi : tantùm audi vocem meam, et pergens affer quæ dixi. Abiit, et áttulit, deditque matri. Parávit illa cibos, sicut velle nóverat patrem illíus. Et véstibus Esaü valdè bonis, quas apud se habébat domi, índuit eum; pelliculasque hædórum circúmdedit mánibus, et colli nuda protexit. Deditque pulmentum; et panes quos cóxerat, trádidit. Quibus illátis, dixit : Pater mi. At ille respondit : Audio. Quis es tu, fili mi? Dixitque Jacob : Ego sum primogénitus tuus Esaü.

℟. Fide Sara stérilis virtútem in conceptiónem sé-

minis accépit, étiam præter tempus ætátis; * Quóniam fidélem crédidit esse eum qui repromíserat. ℣. Péperit Sara fílium in senectúte sua, témpore quo prædíxerat ei Deus; * Quóniam fidélem crédidit esse. *Hebr.* 11. *Genes.* 21.

LECTIO III.

Dixitque Isaac: Accéde huc, ut tangam te, fili mi, et probem utrùm tu sis fílius meus Esaü, an non. Accessit ille ad patrem; et palpáto eo, Dixit Isaac: Vox quidem, vox Jacob est; sed manus, manus sunt Esaü. Et non cognóvit eum, quia pilósæ manus similitúdinem majóris exprésserant. Benedícens ergo illi, ait: Tu es fílius meus Esaü? Respondit: Ego sum. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatióne tua, fili mi; ut benedícat tibi ánima mea. Quos cùm oblátos comedisset, óbtulit ei étiam vinum; quo hausto, dixit ad eum: Accéde ad me, et da mihi ósculum, fili mi. Accessit, et osculátus est eum. Statimque ut sensit vestimentórum illíus fragrántiam, benedícens illi, ait: Ecce odor fílii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dóminus. Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguédine terræ abundántiam frumenti et vini. Et sérviant tibi pópuli, et adórent te tribus: esto dóminus fratrum tuórum, et incurventur ante te fílii matris tuæ: qui maledíxerit tibi, ille sit maledictus; et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur.

℟. Fide óbtulit Abraham Isaac, cùm tentarétur; * Et unigénitum offerébat, qui suscéperat repromissiónes, árbitrans † Quia et à mórtuis suscitáre potens est Deus. ℣. Extendit manum, et arrípuit gládium, ut immoláret fílium suum; * Et unigénitum offerébat. Glória Patri. † Quia et à mórtuis suscitáre. *Hebr.* 11. *Genes.* 22.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. c. Non ex opéribus, sed ex vocante dictum est: Major sérviet minóri; sicut scriptum est: Jacob dilexi; Esaü autem ódio hábui. *Rom.* 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. d. Fide, et de futúris benedixit Isaac, Jacob et Esaü. *Hebr.* 11.

FERIA TERTIA.

Hodiè per anticipationem fit Officium S. Matthiæ, ut in Proprio Sanctorum, si Festum ejus venerit in Quadragesima.

LECTIO I.

De libro Génesis.

(Cap. 27 et 28.)

Oderat semper Esaü Jacob pro benedictióne quâ benedíxerat ei pater; dixitque in corde suo: Vénient dies

luctûs patris mei, et occídam Jacob fratrem meum. Nuntiáta sunt hæc Rebeccæ; quæ mittens et vocans Jacob filium suum, dixit ad eum : Ecce Esaü frater tuus minátur ut occídat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam; et consurgens, fuge ad Laban fratrem meum in Haran; habitabísque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, et cesset indignátio ejus, obliviscaturque eórum quæ fecisti in eum : pósteà mittam, et addúcam te inde huc. Cur utróque orbábor filio in uno die? Dixitque Rebecca ad Isaac : Tædet me vitæ meæ propter filias Heth; si accéperit Jacob uxórem de stirpe hujus terræ, nolo vívere. Vocávit ítaque Isaac Jacob, et benedíxit eum, præcepitque ei, dicens : Noli accípere cónjugem de génere Chánaan; sed vade, et proficíscere in Mesopotámiam Syriæ, ad domum Báthuel patris matris tuæ, et áccipe tibi inde uxórem de filiábus Laban avúnculi tui. Deus autem omnípotens benedícat tibi, et créscere te fáciat, atque multíplicet, ut sis in turbas populórum.

℟. Vocávit Angelus Dómini Abraham de cœlo, dicens : Quia non pepercisti filio tuo unigénito propter me, * Benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Abrahæ promittens Deus, jurávit per semetipsum, dicens : Nisi benedícens benedícam te, et multíplicans multiplicábo te; * Benedicentur. *Genes.* 22. *Hebr.* 6.

LECTIO II.

(Cap. 28.)

Igitur egressus Jacob de Bersábee, pergébat Haran. Cùmque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiéscere post solis occúbitum, tulit de lapídibus qui jacébant; et suppónens cápiti suo, dormívit in eódem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacúmen illíus tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dóminum innixum scalæ, dicentem sibi : Ego sum Dóminus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac; terram in qua dormis, tibi dabo et sémini tuo. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ : dilatáberis ad occidentem, et orientem, et septentriónem, et merídiem; et benedicentur in te et in sémine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero custos tuus quocumque perréxeris, et redúcam te in terram hanc, nec dimittam, nisi complévero universa quæ dixi.

℟. Appáruit Isaac Dóminus, et ait : Benedícam tibi,

complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo; * Et benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelítæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes fílii; sed in Isaac vocábitur tibi semen: * Et benedicentur. *Genes*. 26. *Rom*. 9.

LECTIO III.

(Cap. 35.)

Erant autem fílii Jacob duódecim. Fílii Liæ, primogénitus Ruben, et Símeon, et Levi, et Judas, et Issachar, et Zábulon: fílii Rachel, Joseph et Bénjamin: fílii Balæ ancillæ Rachélis, Dan et Néphtali: fílii Zelphæ ancillæ Liæ, Gad et Aser. Hi sunt fílii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotámia Syriæ. Venit étiam ad Isaac patrem suum in Mambre civitátem Arbée, hæc est Hebron: in qua peregrinátus est Abraham et Isaac. Et compléti sunt dies Isaac centum octoginta annórum. Consumptusque ætáte, mórtuus est: et appósitus est pópulo suo senex et plenus diérum; et sepeliérunt eum Esaü et Jacob fílii sui.

℟. Vidit Jacob Dóminum dicentem sibi: Erit semen tuum quasi pulvis terræ, et * Benedicentur in te et in sémine tuo cunctæ tribus terræ. ℣. Non dicit: Et semínibus quasi in multis, sed quasi in uno, qui est Christus: * Benedicentur. Glória Patri. * Benedicentur. *Genes*. 28. *Galat*. 3.

Ad Benedictus, *Ant*. 6. F. Jacob supplantávit fratrem suum in Bethel: invénit Deum; ibi Dóminus locútus est nobiscum. *Os*. 12.

Ad Magníficat, *Ant*. 4. E. Sapiéntia prófugum irâ fratris justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus. *Sap*. 10.

PROPRIUM SANCTORUM.

PARS HYEMALIS.

Dominica I. Adventûs non fit de ullo Festo. Si occurrat Duplex-majus aut suprà, transfertur in primam diem non impeditam; si Duplex-minus aut Semiduplex, de eo fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, non autem in Officio Nocturno. De Simplici fit Commemoratio in I Vesperis et Laudibus tantùm.

In ceteris Dominicis Adventûs, fit de Solemni-majore et suprà, cum Commemoratione Dominicæ in utrisque Vesperis et Laudibus, et in Officio Nocturno nona Lectio erit de Evangelio et Homilia Dominicæ.

Per Hebdomadam fit de quocunque Festo Semiduplici et suprà, cum Commemoratione de Adventu. De Simplici verò sola fit Commemoratio sine Lectione.

Singulis diebus Adventûs (nisi sit Festum Solemne aut suprà, et nisi fiat Officium de Beata Maria aut de aliqua octava) fit Commemoratio de Beata Maria Virgine Deum paritura, ad Laudes et Vesperas, ut habetur in Proprio de Tempore, p. 175 et 177. Quæ tamen Commemoratio omittitur in Vesperis à 15 decembris, sicut Semiduplicis ac Simplicis si occurrat.

DIE XXVI NOVEMBRIS.

Post Nonam quæ dicitur de S. Lino, cum Collecta, Omnípotens, *ut infrà; dicuntur Vesp. de Sabbato ante Dominicam I. Adventûs, ut in Proprio de Tempore,* 177.

Fit Commem. S. Maximi, Episc. Ant. Elégit. ℣. Beátus, XXII. *Collecta,* Dírige, *ut infrà.*

Deindè, S. Lini, Ant. Justum. ℣. Posuisti, XIV.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui beátum Linum Apostólici Principátûs prærogatívâ conspícuum, Martyrii corónâ illustriórem efsecisti; da Ecclésiæ tuæ ejus patrocíniis adjuvári, cujus labóribus exculta flóruit, et sánguine crevit fœcundáta; Per Christum.

Ultimò de Beata Maria Virgine Deum paritura.

DIE XXVII.

SANCTI MAXIMI,

EPISCOPI,

Commemoratio.

In Officio Dominicæ I Adv.

AD LAUDES, *Ant.* Ego sum. ℣. Elégit, XXVI.

COLLECTA. Orémus.

DIRIGE oves tuas, Dómine, in viam salútis æternæ,

quam beáti Pontíficis Máximi vita cum doctrína montrávit : et fac nos, eódem intercedente, sic ejus súbsequi vestígia, ut cum ipso coronári mereámur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde de B. M. V. Deum paritura.

Ad Vesperas, *pro ejusdem Commem. Ant.* Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVIII. *Collecta,* Dírige oves tuas, *ut suprà.*

Deindè SS. Mart. Vitalis et Agricolæ, Ant. Cùm vos óderint. ℣. Viríliter, XVI. *Collecta,* Deus, cujus grátiâ, *ut infrà.*

Ultimò de B. M. V. Deum paritura.

DIE XXVIII.

SANCTORUM MARTYRUM

VITALIS ET AGRICOLÆ,

Commemoratio.

Ad Laudes. *Ant.* Beáti. ℣. Multæ, XIX.

COLLECTA. Orémus

Deus, cujus grátiâ sancti Mártyres Vitális et Agrícola, mundi nec blandítiis, nec terróribus devicti sunt: da nobis ut te solum diligentes, próspera mundi simul et adversa despiciámus; Per Christum.

Deinde fit Commem. de B. M. V. Deum paritura.

DIE XXIX.

SANCTI SATURNINI,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Semiduplex.

In I Vesperis, *super Psalmos Feriales, Ant. sola* Fortitúdo, *ut in Communi unius Martyris,* VIII.

Collecta, Deus, qui per beátum, *ut infrà.*

Fit Commem. de Adventu, deindè de B. M. V.

Ad Noct. *Lectio I de Script. occurr. tribus in unam junctis et sic in omnibus Semidupl.*

LECTIO II

Saturninus à Románo Pontífice unà cum sex áliis Epíscopis missus in Gállias, et Tolósæ Póntifex constitútus anno Consulátûs Décii et Grati, multos ab idólis ad Christum convertit : dæmónibus qui ibi colebantur ádeò terríbilis, ut frustrà sacrifíciis animálium evocáti, orácula réddere cessáverint. Tam inexpectáto siléntio commóti Gentíles, ímpetu facto, Saturnínum in Capitólium urbis traxérunt, comminàti duríssimam mortem, nisi more pátrio diis sacra fáceret.

LECTIO III.

Cum id Saturnínus renuisset, pedes ejus tauro alligárunt: qui sanctum Præsulem per declíves gradus Capitólii raptátum, collíso cápite, ex-

cusso cérebro, membrisque discerptis, interémit. Exánime corpus támdiu à tauro distractum est, quoad, rupto fune, acceptum, et ligneo immissum féretro, mulíeres duæ in alta scrobe tumultuário condidérunt. Inventum est pósteà ab Hilário Tolosáno; qui, effossâ circùm humo, sacras véritus relíquias commovére, tumulum superimpósuit, et oratórium extruxit.

COLLECTA Orémus.

Deus, qui per beátum Saturnínum Mártyrem tuum atque Pontíficem, infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuisti, da nobis ejus intercessióne in fide stábiles, et à spe Evangélii quod prædicávit, immóbiles permanére; Per.

Fit Commem. de Adventu, et de B. M. V.

Vesperæ *de sequenti.*

DIE XXX.

S. ANDREÆ, APOSTOLI.

Duplex-majus.

Omnia de communi Apostol. exceptis quæ sequuntur.

In I. Vesp. *post Hymnum:* ℣. Introíbimus in tabernáculum ejus; ℟. Adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus. *Ps.* 131.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Invénit Andréas fratrem suum, Simónem, et dicit ei: Invénimus Messíam, et adduxit eum ad Jesum. *Joan.* 1.

Collect. ut infrà ad Laud.

Fit Commem. S. Saturnini, Ant. Justum. ℣. Posuisti, XIV. *Collecta*, Deus, qui, *suprà.*

Deindè de Adventu, et de B. M. V.

IN I.° NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Andreas Bethsáidæ in Galilæa natus, frater Petri, discípulus Joannis Baptistæ, cùm eum de Christo dicentem audisset: Ecce agnus Dei, secútus Jesum, fratrem quoque suum ad eumdem perduxit. Cùm pósteà unà cum fratre piscarétur in mari Galilææ, ambo à prætereunte Christo vocáti illis verbis, Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum, nullam interponentes moram, et relictis rétibus, secúti sunt eum. Post cujus Resurrectiónem et Ascensiónem Andréas in Scythia prædicávit. Cùmque in Græciam pervenisset, multis ab idolórum cultu ad Christum colendum adductis, urbem Patras in Acháia suâ morte nobilitávit.

LECTIO V.

Sermo sancti Petri Chrysólogi.

(Sermo 133.)

Beatus Andréas hódie moriendo pro Dómino, toto

virtútis gradu Domínicis incumbit hærére vestígiis. Nec eum cursus fáciat dísparem fratri, quem natúra símilem, vocátio sócium, parem grátia ipsa perfécerat. Ad unam vocem Dómini, sicut ille, patrem, pátriam, censum relíquit. Solum est quòd témpore Domínicæ passiónis fugit; sed neque hoc impar, quia non est grávius fúgere quàm negáre. Sed æquávit fratres vénia, quos sic discréverat culpa. Nam crucem quam refúgerant, pósteà conjunctis víribus, ardenter invádunt; ut unde reátum súmpserant, inde conscénderent cœlum, inde præmium súmerent et corónam. Petrus namque crucem, árborem conscendit Andréas; ut qui Christo cómpati gestiébant, in semetipsis figúram formamque ipsíus exprímerent passiónis, et redempti ligno consummarentur ad palmam. Sic Andréas noster etsi cedit órdini, præmio tamen non cedit et labóri.

LECTIO VI.

Sermo sancti Bernardi abbátis.

(Serm. 2. de S. Andrea, n. 1.)

Beati Andréæ Apóstoli solémnitas hódie celebrátur. Quam si piâ sollicitúdine perscrutémur, multa invenímus in ea, quæ ædíficent ánimas nostras. In ipso síquidem conversiónis suæ *initio*, magnum nobis perfectæ obediéntiæ præstat exemplum, quod quidem Christiánis ómnibus necessárium. Sola enim est cáritas quæ obediéntiam gratam facit et acceptábilem Deo; hilárem quippe datórem díligit Deus. Unde autem in Andréa jamjam moritúro tam spirituális mens fuit, tam fervens cáritas, ánimus tam robustus? Planè Spíritus erat qui adjuvábat infirmitátem ejus, per quem diffundebátur in corde ipsíus cáritas fortis ut mors, immò et fórtior morte. Cujus ô! si et non partícipes inveniámur! Et sicut beáto Andréæ crucem et mortem ipsam, sic nobis quoque labórem et pœniténtiam nostram fáceret, non solùm non molestam, sed étiam desiderábilem atque omnínò delectábilem esse.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(C. 4.)

In illo témpore; Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(5. in Ev. habita in Basil. S. Andreæ, in die nat. ejus, n. 1.)

Audistis, fratres caríssimi,

quia ad unius jussiónis vocem Petrus et Andréas, relictis rétibus, secúti sunt Redemptórem; et ad unum Dómini præceptum, hoc quod possidére videbantur oblíti sunt. In cœlo jam sedet, qui de conversióne nos ádmonet : jam jugo fídei colla Géntium súbdidit; jam mundi glóriam stravit; jam ruínis ejus crebrescéntibus, districti sui judícii diem propinquantem denúntiat; et tamen superba mens nostra non vult hoc spontè desérere, quod quotídie perdit invíta. Quid ergo, fratres caríssimi, quid in ejus judício dictúri sumus, qui ab amóre præsentis séculi, nec præceptis fléctimur, nec verbéribus emendámur ?

LECTIO VIII.

(N. 2.)

SED fortasse áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat : Ad vocem Domínicam uterque iste piscátor quid aut quantum dimísit, qui penè nihil hábuit ? Sed hàc in re, fratres caríssimi, affectum debémus pótiùs pensáre quàm censúm. Multùm relíquit, qui sibi nihil retínuit : multùm relíquit, qui quantúmlibet parùm, totum deséruit. Certè nos et hábita cum amóre possidémus, et ea quæ mínimè habémus, ex desidério quærimus. Multùm ergo Petrus, et Andréas dimisit, quando uterque étiam desidéria habendi derelíquit.

LECTIO IX.

(N. 4.)

QUIA ergo, fratres caríssimi, beáti Andreæ Apóstoli natalítia celebrámus, debémus imitári quod cólimus. Ostendat nostræ obséquium devotiónis, immutátæ solémnitas mentis : despiciámus quæ terréna sunt; relictis temporálibus, mercémur ætern a. Si autem necdum póssumus relínquere própria, saltem non concupiscámus aliéna. Si necdum mens nostra accénditur igne caritátis, in ambitióne sua hábeat frænum timóris; ut profectùs sui pássibus vegetáta, dùm ab alienórum appetítu compéscitur, quandóque ad própria contemnenda perducátur, adjuvante Dómino nostro Jesu Christo.

Te Deum.

AD LAUDES, *post Hymnum:*

℣. Mihi adhærére Deo bonum est, ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72

Ad Bened. *Ant.* 3. a Erant Petrus et Andréas piscatóres; et ait illis Jesus : Veníte post me, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. At illi contínuò, relictis rétibus, secúti sunt eum. *Matth.* 4.

COLLECTA. Orémus.

MAJESTATEM tuam, Dómine, supplíciter exorámus; ut sicut Ecclésiæ tuæ beátus

Andréas Apóstolus éxtitit prædicátor et rector, ita apud te sit pro nobís perpétuus intercessor; Per.

Fit Commem. de Adventu et de B. M. V.

Ad II. Vesperas, *post Hymnum*, ℣. Quid mihi est in cœlo, et à te quid vólui super terram : ℟. Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum. *Ps.* 72.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. D. Omnia detrimentum feci ut Christum lucrifáciam, ad cognoscendum illum et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus, configurantes morti ejus. *Philip.* 3.

Collecta, Majestátem, *ut suprà.*

Deinde de Adventu et de B. M. V.

FESTA DECEMBRIS.

DIE II.

S. FRANCISCI XAVERII,

PRESBYT. INDIARUM APOST.

Duplex-minus.

Omnia de Communi Presbyter. exceptis quæ sequuntur.

In I. Vesperis, *post Hymnum*, ℣. Confitébor tibi in natiónibus, Dómine; ℟. Et nómini tuo psalmum dicam. *Ps.* 17.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. c. Oportet te prophetáre géntibus, et pópulis, et linguis, et régibus multis. *Apoc.* 10.

Collecta, infrà ad Laudes.

Fit Commem. de Adv. et B. M. V.

Lectio I de Script. occurr.

LECTIO II.

Franciscus Xavérius, nóbilis Cántaber, Parísiis emenso philosóphico stádio, magistérium ártium consecútus, mox Philosophiæ professor, ac deinde Baccaláureus, Theológiæ cursum abrúpit, ut se beáto Ignátio sócium adjúngeret. Tum sanctióris vitæ genus profitéri cœpit, non jejúniis modò aliisque córporis afflictiónibus, et páuperum, præsertìm infirmórum curâ, quibus in xenodóchiis ministrábat, sed et singulári religiónis propagandæ stúdio, summâ in Epíscopos et Presbyteros observántiâ, eoque in Deum fervóre caritátis, ut ejus incéndium in oratiónibus non ferens, sæpiùs exclamáret : Satis est, Dómine, satis est.

LECTIO III.

Procurante Joanne Lusitániæ rege, à Paulo tértio Indiæ destinátus, multos passim toto Oriente Christiános ad meliórem frugem revocávit, et innúmeros pro-

pémodùm pópulos ignorántiæ ténebris involútos ad Christi fidem adduxit: nam præter Indos, Brachmánes et Malábares, ipse primus Parávis, Málais, Jais, Acénis, Mindánais, Malacénsibus et Japónibus, multis éditis miráculis et exantlátis labóribus, Evangélii lucem íntulit. Perlustrátâ tandem Japóniâ, ad Sinas profectúrus, in ínsula Sanciána óbiit, anno ætátis quadragésimo quinto, Christi millésimo quingentésimo quinquagésimo secundo. Corpus ejus post menses quíndecim íntegrum et incorruptum Goam delátum est. Hunc, Indiárum Apóstolum toto orbe appellátum, ipsis étiam pagánis et hæréticis commendábilem, Gregórius décimus quintus Sanctis ascripsit.

Ad Laudes, *post Hymn.* ℣. Justítiam tuam, Dómine, non abscondi in corde meo; ℟. Veritátem tuam et salutáre tuum dixi. *Ps.* 39.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. g. Prædicávi Evangélium, non ubi nominátus est Christus, sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiátum de eo vidébunt. *Rom.* 15.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui Indiárum gentes beáti Francisci Xavérii prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluisti; concéde, propítius, ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exempla; Per Dóminum.

Fit Commem. de Adventu, et de B. M. V.

Ad Vesp. *Post Hymnum,* ℣. Annuntiávi et locútus sum; ℟. Multiplicáti sunt super númerum. *Ps.* 39.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Non in vácuum cucurri, neque in vácuum laborávi. *Philipp.* 2.

Collect. ut suprà ad Laud.

Fit Commem. de Adventu.

Deinde de S. Petro Chrysologo, Episcopo et Doctore, Ant. Beátus. ℣. Beátus homo, XXIX. *Collecta,* Omnípotens, XXXIII.

Ultimò de B. M. V.

DIE III.

S. PETRI CHRYSOLOGI,

EPISCOPI ET DOCTORIS,

Commemoratio.

Ad Laudes, *Ant.* Sapiéntia. ℣. Annuntiávi. *Collecta,* Omnípotens, XXXIII.

Ad Vesperas, *pro Comm. sanctæ Barbaræ. Ant.* Infirma. ℣. Deus, præcinxit, LVII. *Collect.* Deus, qui inter, LXI.

DIE IV.

SANCTÆ BARBARÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS,

Commemoratio.

Ad Laudes, *Ant.* Factus est. ℣. Hæréditas. *Collecta,* Deus, qui inter, LXI.

DIE VIII DECEMBRIS.

IN FESTO
CONCEPTIONIS
B. MARIÆ VIRGINIS.

SOLEMNE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. D. Hæc dicit Dóminus exercítuum : Adhuc unum módicum est, et véniet desiderátus cunctis géntibus. *Agg.* 2.

Ant. 6. F. Cogitávi ut ædificárem domum in qua requiésceret, et ad ædificandum ómnia præparávi. 1. *Paral.* 28.

Ant. 5. C. Hæc domus talis esse debet, ut in cunctis regiónibus nominétur. 1. *Paral.* 22.

Ant. 2. D. Opus namque grande est, neque enim hómini præparátur habitátio, sed Deo. 1. *Paral.* 29.

Ant. 8. G. Ecce ego creo eam exultatiónem, et exultábo in ea, et gaudébo. *Is.* 65.

Capitulum. (*Judith.* 9.)

Erige bráchium tuum sicut ab inítio, et allíde virtútem illórum in virtúte tua ; cadat virtus eórum in iracúndia tua, qui promittunt se violáre sancta tua, et pollúere tabernáculum nóminis tui.

℟. Ait Dóminus Deus ad serpentem : Inimicítias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illíus : * Ipsa cónteret caput tuum. ℣. Portæ ínferi non prævalébunt advérsùs eam : * Ipsa. Glória. *Repetitur* ℟. *usque ad* ℣.

HYMNUS.

Huc adsint hílares Alígerum Chori :
Plausu turba fremèns ócius ádvolet ;
Concordesque simul læta ferens sonos
Laudet cármine Vírginem.

Monstrum colla tumens hórrida síbilis,
Intentansque truces lúminibus minas,
Omnes pestífero pólluit hálitu,
Virus lethíferum vomens.

Hærens indè tenax viscéribus malum
Fœdam progéniem cum pátribus necat :



ASCENSION

Quæ monstrum nova vis fórtior ópprimet,
Infandum caput átterens?
UNAM tanta manet glória Vírginem:
Victrix illa premit colla ferócia,
Exultansque super terga terit pede;
Nec jam dira nocet lues.
PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Sit par alme, tibi glória, Spíritus,
Sponsam munéribus qui decóras tuis,
Ut sit digna Deo parens.
Amen.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo; ℟. In longitúdinem diérum. *Ps.* 92.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. *duplicanda.* Fac, Dómine, ut inimíci supérbia amputétur; erit enim hoc memoriále nóminis tui, cùm manus féminæ dejécerit eum. *Judith.* 9.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Fit commem. de Adventu.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. A. Ecce ténebræ opérient terram, et cáligo pópulos: super te autem orietur Dóminus. *Is.* 68.

Hymnus, Virgíneis títulis, 167.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. F. Ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortûs tui. *Is.* 60.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

FILIUM Dei ex María nascitúrum: * Veníte, adorémus. *Luc.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

ÆVI nunc fóveat spem melióris,
Tellus dilúvio pressa malórum;
Passis naufrágium casta columba
Dandæ certa refert signa salútis.
DUM sub lethífera nocte jacentes
Infando gémimus vúlnere Patris,
Nati quem páriet Númine fulta
Vírgo concípitur, núntia vitæ.
MONSTRI díra premens colla superbi,
Et cæci pélagi stella benigna,
Primo mane nítes, totáque pulchra
Jam, María, dícas víscera Christo.
QUI te divus amor cónsecrat hospes,
In te digna Deo dona repónit;
Mentem luce suâ Fílius ornat;
Et cor innócuum grátia complet.
EVÆ quæ véteris damna rependes,

Auroramque minor lux imitáris,
Fac, pulsis ténebris, sol oriátur,
Quo perfecta dies fúlgeat orbi.
Sit laus summa Patri, summaque Nato,
Sancto Spirítui glória compar,
Quo concepta novi fœderis arca,
Cœli manna suo péctore servat. Amen.

Psalmi de Officio parvo.

IN I.o NOCTURNO.

Ant. 1. f. Domum majestátis meæ glorificábo, ego Dóminus, Redemptor fortis. *Is.* 60.

Ant. 2. D. Declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torrentem inundantem. *Is.* 66.

Ant. 5. a. Ego ero ei murus ignis in circúitu, et in glória ero in médio ejus. *Zach.* 2.

℣. Fílius iniquitátis non appónet nocére ei : ℟. Concidam à fácie ipsíus inimícos ejus. *Ps.* 88.

LECTIO I.

De Isaía Prophéta.

(Cap. 44.)

Laudate, cœli, quóniam misericórdiam fecit Dóminus : jubiláte, extréma terræ : resonáte, montes, laudatiónem, saltus et omne lignum ejus; quóniam redémit Dóminus Jacob, et Israel gloriábitur. Hæc dicit Dóminus, redemptor tuus et formátor tuus ex útero : Ego sum Dóminus fáciens ómnia, extendens cœlos solus, stabíliens terram, et nullus mecum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis. *Nihil respondetur.*

℟. Cláritas Dei illumináвit eam : * Nox non erit illic. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum. ℣. Quóniam elégit eam Dóminus in habitatiónem sibi. * Nox. *Apoc.* 21. *Ps.* 131.

LECTIO II.

(Cap. 45.)

Ego Dóminus, et non est alter, formans lucem, et creans ténebras, fáciens pacem, et creans malum : ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte, cœli, désuper; et nubes pluant Justum : aperiátur terra, et gérminet Salvatórem; et justítia oriátur simul : ego Dóminus creávi eum. Hæc dicit.

℟. In médio ejus maledictum non erit; * Sed sedes Dei, et Agni in illa erunt, et servi ejus sérvient illi. ℣. Quærétur íniquitas, et non erit : et peccátum, et non inveniétur. * Sed sedes. *Apoc.* 22. *Jer.* 50.

LECTIO III.

Hæc dicit Dóminus : Labor Ægypti, et Sábaïm viri su-

blímes ad te transíbunt, et tui erunt; post te ambulábunt, vincti mánicis pergent, et te adorábunt, teque deprecabuntur. Tantùm in te est Deus, et non est absque te Deus. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israel salvátor. Confúsi sunt et erubuérunt omnes; simul abiérunt in confusiónem fabricatóres errórum. Israel salvátus est in Dómino salúte æternâ. Hæc dicit.

℟. Fidélis est, qui vocávit, qui étiam fáciet, * Ut íntegerspíritus, et ánima, et corpus sine queréla in adventu Dómini nostri Jesu Christi servétur. ℣. Státe, et vidéte magnália Dómini, quæ factúrus est. * Ut ínteger. Glória. *Rep.* ℟. *usque ad* ℣. *Thess.* 5. *Exod.* 14.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 4. d. Quæ est ista quæ progréditur quasi auróra consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? *Cant.* 6.

Ant. 7. d. Ipsa est múlier quam præparávit Dóminus Fílio Dómini mei. *Gen.* 24.

Ant. 3. a. Est in illa Spíritus sanctus, quem nihil vetat, et ídeò nihil inquinátum in eam incurrit. *Sap.* 7.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus, ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

Absolut. et Bened. de B. M. V. 151.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(De Nat. et Grat. c. 36.)

Cum de peccátis ágitur, de sancta Vírgine María, propter honórem Dómini, nullam prorsùs habére volo quæstiónem; indè enim scimus, quòd ei plus grátiæ collátum fúerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd concípere ac parére méruit eum quem constat nullum habuisse peccatum. Hàc ergo Vírgine exceptâ, si omnes illos sanctos et sanctas, qui in Scriptúris Sanctis, non modò non peccasse, verùm étiam justè vixisse referuntur; cùm hìc víverent, congregáre possémus, et interrogare utrùm essent sine peccáto, quid fuisse responsúros putámus? Quantálibet fúerit in hoc córpore excelléntia sanctitátis, si hoc interrogári potuissent, unâ voce clamassent illud, quod ait Joannes Apóstolus: Si dixérimus quia peccátum non habémus, nos ipsos sedúcimus et véritas in nobis non est.

℟. Plácuit óculis regis, dixitque ad eam: * Noli metúere, non moriéris: non enim pro te, sed pro ómnibus hæc lex constitúta est. ℣. Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, et ita in omnes hó-

mines mors pertránsiit. * Noli metuére. *Esther* 5 *et* 15. *Rom.* 5.

LECTIO V.

Sermo sancti Anselmi Epíscopi.

(Lib. de Concept. Cap. 16.)

Quamvis de mundíssima Vírgine Fílius Dei natus sit, non tamen hoc eâ necessitáte factum est quasi de peccatríce parente, justa proles rationabíliter generári per hujúsmodi propagatiónem nequíret : sed quia decébat, ut illíus hóminis concéptio de Matre puríssima fíeret. Nempe decens erat, ut eâ puritáte, quâ major sub Deo nequit intélligi, Virgo illa nitéret, cui Deus Pater únicum Fílium suum, quem de corde suo æquálem sibi génitum, tanquam se ipsum diligébat, ita dare disponébat, ut naturáliter esset unus idemque commúnis Dei Patris, et Vírginis fílius, et quam ipse fílius substantiáliter fácere sibi Matrem eligébat, et de qua Spíritus sanctus volébat, et operatúrus erat, ut concipirétur, et nascerétur ille de quo procedébat.

℟. Ascensor cœli auxiliátor tuus : * Ejíciet à fácie tua inimícum, dicetque contérere. ℣. Dóminus tecum : ne tímeas, María, invenisti enim grátiam apud Deum. * Ejíciet. *Deut.* 33. *Luc.* 1

LECTIO VI.

Sermo sancti Joannis Damascéni,

(Orat. 1, in Nat. B. M. V.)

Quid est quòd Virgo mater orta sit ex stérili? Quia scílicet oportébat ut ad id quod solum sub sole novum futúrum erat, ac miraculórum caput, via per mirácula sternerétur, ac paulátim ab humilióribus ad sublimióra progressus fíeret, quamquam ália quoque áltior ac divínior rátio à me afferri potest. Etenim natúra grátiæ cedit, statque subtrémula non sústinens progrédi. Quóniam ítaque futúrum erat ut Dei génitrix Virgo ex Anna nascerétur, natúra grátiæ fœtum antevértere mínimè ausa est, sed mansit infructuósa, dum grátia fructum edidisset.

℟. Ecce draco stetit ante mulíerem quæ erat paritúra fílium qui rectúrus erat omnes Gentes, * Et projectus est draco ille magnus, serpens antíquus : qui sedúcit universum orbem. ℣. Per manum féminæ percussit illum Dóminus Deus noster. * Et projectus est. Glória. *Repet.* ℟. *usque ad.* ℣. *Apoc.* 12. *Judith* 13.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Vivit Dóminus, quóniam non permísit

me ancillam suam coinquinári. *Judith* 13.

Ant. 6. F. Induit me vestimentis salútis, et indumento justítiæ circumdédit me. *Is.* 61.

Ant. 1. g. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. *Eccli.* 24.

℣. Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum; ℟. Quanta fecit ánimæ meæ. *Ps.* 65.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 1.)

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

(2. de Laud. Virginis Matris.)

LÆTARE, Pater Adam, sed magis tu, ô Eva Mater, exulta, qui sicut ómnium parentes, ita ómnium fuistis peremptóres; et quod infelícius est, prius peremptóres, quàm parentes. Ambo, inquàm, consolánimi super fília, et tali fília; sed illa ámplius, de qua malum ortum est priùs, cujus oppróbrium in omnes pertransiit mulíeres. Instat namque tempus, quo jam tollátur oppróbrium, nec hábeat vir quid causétur adversùs féminam: qui útique dum se imprudenter excusáre conarétur, crudéliter illam accusáre non cunctátus est, dicens: Múlier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Proptérea curre Eva, ad Maríam, curre mater ad fíliam, fília pro matre respóndeat, ipsa matris oppróbrium áuferat, ipsa patri pro matre satisfáciat: quia ecce si vir cécidit per féminam, jam non erígitur nisi per féminam.

℟. Quis Deus præter Dóminum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Deus * Qui præcinxit me virtúte, et pósuit immaculátam viam meam. ℣. Exultávit spiritus meus in Deo salutári meo; * Qui. *Ps.* 17. *Luc.* 1.

LECTIO VIII.

QUID dicébas, ô Adam? Múlier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi? Verba malítiæ sunt hæc, quibus magis áugeas quàm déleas culpam. Verúmtamen sapiéntia vicit malítiam, cùm occasiónem véniæ, quam à te Deus interrogando elícere tentávit, sed non pótuit, in thesáuro indeficientis suæ pietátis invénit. Rédditur nempè fémina pro fémina, prudens pro fátua, húmilis pro superba; quæ pro ligno mortis gustum tibi pórrigat vitæ, et pro venenóso cibo

illo amaritúdinis dulcédinem páriat fructûs æterni. Muta ergo iníquæ excusatiónis verbum in vocem gratiárum actiónis, et dic : Dómine, múlier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comédi : et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me.

℟. Deus noster, in me ancilla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel : * Et interfécit in manu mea hostem pópuli sui. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est. * Et interfécit. *Judith* 13. *Luc.* 1.

LECTIO IX.

O ADMIRANDAM et omni honóre digníssimam Vírginem ! O Féminam singuláriter venerandam, super omnes féminas admirábilem, parentum reparatrícem, posterórum vivificatrícem ! Vírginem carne, Vírginem mente, Vírginem professióne, Vírginem deníque, qualem descríbit Apóstolus, mente et córpore sanctam; nec nóviter, nec fortuítu inventam, sed à século electam, ab Altíssimo præcógnitam et sibi præparátam, ab Angelis servátam, à Pátribus præsignátam, à Prophétis promissam. Scrutáre Scriptúras, et proba quæ dico. Ut pauca loquar de plúribus, quam tibi áliam prædixisse Deus vidctur, quando ad serpentem ait : Inimicítias ponam inter te et mulíerem ? Et si adhuc dúbitas quod de María non díxerit, audi quod séquitur : Ipsa cónteret caput tuum. Cui hæc serváta victória est, nisi Maríæ ? Ipsa procul dúbio caput contrívit venenátum, quæ omnímodam maligni suggestiónem tam de carnis illécebra, quàm de mentis supérbia deduxit ad níhilum.

℟. Magnus es tu, Dómine, et fáciens mirabília : glorificábo nomen tuum in æternum ; * Quia misericórdia tua magna est super me. ℣. Prínceps mundi hujus, in me non habet quidquam. * Quia. Glória. *Rep.* ℟ *usque ad.* ℣. *Ps.* 85. *Joan.* 14.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Exaltábo te, Dómine, quóniam suscépisti me ; ℟. Nec delectasti inimícos meos super me. *Ps.* 29.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 8. G. Benedicta es tu, fília à Dómino Deo excelso præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith* 13.

Ant. 3. a. Dóminus fáciens et formans te ; ab útero auxiliátor tuus. *Is.* 44.

Ant. 6. F. Benedixit te in virtúte sua, quia per te ad

nihilum redégit inimícos nostros. *Judith*. 13.

Canticum, Incípite, *ut in Psalterio*, 134.

Ant. 5. a. Dóminus omnípotens nócuit eum, et trádidit eum in manus féminæ, et confódit eum. *Judith* 16.

Ant. 4. D. Beáti omnes, qui díligunt te, et qui gaudent super pace tua. *Tob*. 13.

Capitulum. (*Baruch*. 5.)

Deus ostendet splendórem suum in te, omni qui sub cœlo est, nominábitur enim nomen tuum à Deo, pax justítiæ et honor pietátis.

HYMNUS.

Afflicta quid ploras Sion;
Depóne cultus lúgubres:
Antíqua cessat sérvitus?
Testáre plausu gáudia.

Frustra profundi gúrgitis
Tyrannus intentat minas;
Victus recédet, et gravi
Pressus caténâ cóncidet.

Primis negáta séculis,
Pax alma terris rédditur;
María dat lætos dies,
Rerumque mutat órdinem.

Qualem, María, te canam,
O Virgo, flos ô Vírginum,
Hebræa quas tellus tulit,
Tu sola vincis fílias.

Vix dum parentis in sinu,
Jam plena vivébas Deo;
Castumque pectus cœperat
Ardére sacris ígnibus.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Dignam Deo qui Vírginem
Formans ab ortu præparas.
Amen.

℣. Deus operatus est salútem in médio terræ. ℟. Tu confregísti cápita dracónis. *Ps*. 73.

Ad Benedictus, *Ant*. 7. G. *duplicanda*. Consurge sicut in diébus antíquis. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti dracónem. *Is*. 51.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui propter honórem Dómini nostri Jesu Christi beátam et immaculátam ejus genitrícem Vírginem Maríam, ab omni labe peccáti præservasti, quæsumus, ut nos puríssimam ejus Conceptiónem recolentes, ab omni iniquitáte mundos grátiâ tuâ effícere dignéris; Per eumdem.

Fit Commem. de Adventu.

AD HORAS.

In fine Hymnórum, Doxologia :

Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Dignam Deo qui Vírginem
Formans ab ortu præparas.
Amen.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Benedicta es.

In ℟. *br*. ℣. Quem María concípiet * et páriet. *Luc*. 1. 37.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

(Anno 1546. Sess. 5, Decr. de Peccato originali.)

DECLARAT sancta Synodus, non esse suæ intentiónis comprehéndere in decréto, ubi de peccáto origináli ágitur, beátam et immaculátam vírginem Maríam Dei genitrícem; sed observandas esse constitutiónes Sixti Papæ quarti, sub pœnis in eis constitutiónibus contentis, quas ínnovat.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Dóminus.

Capitulum. (*Sophon.* 3.)

LÆTARE, et exulta in omni corde, fília Jerúsalem: abstulit Dóminus judícium tuum, avertit inimícos tuos: Rex Israel Dóminus in médio tuî.

℟. *br.* Suscepisti me, Dómine, * de útero matris meæ, * Allelúia, allelúia. Suscepisti. ℣. Confitébor tibi, * quia terribíliter magnificátus es: * Allelúia. Glória. Suscepisti. *Ps.* 138.

℣. De ventre matris meæ, tu es protector meus: ℟. In te cantátio mea semper. *Ps.* 70.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Benedixit.

Capitulum. (*Judith.* 13.)

BENEDICTUS Dóminus, qui creávit cœlum et terram, qui te direxit in vúlnera cápitis Príncipis inimicórum nostrórum.

℟. *br.* In hoc cognóvi, Dómine, * quóniam voluisti me; * Allelúia, allel. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus * super me: * Allel. Glória. In. *Ps.* 40.

℣. Dedisti mihi protectiónem salútis tuæ. ℟. Et déxtera tua suscépit me. *Ps.* 17.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Beáti.

Capitulum. (*Judith* 13.)

BENEDICTA tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel.

℟. *br.* Pópuli confitebuntur tibi * in æternum. * Allelúia, allel. Pópuli. ℣. Mémores erunt * nóminis tui, * Allel. Glória. Pópuli. *Ps.* 44.

℣. Magna est glória ejus, ℟. In salutári tuo, Dómine. *Ps.* 20.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Officio parvo.

Ant. 2. D. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. *Cant.* 2.

Ant. 4. E. Tota pulchra es, amíca mea; et mácula non est in te. *Cant.* 4.

Ant. 1. f. Hortus conclúsus soror mea sponsa; hortus conclúsus, fons signátus. *Cant.* 4.

Ant. 5. C. Fons hortórum, púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano. *Cant.* 4.

Ant. 7. d. Quàm pulchra es, et quàm decóra, caríssima in delíciis. *Cant.* 7.

Capitulum. (*Is.* 62.)

VOCABITUR tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit: et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui.

Allelúia, allelúia. ℣. Nomen tuum Dóminus ità magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. Allelúia. *Judith.* 13.

HYMNUS.

QUANTIS, María, te Deus
Donis ab ortu prævénit!
Matri fútúræ Núminis
Quid gratulári non juvat?

VIX Matris inclúsam sinu
Replet sacer te Spíritus:
Jam tota pulchra, nec decus
Avita labes ínficit.

NOSTRUM genus qui pérdidit
Serpentis átteres caput:
Fœdi tyranni légibus
Te non décebat súbjici.

HINC, Virgo, certátim tuo
Plaudunt triumpho cœlites:
Cladíque raptam pátriæ
Stupent frementes ínferi.

ET nos, tibi quos sánguinis
Sacráta jungunt víncula:
Juvat soróris dúlcibus
Ornáre palmas cánticis.

O DULCIS infans, ô soror,
Crescas ut infélix genus
Quod prima Mater pérdidit,
Mater réformes áltera.

TIBI perenni fœdere,
Infans, vovémus péctora;
Quâ tota jam consúmeris,
Fac caritáte férveant.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Dignam Deo qui Vírginem
Formans ab ortu præparas.
Amen.

℣. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs: ℟. In fímbriis áureis circumamicta varietátibus. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. *duplic.* Una est columba mea, perfecta mea: vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt. *Cant.* 6.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Fit Commem. S. Nicolai, Episc. Ant. Elégit. ℣. Beátus, XXII. *Collecta*, Deus, qui beátum, *infrà.*

Deinde de Adventu.

COMPLETORIUM *ut heri, cum Ps. de Dominica.*

DIEBUS INTRA OCTAV.

CONCEPTIONIS B. M. V.

Semiduplex.

Omnia ut in die præter ea quæ sequuntur.

Psalmi de Feria, in toto Officio.

AD OFFIC. NOCT. *Tres Ant.* ℣. *et* ℟℟. *ex uno de Nocturnis Festi secundùm Feriam.*

Lectio I et II, de Scriptura occurrente, è tribus fiunt duæ.

Lectio III ut infrà in qualibet die.

AD LAUDES.

Antiph. sola Dóminus, *quarta de Laudibus.*

AD VESPERAS.

Ant. sola Sicut lílium, *prima de II Vesperis.*

Ad Laudes et Vesperas, Commem. Adventûs.

DOMINICA INTRA OCTAV.

Totum Officium fit de Adventu, cum Commem. Octavæ in utrisque Vesperis et Laudibus.

DIE IX.

SANCTI NICOLAI,

MYRENSIS EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

Nicolaus Myræ, quæ Lyciæ Metrópolis est, Epíscopus, pópulis ómnibus véteri et vulgátâ famâ notus est. Quanto honóre fúerit habitus à Græcis, vel una testátur precátio inserta Litúrgiæ, quæ sancti Joannis Chrysostomi nómine inscríbitur. Multæ sub ejus nómine erectæ sunt Constantinópoli Basílicæ. Illíus præsentem opem sensisse se Theodórus, qui Myrensem ejus sedem tenébat, coram Pátribus in Nicæna secunda Synodo contestátus est ad asserendam et confirmandam, quam priùs impugnáverat, débitam Sanctórum imagínibus veneratiónem.

LECTIO III.

Ex ejus sepulcro stillábat óleum depellendis váriis morbórum genéribus salúbre, quod penículo extractum ex urna, fidélibus distríbui solébat in vásculis. Eórum nonnullis in Occidentem allátis, cœpit apud Latínos nóminis et miraculórum ejus fama celebrári, quam prædicant nono sǽculo Martyrológia Usuardi et Adónis. Aucta est autem ímprímis sancti Pontíficis venerátio, ex quo, devastátâ à Turcis Myrâ, allátum est corpus ejus Bárium in Apúlia, annò salútis millésimo octogésimo séptimo. Ibi enim extructa est impensis civitátis Basílica, quam in honórem sancti Nicolái Urbánus Papa secundus, post biénnium in Apúliam véniens, dedicávit; in eaque sacrum corpus condidit.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Nicoláum Pontíficem innúmeris decorasti miráculis, tríbue, quæsumus, ut omnes qui ejus implórant auxílium, petitiónum suárum salutárem consequantur effectum, Per Dóminum.

Fit Commemor. Octavæ Conceptionis et Adventûs.

Ad Vesperas. *Fit à Capitulo de Octava, ut in II. Vesperis Festi, cum Commem. S. Nicolai et Adventus.*

DIE X.

DE OCTAVA.

LECTIO III.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(De 12. prærogat. B. M. V.)

JURE María sole perhibétur amicta, quæ profundíssimam divínæ sapiéntiæ, ultrà quàm credi váleat, penetrávit abyssum : ut quantùm sine personáli unióne creatúræ condítio pátitur, luci illi inaccessíbili videátur immersa. Illo nimírum igne prophétæ lábia purgantur, illo igne Séraphim accenduntur. Longè verò áliter María méruit, non velut summátim tangi, sed operíri magis úndique, et circumfundi, et tanquam ipso igni conclúdi. Candidíssimus sane, sed et calidíssimus hujus mulíeris amictus : cujus ómnia tam excellenter irradiáta noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrósum, sed ne subobscúrum saltem, vel minus lúcidum, sed ne tépidum quidem áliquid : aut non ferventíssimum, líceat suspicári.

AD LAUDES, *fit Commem. de Adventu.*

VESPERÆ, *à Capitulo de sequenti ut in Communi Pontificum*, XXII.

Fit Commem. Octavæ et Adventûs.

DIE XI.

SANCTI DAMASI,

PAPÆ.

Semiduplex.

De Communi Pontificum, XXI.

LECTIO II.

DAMASUS post Libérium Románus Póntifex, testante sancto Ambrósio, manifesto Dei judício electus ; et tandem confirmátus est, dejecto in Synodo Románа Ursicíno, qui quorumdam factióne pseudo-epíscopus ordinátus fúerat. Hic in írritum misit Ariminensem conventum, in quo Cathólicis structa fraus Valentis potíssimùm et Ursátii perfídiâ, detectamque in Synodo Apollináris hærésim primus anathémate percussit. Accépit lítteras à Pátribus in Concílio secundo œcuménico Constantinópoli congregátis, cujus decréta pro fide rata hábuit.

LECTIO III.

PRISCILLIANISTAS in Synodo Cæsaraugustána solemni judício proscriptos, cùm purgandæ fídei suæ spécie, Romam ad ipsum venissent, ne ad conspectum quidem admíttere vóluit. Sanctum Hierónymum ad se vocávit, ut eo in conscribendis epístolis, et responsiónibus synodálibus uterétur. Ejus quoque jussu idem Hieró-

nymus novum Testamentum Græcæ fídei réddidit, et Psaltérium quo Romána utebátur Ecclésia juxtà Septuaginta Intérpretum translatiónem, emendávit. Elegans in componendis vérsibus ingénium hábuit: versu, et solútâ oratióne multa scripsit. Tandem annis octódecim in Pontificátu exactis, Theodósio imperante, decessit, et viâ Ardeatínâ sepultus est.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Dámasum ad sedem Apóstoli tui Petri evectum, et fídei firmitáte, et vitæ integritáte illustrem effecisti, ejus méritis et intercessióne tales Ecclésiæ tuæ próvide pastóres, qui fidélibus tuis sincéræ doctrínæ præbeant alimentum, et rectæ conversatiónis ministrent exemplum; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Commem. Octavæ et Adventûs.

Vesperæ *à Capitulo de sequenti.*

DIE XII.

SANCTI PAULI,

PRIMI NARBONENSIS EPISCOPI.

Semiduplex.

De Communi Pontificum, XXI.

In I. Vesperis, *fit Commem. Octavæ Conceptionis, Ant.* Una est. ℣. Omnis, 439. *Collecta*, Deus, qui propter, 437. *Deinde S. Damasi, Ant.* Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVIII. *Collecta*, Deus, qui beátum, *ut suprà. Ultimò de Adventu.*

LECTIO II.

Paulus, Româ in Gállias Evangélii prædicandi causâ missus, iter ad províncias Narbonensem direxit: in quibus Galliárum pártibus, Apostólicum munus exercens, propagandæ Religióni Christiánæ totus incúbuit, multosque ab idolórum cultu féliciter revocávit. Cùm ad civitátem Biterrensem pervenisset, altáre Dómino consecrávit; primusque ibi Cáthedram Episcopálem tenuisse tráditur. Conciliátâ sibi póstmodùm per totam latè regiónem eximiæ virtútis famâ, missam ad eum ferunt legatiónem à Narbonénsibus, Paulum ad suscipiendam Christi fidem in Epíscopum postulántibus; quorum votis eò libéntiùs ánnuit, quòd ex hac urbe, quæ tunc témpore incolárum multitúdine, advenarumque frequéntiâ, notíssima erat, in álias civitátes Christi Evangélium propagári commódiùs posse existimávit.

LECTIO III.

Paulus, ordináto, ut fertur, in locum suum Biterris Aphrodísio Epíscopo,

Narbónam se cóntulit; cujus adventûs memória quotannis undécimo Calendas Aprílis peculiári devotióne Narbónæ celebrátur. Ibi íllicò parvum oratórium construxit; deindè salútis doctrínâ sensim convalescente, ac crescente in dies discipulórum número, trans pontem álteram Ecclésiam, sub invocatióne beátæ Maríæ Vírginis ædificári curávit. Demùm, cùm in summa sanctitátis laude vixisset, multis clarus, miráculis, hinc indè acquisítis Ecclésiæ pópulis, et fide summópere dilatátà, pacífico fine quiévit. Narbónæ sepultus est in ea Ecclésia quam trans pontem constrúxerat, ubi sacrum ejus corpus asservátum, váriis ægrotántium qui sanitáti redduntur, votis cólitur et honorátur.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui per beátum Paulum Pontíficem infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuisti; da nobis ejus intercessióne, in fide stábiles et à spe Evangélii quod prædicávit, immóbiles permanére; Per Dóminum nostrum.

Fit Commem. Octavæ et Adventûs.

VESPERÆ *à Capitulo de sequenti, ut in Communi Virginum*, LVI. *Fit Commem. Octavæ ut in II. Vesperis Festi.*

Deindè S. Pauli, Ant. Sacerdótes tui induantur salútem. ℣. Salvum fecit Dóminus, XXVIII.

Collecta. Deus qui per beátum Paulum Pontíficem, *ut suprà.*

Deindè de Adventu.

DIE XIII.

SANCTÆ LUCIÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

Ex libro sancti Adelmi Epíscopi de láudibus sanctæ virginitátis.

(Cap. 23.)

Sicut Catanense munícipium, præ céteris Trinácriæ úrbibus, Agathæ martyrio felíciter coronátur; ita famosíssimæ Christi tirúnculæ Lúciæ prærogatívâ, Syracúsæ, óppidumRicíliæ, prósperis successibus sublimantur. Quæ genitrícem prolixâ valetúdine fatigátam, et méritis Agathæ à rivo cruóris curátam, cùm alternátim confabularentur, hujuscémodi précibus interpellans: Per ipsam, inquit, te déprecor, quæ te servávit, ne tu mihi sponsum nómines, nec de mea posteritáte fructum immortalitátis inquíras; sed ómnia quæ mihi eunti ad corruptiónis meæ auctórem hóminem moritúrum eras datúra, da mihi eunti ad integritátis

meæ auctórem Dóminum nostrum Jesum Christum. Matre ígitur consentiente, fit rerum repentína distráctio, arcárum cistellæ reserantur, mancórum marsúpia replentur, sponsália erogantur crepúndia, et cœli comparantur triclínia; ac dum carnále dissipátur patrimónium, spirituále exercétur matrimónium.

LECTIO III.

VERUM pro hujúsmodi negótio sponsus iracúndiæ fácibus inflammátur. Paschásius Consul tribunítiâ potestáte fretus, facti angóre affícitur, eò quòd Christi tiróncula nec sermónum severitáte castigáta, nec lenónum falláci lenocínio trádita, à rígido virginitátis propósito pénitùs inflecti váluit. Quamvis réstibus constrictam, ad detestábile prostíbulum et invísum lupánar scortórum trúdere niterentur Sanctam; sed ab omni magórum máchina illæsam, et arúspicum superstitióne incontaminátam Christi tutéla protexit. Postrémò furibundus Consul flammívomis assandam tórribus trádidit; ita ut atræ picis et resínæ fomentum cum scintillante óleo, rogórum incéndia cumulárent. Sed hæc divínæ potestátis ímbribus sopíta, dicto cítiùs tabuérunt. Igitur beáta Lúcia, salvo pudóris signáculo, et consummato vitæ currículo, gloriósum martyrii triumphum méruit; dum mucróne confossa, máluit purpúreum sánguinem fúndere, quàm pretiósam pudicítiam pérdere.

COLLECTA. Orémus.

INTERCESSIO nos, quæsumus, Dómine, sanctæ Lúciæ mártyris tuæ votíva confóveat; ut ejus sacra natalítia et temporáliter frequentémus, et conspiciámus æterna; Per.

AD LAUDES, *Commem. Octavæ et Adventûs.*

AD VESPERAS, *fit à Capitulo de Octava, ut in II Vesp. Festi.*

Fit Commem. S. Luciæ, Ant. Casta. ℣. Conféssio; LXIII. *Collecta, ut suprà. Deindè de Adventu.*

DIE XIV.

DE OCTAVA.

LECTIO III.

De Sermóne sancti Joannis, Damascéni.

(Orat. I. de Nativ. B. M.)

GRATIARUM actiónis cántica depromámus cum Dávide, exultémus Dómino, jubilémus Deo Salvatóri nostro; ómnium conditóri templum quo excipiátur extructum est; quia Verbo rerum opífici, hospítii domus est paráta. David Deíparens, gaude ánimo: Isaía Prophetárum primus, exhilaráre. alter quidem, quod tuis ex

lumbis, uti jurátum erat, Regína procédat, ex qua Deus fructum tuum super sedem tuam positúrum promíserat; alter verò quod finem hábeat vaticínium illud tuum: Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascendet. Virga Virgo est, ex qua íntegro decóre mulíebri flóridus perennisque flos Christus assurgit.

AD LAUDES, *fit Commem. de Adventu.*

Officium Octavæ terminatur ad Nonam et dicuntur Vesperæ de Festo sequenti.

Si Dies 15 sit Dominica, Festum Expectationis celebrabitur die sequenti, et fiet ejusdem Commem. in II Vesperis Dominicæ.

DIE XV.

IN EXPECTATIONE

PARTUS B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 3. a. Dómine, exercítuum, úsquequò tu non miseréberis Jerúsalem et úrbium Juda, quibus irátus es? *Zach.* 1.

Ant. 5. c. Exaudi, Dómine; placáre, Dómine; attende, et fac: ne moréris propter temetipsum, Deus meus. *Dan.* 9.

Ant. 7. d. Da testimónium his qui ab inítio creatúræ tuæ sunt, et súscita prædicatiónes quas locúti sunt in nómine tuo prophétæ prióres. *Eccli.* 36.

Ant. 4. E. Dabis, Deus, veritátem Jacob, misericórdiam Abraham, quæ jurasti pátribus nostris à diébus antíquis. *Mich.* 7.

Ant. 1. g. Obsecro, Dómine, mitte quem missúrus es. *Exod.* 4.

Capitulum. (*Is.* 62.)

ECCE Dóminus audítum fecit in extrémis terræ, dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit.

℟. Audíte, domus David; Ecce virgo concípiet et páriet fílium, et * Vocábitur nomen ejus Emmánuel. ℣. Habitábit cum homínibus; et ipsi pópulus ejus erunt: et ipse Deus cum eis erit nomen ejus Emmánuel eórum Deus. * Vocábitur. Glória Patri. * Vocábitur. *Is.* 7. *Apoc.* 21.

HYMNUS.

PRÆDICTA priscis témpora
 pátribus,
Novique partûs áurea sécula
Optáta procédunt, ab alto,
Christe, micas nova lux
 olympo.
NOSTRI misertus, quæ tua
 cáritas!
Mundo jacenti certa salus
 ades;
Te cursus ævi currentis,

Teque novus vocat ordo rerum.
Qui cuncta fecit, jam fit homo Deus;
Qui membra finxit, fingitur ártubus;
Qui nutrit omnes, nutriendus
Ubéribus puer indigébit.
Quam læta partus, virgo parens, tuus
Orbi stupenti múnera cónferet!
Quam laude gratâ te vicissim
Ritè memor celebrábit orbis.
Te nempè cœli cúria dum suam
Dicet perenni cármine príncipem;
Terris, Maríæ dulce nomen
Per pópulos resonábit omnes.
Nunc ergo votis supplícibus favens,
E matre prodi factus homo, Deus;
Et tu tot annos expetítum
Accélera, pia virgo, partum.
Laus summa, mittit qui Génitum, Patri;
Laus summa misso sit quoque Filio:
Fœcunda per quem Virgo, compar
Sit tibi laus, utriusque nexus. Amen.

℣. Descendet Dóminus sicut plúvia in vellus: ℟. Et sicut stillicídia stillántia super terram. *Ps.* 71.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Creávit Dóminus novum super terram: fémina circúmdabit virum. *Jerem.* 31.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Fit Commem. de Adventu.

Ad Complet. *Hymnus*, Virgíneis, 167.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Quod nascétur ex María Sanctum: * Veníte, adorémus. *Luc.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS

Adest, Creátor ómnium,
Jam plenitúdo témporis:
Nunc ergo quem missúrus es,
Mittas ab æterno sinu.
Audimur: alta móntium
Sternantur ultrò cúlmina;
Planamque mortáles parent
Suo redemptóri viam.
Propheta quem prædíxerat,
En partus instat vírginis;
Pax undè surget áurea,
Eritque nobiscum Deus.
Beata cujus mœnibus
Nascétur ille, cívitas!
Domus beáta, quæ prior
Tantum fovébit hóspitem!
Beatiorem te canam,
O Virgo, quæ partu sacro
Desiderátam lánguidis
Promes salútem géntibus.
Sit laus Patri, qui Fílium
Promísit orbi víctimam:
Sit, qui venit laus Fílio;
Quo fit caro, laus Flámini
Amen.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 8. G. Missus est Angelus Gábriel ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph. *Luc.* 1.

Ant. 1. f. Ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave, grátiâ plena ; Dóminus tecum : Benedicta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

Ant. 2. D. Cùm audisset María, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. *Luc.* 1.

℣. Lætentur cœli et exultet terra : ℟. A fácie Dómini, quia venit. *Ps.* 95.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

℟. I. Ne tímeas, María ; invenisti enim grátiam apud Deum : * Ecce concípies in útero, et páries Fílium. ℣. Hoc à Dómino Deo exívit, ut mirábile fáceret consílium. * Ecce concípies. *Luc.* 1. *Is.* 28.

℟. II. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur : et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus ; * Et regni ejus non erit finis. ℣. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen justum, et regnábit Rex. * Et regni. *Luc.* 1. *Jerem.* 23.

℟. III. Vocábis nomen ejus Jesum : * Ipse enim salvum faciet pópulum suum à peccátis eórum. ℣. Fília Sion, Rex Israel Dóminus in médio tuî ; noli timóre ; * Ipse enim salvum fáciet pópulum suum. Glória Patri. * Ipse enim. *Matth.* 1. *Soph.* 3.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 3. a. Dixit María ad Angelum : Quómodò fiet istud, quóniam virum non cognosco ? *Luc.* 1.

Ant. 8. G. Respondens Angelus, dixit ei : Spíritus sanctus supervéniet in te ; et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. *Luc.* 1.

Ant. 7. d. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Dóminus dabit benignitátem ; ℟. Et terra nostra dabit fructum suum. *Ps.* 84.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Hom. 4. de Laud. Virg. Matr.)

Audisti, Virgo, quia concípies et páries Fílium : audisti quòd non per hóminem, sed per Spíritum sanctum. Expectat Angelus responsum : tempus est enim ut revertátur ad Deum qui misit illum. Expectámus et nos, ô Dómina, verbum miseratiónis, quos miserabíliter premit senténtia damnatiónis. Et ecce offertur tibi prétium salútis nostræ statim liberábimur si consentis.... Hoc supplicat à te, ô pia Virgo, flébilis Adam cum mísera sóbole sua exul de paradíso, hoc Abraham,

hoc David. Hoc céteri flágitant sancti patres, patres scílicet tui, qui et ipsi hábitant in regióne umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis génibus provolútus expectat. Nec imméritò, quando ex ore tuo pendet consolátio miserórum, redémptio captivórum, liberátio damnatórum, salus dénique universórum filiórum Adam, totíus géneris tui.

℟. Ex te egrediétur qui sit dominátor in Israel, et egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. * Et erit iste pax. ℣. Regnábit in domo Jacob in æternum. * Et erit iste pax. *Mich.* 5. *Luc.* 1.

LECTIO V.

Da, Virgo, responsum festinanter. O Dómina responde verbum, quod terra, quod ínferi, quod expectant et súperi. Ipse quoque ómnium Rex et Dóminus quantùm concupívit decórem tuum, tantùm desíderat et responsiónis assensum : in qua nimírum propósuit salváre mundum. Et cui placuisti in siléntio, jam magis placébis ex verbo, cùm ipse tibi clamet è cœlo : O pulchra inter mulíeres, fac me audíre vocem tuam. Si ergo tu eum fácias audíre vocem tuam, ipse te fáciet vidére salútem nostram. Numquid non hoc est quod quærébas, quod gemébas, quod diébus et nóctibus orando suspirábas ? Quid ígitur ? Tu es cui hoc promissum est, an áliam expectámus ? Immò tu ipsa, non ália. Tu, inquam illa promissa, illa expectáta, illa desideráta, ex qua sanctus pater tuus Jacob jam morti appropinquans vitam sperábat æternam, cùm dicébat : Expectábo salutáre tuum, Dómine.

℟. Lauda et lætáre Fília Sion : quia ecce ego vénio, * Et habitábo in médio tuî, ait Dóminus. ℣. Tempus propè est ; ecce vénio citò. * Et habitábo in médio tuî ait Dóminus. *Zach.* 2. *Apoc.* 22.

LECTIO VI.

Audiamus quid illa respónderit, quæ Dei mater eligebátur, sed humilitátem non obliviscebátur. Ecce, ait, ancilla Dómini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Fiat est desidérii signum, non dubitatiónis indícium. Et per hoc quod dicit, fiat mihi secundùm verbum tuum, magis intelligenda est affectum exprímere desiderantis, quàm effectum requírere more dubitantis. Quanquam nil obstat intélligi, fiat, esse verbum orantis. Nemo quippe orat, nisi quod credit et sperat. Vult autem à se requíri Deus, étiam quod pollicétur. Hoc útique prudens Virgo intellexit, quandò prævenienti

se múneri gratúitæ promissiónis, junxit méritum suæ oratiónis: Fiat, ínquiens, mihi secundùm verbum tuum. Verbum quod erat in princípio apud Deum, fiat caro de carne mea secundùm verbum tuum.... Eo vidélicet modo fiat mihi, quo némini ante me factum est, némini post me faciendum. Fiat quidem generáliter omni mundo, sed speciáliter fiat mihi secundùm verbum tuum.

℟. Dixit María ad Angelum: * Ecce ancilla Dómini; fiat mihi secundùm verbum tuum. ℣. Nunc ergo Dómine, tu es Deus, et verba tua erunt vera: * Ecce ancilla Dómini; fiat mihi secundùm verbum tuum. Glória Patri. * Ecce ancilla Dómini. *Luc.* 1. 2. *Reg.* 7.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. E. María inventa est in útero habens de Spíritu sancto. *Matth.* 1.

Ant. 6. F. Quod in ea natum est, de Spíritu sancto est, páriet autem Fílium. *Matth.* 1.

Ant. 5. C. Hoc totum factum est, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétam; Ecce virgo in útero habébit, et páriet fílium. *Matth.* 1.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 1.)

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen vírginis, María. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

(De Adv. Dom. Serm. 1.)

Ecce, fratres, venit Fílius de corde Dei patris in úterum vírginis matris; venit à summo cœlo in inferióres partes terræ. Libet autem manifesti Adventûs viam consideráre: quóniam viæ ejus, viæ pulchræ; et omnes sémitæ ejus pacíficæ. Ecce, inquit sponsa, venit is sáliens in móntibus, transíliens colles. Montes et colles, Patriarchas et Prophétas áccipe; et quemádmodum vénerit sáliens et transíliens, in libro generatiónis lege: Abraham génuit Isaac, Isaac génuit Jacob. Ex his móntibus pródiit, ut invénies, radix Jesse, undè juxtà Prophétam, egressa est virga, et exindè flos ascendit, super quem requiévit Spíritus septifórmis.

℟. Benedicta tu inter mulíeres, * Et benedictus fruc-

tus ventris tui. ℣. Benedicta es tu filia, à Dómino Deo excelso præ ómnibus muliéribus super terram. * Et benedictus. *Luc.* 1. *Judith* 13.

LECTIO VIII.

(Serm. 2.)

Manifestum jam árbitror, quænam sit virga de rádice Jesse procédens, quis verò flos super quem requiescit Spíritus sanctus. Quóniam Virgo Dei génitrix virga est, flos Fílius ejus. O Virgo, virga súblimis! O verè cœlestis planta, pretiósior cunctis, sánctior universis! O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portáre fructum salútis! Sed jam advertistis, ni fallor, quóniam virgo régia ipsa est via, per quam Salvátor ádvenit, procédens ex ipsíus útero, tanquam sponsus de thálamo suo. Tenentes ergo viam, studeámus et nos, dilectíssimi, ad ipsum per eam ascéndere, qui per ipsam ad nos descendit; per eam veníre in grátiam ipsíus, qui per eam in nostram misériam descendit.

℟. Beáta quæ credidisti, quóniam * Perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino. ℣. Non est Deus quasi homo ut mentiátur : Dixit ergo et non fáciet? Locútus est, et non implébit? * Perficientur. *Luc.* 1. *Num.* 23.

Si hoc Festum occurrat Feria IV Quatuor Temporum, non legitur Evangel. Feriæ.

Secùs, si occurrat Feria VI, vel Sabbato, et tunc omittitur Lectio IX.

LECTIO IX.

Per te accessum habeámus ad Fílium, ô benedicta inventrix grátiæ, génitrix vitæ, mater salútis : ut per te nos suscípiat, qui per te datus est nobis. Excúset apud ipsum intégritas tua culpam nostræ corruptiónis, et humílitas Deo grata nostræ véniam ímpetret vanitáti. Copiósa cáritas tua nostrórum coopériat multitúdinem peccatórum, et fœcúnditas gloriósa fœcunditátem nobis cónferat meritórum. Dómina nostra, Mediátrix nostra, Advocáta nostra, tuo Fílio nos reconcília, tuo Fílio nos commenda, tuo nos Fílio repræsenta. Fac, ô benedicta, per grátiam quam invenisti, per prærogatívam quam meruisti, per misericórdiam quam peperisti, ut qui te mediante fíeri dignátus est párticeps infirmitátis et misériæ nostræ, te quoque intercedente, partícipes nos fáciat glóriæ et beatitúdinis suæ.

℟. Suscépit Deus Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ; * Sicut locútus est ad patres nostros Abraham et sémini ejus † In sécula. ℣. In me ancilla sua adimplévit Dóminus

misericórdiam suam. * Sicut locútus est ad Patres nostros, Abraham et sémini ejus in sécula. Glória Patri. ✠ In sécula. *Luc.* 1. *Judith* 13.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo; ℟. Mandávit in ætérnum testamentum suum. *Ps.* 110.

AD LAUDES.

Ant. 7. d. Expectátio Israel, Salvátor ejus : Dómine, ne derelinquas nos. *Jerem.* 14.

Ant. 6. F. Nomen tuum, et memoriále tuum in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te. *Is.* 26.

Ant. 3. a. Quis mihi det te fratrem meum sugentem úbera matris meæ? *Cant.* 8.

Ant. 4. E. Miserére plebi tuæ, Dómine; miserére civitáti sanctificatiónis tuæ. *Eccli.* 36.

Ant. 5. C. Nunc, Dómine, sermo quem locútus es confirmétur, et fac sicut locútus es. 1. *Paral.* 17.

Capitulum. (*Amos* 4.)

Præparare in occursum Dei, tui Israel, quia ecce formans montes, et grádiens super excelsa terræ : Dóminus Deus exercítuum nomen ejus.

HYMNUS.

Vatum patent orácula,
Promissa priscis Pátribus :
En Virgo, quæ gravis Deo,
Nobis parem parit Deum.

Toto quid orbe par fuit,
Virgo parens, homo Deus?
Quo náscitur partu puer,
Hoc náscitur mundi salus.

Ut nocte caligántibus
Cœleste lumen témperet,
Velo tegi vult córporis;
Hoc, virgo, velum præparas.

Quod prima mater pérdidit,
Mater reformas áltera :
Mors ipsa nobis prófuit,
Dùm vita per te rédditur.

Per te Deo conjúngimur,
Cui corpus aptasti parens :
Per te Dei nos fílii,
Per te Dei fratres sumus.

Fac, Virgo, quem scimus Deum
Venisse terrís hóspitem,
Per te, manens nobis adhuc
Nostri sit hospes péctoris.

Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus.
Amen.

℣. Memento nostrî, Dómine, in beneplácito pópuli tui; ℟. Vísita nos in salutári tuo. *Ps.* 105.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Erexit Dóminus cornu salútis nobis, sicut locútus est per os Prophetárum. *Luc.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui verbum tuum in alvo beátæ Maríæ Vírginis

incarnári voluisti, ipsâ intercedente, concéde, ut illíus venerandi Partûs, cujus hodiernâ die celebrámus Expectatiónem, salutáres consequámur effectus; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Fit Commem. de Adventu.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia :

Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre; nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Expectátio.

In ℟. *br.* ℣. Qui ventúrus es * in mundum.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Nomen tuum.

Capitulum. (*Jer.* 14.)

Recordare ne írritum fácias fœdus tuum nobiscum. Nonne tu es Dóminus Deus noster quem expectávimus?

℟. *br.* Tu exurgens, Dómine, * Miseréberis Sion. Tu exurgens, Dómine. ℣. Quia tempus miserendi ejus, * Quia venit tempus. * Miseréberis Sion. Glória Patri, etc. Tu exurgens. *Ps.* 101.

℣. Deus salvam fáciet Sion; ℟. Et ædificabuntur civitátes Juda. *Ps.* 68.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Quis mihi det.

Capitulum. (*Habac.* 2.)

Apparebit in finem, et non mentiétur : si moram fécerit, expecta illum : quia véniens véniet, et non tardábit.

℟. *br.* Quid est homo, * Quòd memor es ejus? Quid est. ℣. Aut fílius hóminis * Quóniam vísitas eum? * Quòd. Glória. Quid. *Ps.* 8.

℣. Tu es ipse rex meus et Deus meus; ℟. Qui mandas salútes Jacob. *Ps.* 43.

AD NONAM.

Ant. 5. c. Nunc, Dómine.

Capitulum. (*Is.* 14.)

Prope est ut véniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur, miserébitur enim Dóminus Jacob, et éliget adhuc de Israel.

℟. *br.* Exultent et lætentur in te. * Omnes qui quærunt te. Exultent. ℣. Et dicant semper : * Magnificétur Dóminus. * Omnes qui quærunt te. Glória Patri. Exultent.

℣. Adjútor meus et liberátor meus es tu : ℟. Dómine, ne moréris. *Ps.* 69.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. D. Gaudéte in Dómino, íterùm dico, gaudéte : Dóminus propè est. *Philipp. c.* 4.

Ant. 7. a. Leváte cápita vestra; quóniam appropinquat redémptío vestra. *Luc.* 21.

Ant. 4. E. Scitóte quia propè est in jánuis; ídeò, estóte paráti. *Matth.* 24.

Ant. 6. F. Ecce sponsus venit : exíte óbviam ei. *Matth.* 25.

Ant. 5. c. Ecce Deus noster iste, expectávimus eum, et salvábit nos. *Is.* 25.

Capitulum: (*Eccli.* 24.)

Præcepit et dixit mihi creátor ómnium, et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Hymnus, Ave, maris stella, *ut in Officio parvo.*

℣. Anima mea exultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. E. Spíritus et sponsa dicunt : Veni, et qui audit, dicat : Veni, veni, Dómine Jesu. *Apoc.* 22.

Collecta, ut suprà.

Commemoratio Adventûs per Ant. O Sapiéntia, *vel* O Adónaï.

DIE XVIII.

Ad Laudes, *fit Comm. S. Gatiani, Episc. Ant.* Ego sum. ℣. Elégit, xxvi.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus ineffábili misericórdià beátus Póntifex Gatiánus in géntibus evangelizávit investigábiles divítias Christi; da nos ejus intercessióne créscere in sciéntia tua; et in omni ópere bono fructificantes, secundùm Evangélii veritátem coram te ambuláre; Per eumdem Dóminum.

DIE XXI.

SANCTI THOMÆ,

APOSTOLI:

Duplex-majus.

Omnia de Communi Apost. exceptis quæ sequuntur.

In I. Vesperis, *post Hymnum.*

℣. Notam fac mihi viam in qua ámbulem; ℟. Quia ad te levávi ánimam meam. *Ps.* 142.

Ad Magníficat, *Ant.* 7 a. Dixit Jesus Thomæ : Ego sum via, et véritas, et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me. *Joan.* 14.

Collecta, ut infrà ad Laud.

Fit Commem. de Adventu.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Thomas, qui et Dídymus, unus fuit ex duódecim quos Christus è discípulis suis elégit et Apóstolos nominávit. Dóminum, audítà morte Lázari, in Judæam proficisci volentem cùm discípuli objecto lapidatiónis pe-

rículo deterrére conarentur, dixit Thomas : Eámus et nos, ut moriámur cum eo. Cùm autem Christus transitúrus ad Patrem dixisset discípulis, Vado paráre vobis locum; sciscitátus Thomas quò váderet et quam iníret viam, his ab eo verbis edoctus est : Ego sum via, et véritas et vita ; nemo venit ad Patrem, nisi per me.

LECTIO V.

Post octo à Resurrectióne dies vidit stantem Dóminum in médio discipulórum ; et qui priùs eum resurrexisse non credíderat, præsentem intúitus, exclamávit : Dóminus meus et Deus meus. Erat autem cum Petro et Nathanáele et fíliis Zebedæi, et duóbus áliis discípulis, quando manifestávit se íterùm Jesus ad mare Tiberíadis. Post acceptum Spíritum sanctum, Parthis et Medis Evangélium annuntiávit. Tum ad Indos se cóntulit : quibus in Christiána religióne erudítis, apostolátûs honórem martyrii corónâ cumulávit.

LECTIO VI.

Maximo in honóre apud fidéles fuit; cujus plúrima olim extitére monumenta. In Indiæ loco in quo corpus ejus primùm cónditum fuit, extructum est monastérium, et templum miræ magnitúdinis, in quo Deus multis miráculis Apóstoli sui glóriam declarávit. Edessæ in Mesopotámia quò ejus relíquiæ translátæ sunt, ædificáta est Basílica insignis, ejusque nómine dicáta; in qua propter loci sanctitátem collectæ sine intermissióne celebrabantur. Hujus spectandæ causâ Valens Imperátor Edessam profectus, cùm pulsos ex ea orthodoxós úndique in campum vicínum conflúere ægrè ferret, extréma quæque licèt minátus, frustrà prohibére tentávit, et parátos omnes invénit ad mortem pro fide oppetendam.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 20.)

In illo témpore; Thomas unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 26, in Evang. n. 7.)

Quid, fratres caríssimi, quid inter hæc animadvértitis? Numquid casu gestum créditis, ut electus ille discípulus tunc deesset, post autem véniens audíret, áudiens dubitáret, dúbitans palpáret, palpans créderet? Non

hoc casu, sed divínâ dispensatióne gestum est. Egit namque miro modo superna cleméntia, ut discípulus ille dúbitans, dum in magistro suo vúlnera palpáret carnis, in nobis vúlnera sanáret infidelitátis. Plùs enim nobis Thomæ infidélitas ad fidem quàm fides credéntium discipulórum prófuit: quia dum ille ad fidem palpando redúcitur, nostra mens, omni dubitatióne postpósitâ, in fide solidátur.

LECTIO VIII.

(N. 8.)

Sic quippe discípulum Dóminus post resurrectiónem suam dubitáre permísit, nec tamen in dubitatióne desé-ruit; sicut ante nativitátem suam habére Maríam sponsum vóluit, qui tamen ad ejus núptias non pervénit. Nam ita factus est discípulus dúbitans et palpans, testis veræ resurrectiónis, sicut sponsus matris fúerat custos integérrimæ virginitátis. Palpávit autem, et exclamávit : Dóminus meus et Deus meus. Dicit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Cùm Paulus Apóstolus dicat : Est autem fides sperandárum substántia rerum, argumentum non apparéntium; profectò liquet quia fides illárum rerum argumentum est, quæ apparére non possunt. Quæ étenim appárent, jam fidem non habent, sed agnitiónem.

LECTIO IX.

(N. 8 et 9.)

Dum ergo vidit Thomas, dum palpávit, cur ei dícitur, Quia vidisti me, credidisti? Sed áliud vidit, áliud crédidit. A mortáli quippe hómine divínitas vidéri non pótuit. Hóminem ergo vidit, et Deum confessus est, dicens : Dóminus meus, et Deus meus. Videndo ergo crédidit, qui considerando verum hóminem, hunc Deum quem vidére non póterat, exclamávit. Lætíficat valde quod séquitur : Beáti qui non vidérunt, et credidérunt. In qua nimírum senténtia nos speciáliter signáti sumus, qui eum quem carne non vídimus, mente retinémus. Nos signáti sumus, sed si fidem nostram opéribus séquimur. Ille étenim verè credit, qui exercet operando quod credit.

Ad Laudes, *post Hymnum*, ℣. Errávi sicut ovis quæ périit; ℟. Quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus. *Ps.* 118.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incrédulus, sed fidélis. *Joan.* 20.

COLLECTA. Orémus.

DA nobis, quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ solemnitátibus gloriári; ut ejus semper et patrocíniis sublevémur, et fidem cóngruâ devotióne sectémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Fit Commemoratio de Adventu.

AD II. VESPERAS, *post Hymnum.*

℣. Deus meus es tu, et confitébor tibi; ℟. Deus meus es tu, et exaltábo te. *Ps.* 117.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beáti qui non vidérunt, et credidérunt. *Joan.* 20.

Pro Commem. de Adventu, Ant. O. ℣. *et Collecta Dominicæ præcedentis.*

DIE XXVI DECEMBRIS

IN FESTO

SANCTI STEPHANI,

PROTOMARTYRIS.

SOLEMNE-MINUS.

(In Cathedrali, SOLEMNE-MAJUS.)

IN II. VESPERIS *Natalis Domini, fit Commem. S. Stephani.*

Ant. Mitto ad vos Prophétas, et sapientes : et ex illis occidétis et flagellábitis in synagógis vestris, et persequémini; ut véniat super vos omnis sanguis justus qui effúsus est super terram. *Matth.* 23.

℣. Misit Deus ante eos virum; ℟. Elóquium Dómini inflammávit eum. *Ps.* 104.

Collecta, Da nobis, *ut infrà ad Laudes.*

Deinde fit Commem. Omnium SS. Martyrum, per Ant. Cùm vos. ℣. Viríliter, *ut in Communi, p* XVI.

Collecta, Omnípotens, *ut infrà ad Laudes.*

COMPLETORIUM *de Natali Domini.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM quem vidit Stéphanus stantem à dextris Dei, * Veníte, adorémus. *Act.* 7.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

O QUI tuo, dux Mártyrum,
Præfers corónam nómine,
Non de cadúcis flóribus
Tibi corónam néctimus.

TUO cruenta sánguine
Quàm saxa fulgent púlcriùs!
Aptáta sacro vértici
Non sic micárent sídera.

QUOT facta fronti vúlnera,
Tot tela lucis émicant;
Et Angelo monstrat parem,
Quod prodit è vultu, jubar.

TU prima Christo víctimæ
Vitam rependis víctima,
Primusque testis æmulo
Deum fatéris fúnere.

TU primus ostensam tibi
Marís rubri sulcas viam;
Quot te sequentur Mártyrum,
Quibus præis, exércitus!

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula
Amen.

In Cathedrali et per Diœcesim, Psalmi de Dominica

IN I.° NOCTURNO

Ant. 1. D. Convocantes duódecim multitúdinem discipulórum, dixérunt : Non est æquum nos derelínquere verbum Dei, et ministráre mensis. *Act.* 6.

Ant. 2. D. Consideráte viros ex vobis boni testimónii septem, plenos Spíritu sancto et sapiéntiâ, quos constituámus super hoc opus. *Act.* 6.

Ant. 3. a. Plácuit sermo coram omni multitúdine, et elegérunt Stéphanum. *Act. c.* 6.

℣. Beátus quem elegisti et assumpsisti : ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

LECTIO I.

De Actibus Apostolórum.

(Cap. 6.)

In diébus illis, crescente número discipulórum, factum est murmur Græcórum adversùs Hebræos, eò quòd despicerentur in ministério quotidiáno víduæ eórum. Convocantes autem duódecim multitúdinem discipulórum, dixérunt : Non est æquum nos derelínquere verbum Dei, et ministráre mensis. Consideráte ergo, fratres, viros ex vobis boni testimónii septem, plenos Spíritu sancto et sapiéntiâ, quos constituámus super *hoc opus.* Nos verò oratióni *et* ministério verbi instantes érimus. Et plácuit sermo coram omni multitúdine. Et elegérunt Stéphanum virum plenum fide et Spíritu sancto, et Philíppum, et Próchorum, et Nicanórem, et Timónem, et Parménam, et Nicoláum advenam Antiochénum. Hos statuérunt ante conspectum Apostolórum; et orantes, imposuérunt eis manus. Tu autem.

℟. Stéphanum virum plenum fide et Spíritu sancto * Statuérunt ante conspectum Apostolórum ; et orantes, imposuérunt ei manus. ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens : Statues Levítas in conspectu Aaron et filiórum ejus, et consecrábis oblátos Dómino. Statuérunt ante conspectum Apostolórum; et orantes imposuérunt ei manus. *Act.* 6. *Num.* 8.

LECTIO II.

Stephanus autem plenus grátiâ et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de synagóga, quæ appellátur Libertinórum, et Cyrenénsium, et Alexandrinórum, et eórum qui erant à Cilícia et Asia, disputantes cum Stéphano : et non póterant resístere sapiéntiæ et Spirítui qui loquebátur. Tunc summisérunt viros, qui dícerent se audivisse eum dicentem ver-

ba blasphémiæ in Móysen et in Deum. Commovérunt ítaque plebem, et senióres, et scribas : et concurrentes rapuérunt eum, et adduxérunt in concílium, et statuérunt falsos testes, qui dícerent : Homo iste non cessat loqui verba adversùs locum sanctum et legem ; audívimus enim eum dicentem : Quóniam Jesus Nazarénus hic déstruet locum istum, et mutábit traditiónes quas trádidit nobis Móyses. Et intuentes eum omnes qui sedébant in concílio, vidérunt fáciem ejus tanquam fáciem Angeli.

℟. Levítes præpósitus erat iis quæ sponte offerebantur Dómino ; * Universæque multitúdini fidéliter cibi præbebantur. ℣. Quotquot possessóres agrórum erant, vendentes afferébant prétia : dividebátur autem síngulis prout cuíque opus erat; * Universæque. 2. *Paral.* 31. *Act.* 4.

LECTIO III.

(Cap. 7.)

Cum autem esset plenus Spíritu sancto, intendens in cœlum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem à dextris Dei, et ait : Ecce vídeo cœlos apertos, et Fílium hóminis stantem à dextris Dei. Exclamantes autem voce magnà, continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejicientes eum extra civitátem, lapidábant : et testes deposuérunt vestimenta sua secùs pedes adolescentis qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocantem, et dicentem : Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. Pósitis autem génibus, clamávit voce magnâ, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixisset, obdormívit in Dómino.

℟. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet, sicut scriptum est : * Dispersit, dedit paupéribus ; † Justítia ejus manet in séculum séculi. ℣. Eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum. * Dispersit. Glória. † Justítia. 2. *Cor.* 9. *Eccli.* 31.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. c. Stéphanus plenus grátiâ et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. *Act.* 6.

Ant. 5. a. Erat potens in verbis et in opéribus suis *Act.* 7.

Ant. 6. F. Sapiéntia firmábitur in illo, et non flectétur; et continébit illum, et exaltábit illum apud próximos suos. *Eccli.* 15.

℣. Confirmátum est cor ejus : ℟. Non commovébitur, donec despíciat inimícos suos. *Ps.* 111.

Bened. de Sanctis.

LECTIO IV.

Sermo sancti Fulgéntii Episcopi.

(Serm. 3. de S. Stephano.)

Heri celebrávimus temporálem sempiterni Regis nostri natálem : hódiè celebrámus triumphálem mílitis passiónem. Heri Rex noster trábeâ carnis indútus, de aula úteri virginális egrédiens, visitáre dignátus est mundum : hódiè miles de tabernáculo córporis éxiens triumphátor migrávit ad cœlum. Glória in excelsis Deo heri sancti Angeli exultantes cantavérunt : hódiè Stéphanum lætantes in suum consórtium suscepérunt. Heri Christus pro nobis pannis est involútus : hódiè Stéphanus stolâ est ab eo immortalitátis indútus. Heri præsépis angústia Christum portávit infantem : hódiè imménsitas cœli suscépit Stéphanum triumphantem.

℟. Potens in Scriptúris erat edoctus viam Dómini ; et * Fervens Spíritu loquebátur, et docébat diligenter ea quæ sunt Jesu. ℣. Sápiens tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ : * Fervens. *Act.* 18. *Eccli.* 39.

LECTIO V.

Necessarium nobis est, fratres caríssimi, agnóscere quibus armis præcinctus Stéphanus sævítiam Judæórum pótuit superáre, ut ita meruísset felíciter triumpháre. Invicta in eo exstítit insigne virtútis, quæ nec freméntium sævítiam formidávit, nec lapidántium íctibus devicta succúbuit. Usque ádeò enim inter freméntes permansit intérritus, et inter lápidum fuit cruciaménta secúrus, ut incredulitátem Judæórum fidenter argúeret, et benignus pro lapidántibus exoráret. Quod est ergo tam magnum atque insuperábile genus armórum ? Procul dúbio, munímine régio septus, nullátenus est ab adversáriis superátus ; quóniam Rex noster, cùm sit Altíssimus, pro nobis húmilis venit ; sed inánis veníre nòn pótuit. Magnum quippe donatívum suis mílitibus áttulit, quo eos non solùm copiósè ditávit, sed étiam ad certandum invictíssimè confortávit. Attulit namque donum caritátis, quo perdúceret hómines ad consórtium deitátis.

℟. Cœpit fiduciáliter ágere in synagóga ; * Vehementer enim Judæos revincébat públicè, ostendens per Scriptúras esse Christum Jesum. ℣. Surrexit quasi ignis, et verbum ipsíus quasi facula ardébat ; * Vehementer. *Act.* 18. *Eccli.* 48.

LECTIO VI.

Caritas ergo quæ de cœlo

d terras depósuit Chrisum, ipsa Stéphanum de tera elevávit ad cœlum. Cáriis quæ præcessit in Rege, psa subsequenter refulsit a mílite. Stéphanus ergo, t nóminis sui corónam meuisset accípere, caritátem ro armis habébat, et per psam ubíque vincébat. Per aritátem Dei, sæviéntibus udæis non cessit: per caritátem próximi, pro lapidántibus intercessit. Per caritáem arguébat errantes, ut orrigerentur: per caritáem pro lapidántibus orábat, ne punirentur. Caritáis virtúte subnixus vicit aulum crudéliter sævienem; et quem hábuit in erra persecutórem, in œlo méruit habére consorem.

℟. Surrexérunt quidam e synagóga disputantes um Stéphano; * Et non póerant resístere sapiéntiæ et piritui † Qui loquebátur. ℣. Obstructum est os loquéntium iníqua. * Et non póterant resístere sapiéntiæ t Spirítui. Glória Patri. Qui loquebátur. *Act.* 6. *Ps.* 62.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. *D.* Judæi repléti unt zelo, et contradicébant is quæ dicebantur, blasphemantes. *Act.* 13.

Ant. 8. G. Summisérunt iros qui dícerent se audísse Stéphanum dicentem verba blasphémiæ in Móysen et in Deum. *Act.* 6.

Ant. 7. c. Commovérunt plebem, et senióres, et scribas; et concurrentes rapuérunt Stéphanum. *Act.* 6.

℟. Lábia dolósa loquuntur adversùs justum iniquitátem, ℣. In supérbia et in abusióne. *Ps.* 30.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 23.)

In illo témpore; Dicébat Jesus Scribis et Pharisæis: Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapientes, et Scribas; et ex illis occidétis. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 4. Comment. in Matth.)

Hoc quod ánteà dixerámus, Impléte mensúram patrum vestrórum, ad persónam Dómini pertinére, eò quòd occidendus esset ab eis, potest et ad discípulos ejus referri, de quibus nunc dicit: Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapientes, et scribas; et ex illis occidétis, et crucifigétis, et flagellábitis in synagógis vestris, et persequémini de civitáte in civitátem, ut impleátis mensúram patrum vestrórum Simulque observa, juxta Apóstolum scribentem ad Corínthios, vária esse dona

discipulórum Christi : álios prophétas, qui ventúra prædícant : álios sapientes, qui nóverint quando débeant proferre sermónem : álios scribas in lege doctíssimos, ex quibus lapidátus est Stéphanus, Paulus occísus, crucifixus Petrus, flagelláti in Actibus Apostolórum discípuli.

℟. Adduxérunt Stéphanum in concílium, et statuérunt falsos testes qui dícerent : * Homo iste non cessat loqui verba advérsus locum sanctum et legem. ℣. Adductis viris fíliis diáboli, fecérunt eos sedére contra eum. At illi dixérunt contra eum testimónium coram multitúdine : * Homo iste. *Act.* 6. 3. *Reg.* 21.

LECTIO VIII.

Jerusalem, Jerúsalem, quæ occídis prophétas, et lápidas eos qui ad te missi sunt. Jerúsalem, non saxa et ædifícia civitátis, sed habitatóres vocat, quam plangit patris affectu sicut et in álio loco légimus, quòd videns eam fléverit. In eo autem quod dicit : Quóties vólui congregáre fílios tuos, omnes retrò prophétas à se missos esse testátur. Ecce relinquétur vobis domus vestra deserta. Hoc ipsum ex persóna Jeremíæ jam antè díxerat : Relíqui domum meam, dimísi hæreditátem meam, facta est mihi hæréditas mea quasi spelunca hyenæ. Desertam Judæórum domum, id est, Templum illud quod fulgébat augústius, óculis comprobámus; quia habitatórem Christum pérdidit; et hæreditátem prærípere géstiens, occídit hærédem.

℟. Intuentes Stéphanum omnes qui sedébant in concílio, * Vidérunt fáciem ejus tanquam fáciem Angeli. ℣. Símilem illum fecit Deus in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum. * Vidérunt. *Act.* 6. *Eccli.* 45.

LECTIO IX.

(N. 3.)

Dico enim vobis, Non me vidébitis ámodò, donec dicátis, Benedictus qui venit in nómine Dómini. Ad Jerúsalem lóquitur, et ad pópulum Judæórum, Versículum autem istum, quo et párvuli atque lactentes in ingressu Jerúsalem Dómini salvatóris usi sunt, quando dixérunt : Benedictus qui venit in nómine Dómini, hosanna in excelsis, sumpsit de centésimo décimoséptimo Psalmo, qui manifestè de adventu Dómini scriptus est. Et quod dicit, hoc vult intélligi : Nisi pœniténtiam egéritis, et confessi fuéritis ipsum me esse de quo Prophétæ cecinérunt, Fílium omnipotentis Patris, meam fáciem non

vidébitis. Habent Judæi datum sibi tempus pœniténtiæ; confiteantur benedictum qui venit in nómine Dómini, et Christi ora conspícient.

℟. Cùm esset Stéphanus plenus Spíritu sancto, intendens in cœlum, vidit glóriam Dei, et ait : * Ecce vídeo cœlos apertos, et Fílium hóminis stantem à dextris Dei. ℣. Ecce in cœlo testis meus, et cónscius meus in excelsis. * Ecce. Glória. *Repetit.* ℟. *usque ad* ℣. *Act.* 7. *Job* 16.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Ad te levávi óculos meos, ℟. Qui hábitas in cœlis. *Ps.* 122.

AD LAUDES.

In Cathedrali, et per Diœcesim, Psalmi de Dominica.

Ant. 8. *G.* Ego replétus sum fortitúdine Spíritûs Dómini, judício et virtúte; ut annúntiem Israel peccátum suum. *Mich.* 3.

Ant. 3. à. Suscitátur falsíloquus adversùs fáciem meam, contradícens mihi : collégit furórem suum in me. *Job.* 16.

Ant. 7. ç. Cómminans mihi, infrémuit contra me déntibus suis : terribílibus óculis me intúitus est. *Job.* 16.

CANTICUM.

(Isaiæ, 33.)

Quia ámbulat in justítiis, * et lóquitur veritátem :

Qui obtúrat aures suas ne áudiat sánguinem, * et claudit óculos suos ne vídeat malum :

Iste in excelsis habitábit; * munimenta saxórum sublímitas ejus;

Panis ei datus est, * aquæ ejus fidéles sunt;

Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus, * cernent terram de longè.

Ant. 1. a. Aperti sunt cœli, et vidi visiónes Dei; et ecce ignis et splendor in circúitu ejus. *Ezech.* 1.

Ant. 2. D. Dicunt : Lapidétur, et aspíciat óculus noster; ipsi autem non cognovérunt cogitatiónes Dómini. *Mich.* 4.

Capitulum. (*Jerem.* 26.)

Dominus misit me, ut prophetárem ad domum istam et ad civitátem hanc ómnia verba quæ audistis. Nunc ergo bonas fácite vias vestras et stúdia vestra, et audíte vocem Dómini Dei vestri.

HYMNUS.

Quid, obstináta péctora,
Verbo Dei resístitis?
Qui vos Deo plenus docet :
Hunc destinátis fúneri!

Omnes in unum sæviunt,
Saxis gravant truces manus :
Hunc párticeps Saulus necis
Per ómnium dextras petit.

Quid hoc ? repentè pánditur
Stelláta cœli régia :
Ad déxteram Patris videt
Sublímè stantem Fílium.

Non déseris, dux, mílitem
Quem, Christe, spectans róboras ;
Stas árbiter certáminis,
Futúrus ipse præmium.

Deo mori sub júdice
Pugnantis est victória :
Dum grando saxórum pluit,
Nil sentit affixus polo.

Mens nempe largo vívidæ
Torrente lucis ébria,
Nil córporis memor sui,
Jam se beátis ínserit.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. In die malórum protexit me Dóminus. ℟. In petra exaltávit me. *Ps.* 26.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. G. *Duplicanda.* Exclamantes voce magnà, continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in Stéphanum; et ejicientes eum extra civitátem, lapidábant invocantem et dicentem : Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. *Act.* 7.

COLLECTA. Orémus.

Da nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere; quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

Fit Commem. Nat. Dom.

Ant. Egressus est Salvátor meus; et nunc qui redempti sunt à Dómino, reverteutur, et vénient in Sion laudantes. Allelúia. *Is.* 51.

℣. Ipse tanquam sponsus ℟. Procédens de thálamo suo. *Ps.* 18.

COLLECTA. Orémus.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetusta sérvitus tenet; Per eumdem.

Deinde commemoratio omnium sanctorum Martyrum, Ant. Beáti. ℣. Multæ, XIX.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui sanctórum tuórum córdibus flammam tuæ dilectiónis accendis; da nobis eamdem fídei caritatisque virtútem, ut quorum gaudémus victóriis, proficiámus exemplis; Per.

Ad Horas, *in Cathedr. et per Diœces. Psalmi de Dom.*

AD PRIMAM.

Ant. 8. *G.* Ego.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es *de María Vírgine. *Matth.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 3. à. Suscitátur.

Capitulum. (*Ezech.* 3.)

Dixit ad me Dóminus : Do-

mus Israel nolunt audíre te, quia nolunt audíre me; omnis quippe domus Israel attrítâ fronte est, et duro corde. Ecce dedi fáciem tuam valentiórem faciébus eórum.

℟. *br*. Príncipes * persecúti sunt me gratìs. * Allelúia, allelúia. Príncipes. ℣. Et à verbis tuis * formidávit cor meum. * Allelúia. Glória. Príncipes.

℣. Sedérunt príncipes, et adversùm me loquebantur; ℟. Servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis. *Ps*. 118.

AD SEXTAM.

Ant. 7. ç. Cómminans mihi.

Capitulum. (*Ezech*. 3.)

Fili hóminis, ut adamantem, et ut sílicem dedi fáciem tuam: ne tímeas eos, neque métuas à fácie eórum.

℟. *br*. Dóminus mihi adjútor, * non tímébo quid fáciat mihi homo. * Allelúia, allelúia. Dóminus. ℣. Dóminus mihi adjútor, * et ego despíciam inimícos meos. * Allelúia. Glória. Dóminus. 117.

℣. Dóminus à dextris est mihi, ne commóvear; ℟. Propter hoc lætátum est cor meum. *Ps*. 15.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Dicunt.

Capitulum. (*Is*. 50.

Juxta est qui justíficat me: quis contradícet mihi? Stemus simul: quis est adversárius meus? accédat ad me. Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus: quis est qui condemnet me?

℟. *br*. Ecce * Deus ádjuvat me. * Allelúia, allel. Ecce. ℣. Et Dóminus * susceptor est ánimæ meæ. * Allelúia. Glória. Ecce. *Ps*. 53.

℣. Dóminus illuminátio mea et salus mea; ℟. Quem timébo? *Ps*. 26.

AD II. VESPERAS.

Antiph. et Psalmi ut in II Vesperis de Natali Domini, suprà, 254.

Capitulum. (*Job*. 16.)

Passus sum absque iniquitáte manûs meæ, cùm habérem mundas ad Deum preces

HYMNUS.

Miris probat sese modis
Suos in hostes cáritas:
Et blándiens et íncrepans,
Amíca semper cáritas.

Qui stans perorábat sibi,
Cadens et expírans humi,
Linguâ diserti sánguinis,
Suis perórat hóstibus.

Audivit è cœlo Deus
Supréma verba Mártyris;
Dux Saulus, et testis necis,
Necis fit ipse præmium.

Fractis jacens cervíci bus,
Et sic períre lætior:

O Christe, dixit, súscipe
Quem pono pro te, spíritum.
Tum blanda mors amábili
Sopóre clausit lúmina;
Ad lucis æternæ jubar,
Exútus artus, évolat.
Servire mensis páuperum
Id múneris quondam tui;
Convíva nunc dignus Deo,
Mensis supernis ássides.
Tu nuptiáli spléndidus
Tui cruóris púrpurâ,
Ad immoláti tránsvolas
Admissus Agni núptias.
Quid non, Deus, si réspicis,
Humána possunt péctora?
Cujus triumphum pángimus,
Fac nos et exemplum sequi.
Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Posuérunt adversùm me mala pro bonis, ℟. Et ódium pro dilectióne mea. *Ps.* 108.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. *Duplicanda.* Pósitis génibus, clamávit voce magnâ: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixisset, obdormívit in Dómino. *Act.* 7.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Deinde fit Commem. de S. Joanne. Ant. Honorábilis factus es in óculis meis, et gloriósus: ego diléxi te, noli timére. *Is.* 43.

℣. Ecce tu, Dómine, veritátem dilexísti: ℟. Incerta et occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi. *Ps.* 50.

Collecta, ut infrà ad Laudes, 474.

De Natali Domini.

Ant. Fílius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum, et simus in vero Fílio ejus: hic est verus Deus, et vita ætérna. Allelúia. 1. *Joan.* 5.

℣. Hic est Deus, Deus noster in ætérnum: ℟. Ipse reget nos in sécula. *Ps.* 47.

Collecta, Concéde, *supr.* 464.

Ultimo omnium SS. Mart. Ant. Datæ. ℣. In ætérnum, XXI. *Collecta,* Omnípotens, *ut suprà* 464.

AD COMPLETORIUM.

[*In Cathedr. et per Diœcesi Psal. et Capitul. de Dominica; cetera ut in die Natalis Domini*, 255.]

Ant. 6. c. Poténtiâ nemo vicit illum, nec superávit illum verbum áliquod. *Eccli* 48.

Hymnus, Mundi salus, *ut in Ordinario*, 166.

Ad Nunc dimittis, *Ant* 5. a. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est. *Eccli.* 48.

DIE XXVII DECEMBRIS.

S. JOANNIS, APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ.

Duplex-majus.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM in cujus sinu recúbuit Joannes, * Veníte, adorémus. *Joan.* 13.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

TU, quem præ réliquis
Christus amáverat,
O dulces hóminis delíciæ Dei,
Curárum sócius, fúneris et comes,
Et testis quoque glóriæ.

FORTUNATE nimis, cui lícitum fuit
Attrectáre manu Verbum hóminem Deum,
Hunc audíre, óculis cérnere, mútuo
Quin et collóquio frui!

HÆC dos quanta fuit, cùm tibi crédidit
Sensus Christus amans péctoris íntimos,
Quando monte super totus homo Deus
Sese númine véstiit?

JESU, tu plácido dum récubas sinu,
Potas plena Deo vívida flúmina;
Illapsu tácito se própiùs tuis
Numen sénsibus ínserit.

Ex hoc fonte Deum pléniùs háuseras;
Corpus destítuit mens velut ébria:
Dic, cùm blanda quies lúmina cláuserit,
Quæ cœléstia víderis.

O SACROS áditus! ô bene mútui
Hàc ignóta tenus gáudia péctoris!
Quæ non tela jacit divus amor sacris
His fornácibus íncubans!

HINC tu semper amans, semper amábilis:
Hinc et frontis honos, virgíneus pudor;
Hinc cœleste jubar, quod súperos decet,
Toto vértice fúnditur.

HINC creber répetis, creber idem sonas;
Quidquid faris, amor, sic amor ímperat:
Vix sese cápiens æstuat, et suis
Pectus rúmpitur ígnibus.

SIT laus summa Patri, súmmaque Fílio;
Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus:
Hæc est certa fides, fóntibus è tuis
Quam divínitùs háusimus.
Amen.

Psalmi de Dominica.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. g. Vidit Jesus duos fratres, Jacóbum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eórum. *Matth.* 4.

Ant. 2. D. Vidit ipsos componentes rétia in navi : et vocávit illos. *Marc.* 1.

Ant. 8. c. Illi, statim relictis rétibus et patre, secúti sunt eum. *Matth.* 4.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ : ℟. Hæréditas mea præclára est mihi. *Ps.* 15.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

(Cap. 4.)

Carissimi, nolíte omni spirítui crédere, sed probáte spíritus si ex Deo sint : quóniam multi pseudoprophétæ exiérunt in mundum. In hoc cognóscitur spíritus Dei : omnis spíritus qui confitétur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est : et omnis spíritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichrístus, de quo audistis quóniam venit, et nunc jam in mundo est. Vos ex Deo estis, filíoli, et vicistis eum, quóniam major est qui in vobis est, quàm qui in mundo. Ipsi de mundo sunt; ídeo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos : qui non est ex Deo, non audit nos : in hoc cognóscimus spíritum veritátis et spíritum erróris.

℟. Stupor circumdéderat Petrum in captúra píscium, simíliter Jacóbum et Joannem : * Et relictis ómnibus secúti sunt Jesum. ℣. Ipsi vidérunt ópera Dómini, et mirabília ejus in profúndo, * Et. *Luc.* 5. *Ps.* 106.

LECTIO II.

Carissimi, diligámus nos ínvicem, quia cáritas ex Deo est. Et omnis qui díligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non díligit, non novit Deum : quóniam Deus cáritas est. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum Unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est cáritas : non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ille prior diléxit nos, et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. Caríssimi, si sic Deus diléxit nos : et nos debémus alterutrum dilígere.

℟. Vocávit Jesus ad se quos vóluit ipse; et fecit ut essent duódecim cum illo : et * Impósuit Jacóbo et Joanni nómina Boanerges, quod est, Fílii tonitrui. ℣. Dóminus Deus servos suos vocábit nómine álio : * Impósuit. *Marc.* 3. *Is.* 65.

LECTIO III.

Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, et cáritas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognóscimus quóniam in eo manémus et ipse in nobis : quóniam de Spíritu suo dedit nobis. Et nos vídimus, et testificámur

quóniam Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi. Quisquis conféssus fúerit quóniam Jesus est Fílius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognóvimus, et credídimus carítáti, quam habet Deus in nobis. Deus cáritas est; et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.

℟. Assumpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joannem, et ascendit in montem ut oráret : et * Facta est, dum oráret, spécies vultûs ejus áltera; et † Vidérunt majestátem ejus. ℣. Pósuit óculum suum super corda illórum, osténdere illis magnália. * Facta est, dum oráret. Glória Patri. † Vidérunt majestátem ejus. *Luc.* 9. *Eccli.* 17.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 3. a. Accédunt ad Jesum Jacóbus et Joannes, dicentes : Da nobis ut unus ad déxteram tuam, et álius ad sinistram tuam sedeámus in glória tua. *Marc.* 10.

Ant. 4. *D.* Respondens Jesus, dixit : Potestis bíbere cálicem quem ego bibitúrus sum? Dicunt ei : Póssumus. *Matth.* 20.

Ant. 5. a. Ait illis ; Cálicem quidem meum bibétis : sedére autem ad déxteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus parátum est. *Matth.* 20.

℣. Cálicem salutáris accípiam, ℟. Et nomen Dómini invocábo. *Ps.* 115.

Benedictiones de Sanctis

LECTIO IV.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

(Cap. 9.)

Joannes Apóstolus, quem Jesus amávit plúrimùm, fílius Zebedæi, frater Jacóbi Apóstoli, quem Heródes post passiónem Dómini decolláverat, novíssimus ómnium scripsit Evangélium, rogátus ab Asiæ Epíscopis, adversùs Cerinthum aliosque hæréticos, et máximè tunc Ebionitárum dogma consurgens, qui ásserunt Christum ante Maríam non fuisse. Unde et compulsus est divínam ejus nativitátem edícere.

℟. Amantíssimus Dómini habitábit confidenter in eo : * Quasi in thálamo totâ die morábitur, et inter húmeros illíus requiescet. ℣. Erat recumbens unus ex discípulis Jesu in sinu ejus, quem diligébat Jesus : * Quasi. *Deut.* 33. *Joan.* 13.

LECTIO V.

Quarto décimo ígitur anno, secundam post Nerónem persecutiónem movente Domitiáno, in Patmos ínsulam relegátus, scripsit Apocalýpsim, quam interpretátur Justínus martyr, et Irenæus.

40

Interfecto autem Domitiáno, et actis ejus ob nímiam crudelitátem à Senátu rescissis, sub Nerva príncipe rédiit Ephesum : ibique usque ad Trajánum príncipem persevérans, totas Asiæ fundávit rexitque Ecclésias ; et confectus sénio, sexagésimo octávo post passiónem Dómini anno mórtuus, juxta eamdem urbem sepultus est.

℟. Dixit Jesus : Unus ex vobis tradet me. Unus ex discípulis, quem diligébat Jesus, * Dicit ei : Dómine, quis est? Respondit Jesus : Ille est cui ego intinctum panem porréxero. ℣. Sapiéntia denudábit absconsa sua illi qui illam díligit. * Dicit ei. *Joan.* 13. *Eccli.* 4.

LECTIO VI.

Ex Commentáriis ejusdem in Epístolam ad Gálatas.

(Lib. 3, c. 6.)

Beatus Joannes Evangelista, cùm Ephesi moraréatur usque ad últimam senectútem, et vix inter discipulórum manus ad Ecclésiam deferrétur, nec posset in plura vocem verba contéxere, nihil áliud per síngulas solébat proferre collectas, nisi hoc : Filíoli, dilígite altérutrum. Tandem discípuli et fratres qui áderant, tædio affecti, quòd éadem semper audírent, dixérunt : Magister, quare semper hoc lóqueris? Qui respondit dignam Joanne senténtiam : Quia præceptum Dómini est ; et, si solum fiat, súfficit.

℟. Stabat juxta crucem Jesu mater ejus. * Cùm vidisset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ : Múlier, ecce fílius tuus ; deinde † Dicit discípulo : Ecce mater tua. ℣. Omni témpore díligit qui amícus est, et frater in angústiis comprobátur. * Cùm. Glória. † Dicit. *Joan.* 19. *Prov.* 17.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Stetit Jesus in líttore ; non tamen cognovérunt discípuli quia Jesus est. Dixit discípulus ille quem diligébat Jesus : Dóminus est. *Joan.* 21.

Ant. 6. F. Exiit sermo inter fratres, quia discípulus ille non móritur. *Joan.* 21.

Ant. 8. *G.* Non dixit Petro Jesus, Non móritur ; sed, sic eum volo manére donec véniam, quid ad te? *Joan.* 21.

℣. Tribuisti ei, Dómine, longitúdinem diérum : ℟. Magna est glória ejus in salutári tuo. *Ps.* 20.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 21.)

In illo témpore ; Dixit Jesus Petro : Séquere me. Conversus Petrus, vidit illum discípulum quem dili-

gébat Jesus, sequentem. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 124, in Joan. n. 5.)

Duas vitas sibi divínitùs prædicátas et commendátas novit Ecclésia, quarum est una in fide, áltera in spécie: una in témpore peregrinatiónis, áltera in æternitáte mansiónis: una in labóre, áltera in réquie: una in via, áltera in pátria: una in ópere actiónis, áltera in mercéde contemplatiónis. Una declínat à malo, et facit bonum; áltera nullum habet à quo declínet malum, et magnum habet quo fruátur bonum. Una cum hoste pugnat: áltera sine hoste regnat. Una fortis est in adversis: áltera nihil sentit adversi. Una carnáles libídines frænat: áltera spirituálibus delectatiónibus vacat.

℟. Loquéntibus Petro et Joanne ad pópulum, supervenérunt sacerdótes et magistrátus templi, dolentes quòd annuntiárent in Jesu resurrectiónem; et * Posuérunt eos in custódiam. ℣. Inclúsos custodiébant, per quos incipiébat incorruptum legis lumen século dari. * Posuérunt. *Act.* 4. *Sap.* 18.

LECTIO VIII.

(N. 5.)

Ergo una bona est, sed adhuc mísera: áltera mélior, et beáta. Ista significáta est per Apóstolum Petrum, illa per Joannem. Tota hic ágitur ista usque in hujus séculi finem, et illic invenit finem; differtur illa complenda post hujus séculi finem, sed in futúro século non habet finem. Ideò dícitur huic, séquere me: de illo autem, sic eum volo manére donec véniam. Quid enim est hoc, nisi, Tu me séquere per imitatiónem perferendi temporália mala, ille máneat donec sempiterna vénio redditúrus bona? Quod apértiùs ita dici potest: Perfecta me sequátur áctio, informáta meæ passiónis exemplo: inchoáta verò contemplátio máneat donec vénio, perficienda cùm vénero.

℟. Videntes Petri constántiam et Joannis, comperto quòd hómines essent sine lítteris et idiótæ, * Admirabantur, et nihil póterant contradícere. ℣. Dixit Dóminus: Ecce ego addam ut admiratiónem fáciam pópulo huic miráculo grandi; períbit enim sapiéntia à sapiéntibus ejus. * Admirabantur. *Act.* 4. *Is.* 29.

LECTIO IX.

(N. 7.)

Nemo tamen istos insignes Apóstolos séparet. Et in eo quod significábat Petrus, ambo erant; et in eo quod significábat Joannes, ambo futúri erant. Omnibus sanc-

tis, propter hujus vitæ procellosíssimæ gubernáculum, claves regni cœlórum Petrus accépit: eisdemque, propter vitæ illíus secretíssimæ quietíssimum sinum, super pectus Christi Joannes Evangelista discúbuit. Nec ille de Christi divinitáte sublímia, quæ in illo regno fácie ad fáciem contemplanda, nunc autem in spéculo atque in ænígmate contuenda sunt, de fonte Domínici péctoris solus bibit; sed Dóminus Evangélium ómnibus bibendum toto orbe diffúdit. Sunt qui sénserint à Christo Joannem plus amátum, quòd ab ineunte pueritia castíssimus víxerit. Id quoque multùm ádjuvat congruéntiam hujusce senténtiæ, quòd illa vita per eum significáta est, ubi non erunt núptiæ.

℟. Denuntiavérunt ne omnínò docérent in nómine Jesu; Petrus verò et Joannes dixérunt ad eos: * Non póssumus quæ vídimus et audívimus non loqui. ℣. Sacramentum regis abscóndere bonum est; ópera autem Dei reveláre et confitéri honoríficum est: *Non póssumus quæ vídimus. Glória Patri. * Non póssumus. *Act.* 4. *Tob.* 12.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, ℟. In ómnibus pópulis mirabilia ejus. *Ps.* 95.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 2. D. Ego Joannes párticeps in tribulatióne, et regno, et patiéntiâ in Christo Jesu, fui in ínsula Patmos propter verbum Dei et testimónium Jesu. *Apoc.* 1.

Ant. 5. a. Audívi vocem magnam tanquam tubæ dicentis: Quod vides, scribe in libro; et mitte septem Ecclésiis. *Apoc.* 1.

Ant. 7. a. Dixit mihi Angelus: Oportet te íterùm prophetáre géntibus, et pópulis, et linguis, et régibus multis. *Apoc.* 10.

CANTICUM.

(Is. 52.)

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem; * annuntiantis bonum:

Prædicantis salútem, dicentis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox speculatórum tuórum; * levavérunt vocem, simul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte, et laudáte simul, deserta Jerúsalem: * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum * in óculis ómnium géntium:

Et vidébunt omnes fines terræ * salutáre Dei nostri.

Ant. 1. a. Deus spiríituum Prophetárum misit Angelum suum, osténdere servis suis quæ oportet fíeri citò. *Apoc.* 22.

Ant. 6. F. Beátus qui custódit verba prophetíæ libri hujus; et ego Joannes audívi et vidi. *Apoc.* 22.

Capitulum. (*Apoc.* 14.)

Vidi álterum Angelum volantem per médium cœli, habentem Evangélium æternum, ut evangelizáret sedéntibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et pópulum, dicens magnâ voce: Timéte Dóminum, et date illi honórem.

HYMNUS.

Quem nox, quem ténebræ, dénsaque núbila
Circumfúsa tegunt lúmine spléndidum,
Imbelles óculos terríficis Deus;
Ne fulgóribus óbruat:
O dilecte Deo, quàm tibi cláriùs,
Dum tu vivis adhuc, se dedit áspici!
Tu secréta Dei, mentis et íntimæ
Rimáris penetrália:
Ceu pennis áquilæ, raptus in æthera
Cœlum mente petis; sídera tránsvolas;
Nil obstant rútili fúlgura lúminis,
Nudo Númine pásceris.
Æterno génitum de Patre Fílium,
Demptâ nube, vides, èque Deo Deum
Descendisse sacros de pátrio sinu
Castæ Vírginis in sinus.
In nos hoc pótuit tantus amor Dei!
Terris ipse sui núminis ímmemor,
Nobis factus homo, se facit éxulem,
Ut cœlo trahat éxules.
Per te sacra patent ábdita vátibus:
Quæ lux in ténebris fúlgeat, índicas:
A quo vita fluit, princípium petis,
Et primórdia lúminis.
Patri máxima laus; máxima Fílio,
Amborumque sacro máxima Flámini:
Hæc est certa fides, fóntibus è tuis
Quam divínitùs háusimus.
Amen.

℣. Introíbo in poténtias Dómini; ℟. Usque in altíssima quæ fecisti magnália. *Ps.* 70.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Quod audívimus, quod vídimus, quod manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ, annuntiámus vobis, ut et vos societátem habeátis nobiscum. 1. *Joan.* c. 1.

COLLECTA. Orémus.

Ecclesiam tuam, Dómine, benignus illustra; ut beáti Joannis Apóstoli tui et Evangelistæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempiterna; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

Commem. de Natali Domini, Ant. Egressus est, *ut suprà*, 464.

[*Deindè in Cathedr. de S. Stephano. Ant.* Exclamantes. ℣. In die. *Collecta,* Da nobis, 464.

Ad Horas, *Psal. de Dom.*

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Ego Joannes.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matt.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Audívi.

Capitulum. (*Apoc.* 1.)

Posuit déxteram suam super me, dicens: Noli timére, ego sum primus et novíssimus, et vivus, et fui mórtuus, et ecce sum vivens in sécula seculórum; et hábeo claves mortis et inferni. Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fíeri post hæc.

℟. *br.* Lingua mea * cálamus scribæ. * Allelúia, allelúia. Lingua. ℣. Velóciter * scribentis. * Allel. Glória. Lingua. *Ps.* 44.

℣. *Pronuntiábo* mirabília tua, ℟. Usque in senectam et sénium. *Ps.* 70.

AD SEXTAM.

Ant. 7. a. Dixit mihi Angelus.

Capitulum. (*Apoc.* 1.)

Cecidi ante pedes Angeli, ut adorárem eum. Et dicit mihi: Vide ne féceris; conservus tuus sum, et fratrum tuórum habéntium testimónium Jesu: Deum adóra.

℟. *br.* In conspectu Angelórum * adorábo. * Allelúia, allel. In conspectu. ℣. Et confitébor nómini tuo * super misericórdia tua. * Allel. Glória. In conspectu. *Ps.* 137.

℣. Non accédet ad te malum; ℟. Quóniam Angelis suis Deus mandávit de te. *Ps.* 90.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Beátus.

Capitulum. (*Apoc.* 1.)

Beatus qui legit et audit verba prophétiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt; tempus enim propè est.

℟. *br.* Mirabília * testimónia tua. * Allelúia, allelúia. Mirabília. ℣. Ideò scrutáta est ea * ánima mea. * Allelúia. Glória. Mirabília. *Ps.* 118.

℣. Servus tuus custódit ea, ℟. In custodiendis illis retribútio multa. *Ps.* 18.

AD II. VESPERAS.

Antiph. et Psalmi ut in II Vesp. Natal. Domini, 254.

Capitulum. (*Apoc.* 1.)

DEDIT Jesu Christo Deus palàm fácere servis suis quæ oportet fíeri citò : et significávit mittens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimónium perhíbuit Verbo Dei, et testimónium Jesu Christi. quæcumque vidit.

HYMNUS.

SIT qui ritè canat te modo vírginem,
Te scriptis célebrem dicat Apostolum,
Jungat véridicis te quoque Vátibus,
Christi te cano Mártyrem.

DIRI testis eras fúneris, et comes,
Votis cum Dómino fixus eras cruci;
Hoc tantùm lícuit tunc tibi mútuis
Respondére dolóribus.

PENDENS funéreà Christus ab árbore,
Te matri míseræ jam sine fílio,
Natum substítuit. Crédere Vírginem
Quàm par est tibi vírgini!

TALI depósito quid pretiósius?
Mater vera Dei jam tua dícitur,
Natus jure pari dícere; mórtui
Jactúram réparas Dei.

CHRISTUS vocis egens, te moriéntibus,
Quà fas est, óculis discípulum docet;
Ex illa cáthedra quam cruor ímbuit,
Terris prædicat ómnibus.

CHRISTI fide comes, pássibus æmulis,
Quò te duxit amor, te líceat sequi:
Ingens ille mihi sit favor, et pati
Cum Christo, simul et mori.

SIT laus summa Patri, summaque Fílio;
Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus:
Hæc est certa fides, fóntibus è tuis
Quam divínitùs háusimus.
Amen.

℣. Testimónia tua, Dómine, ℟. Credibília facta sunt nimis. *Ps.* 92.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. *D.* Quem diligébat Jesus, qui et recúbuit in cœna super pectus ejus; hic est discípulus ille qui testimónium pérhibet de his, et scripsit hæc : et scimus quia verum est testimónium ejus. *Joan.* 21.

Collecta, Ecclésiam tuam, Dómine, *ut suprà ad Laudes*, 474.

Fit Commem. de SS. Innocentibus.

Ant. 3. a. Contemplámini, et vocáte lamentatríces : assúmant super nos lamentum; quia mors ingressa est domos nostras, disper-

dere párvulos déforis. *Jerem.* 9.

℣. Captábunt in ánimam Justi; ℟. Et sánguiném innocentem condemnábunt. *Ps.* 93.

Collecta, Deus, cujus hodiernâ die, *ut infrà ad Laudes.*

Posteà de Natali Domini, Fílius, etc. *ut suprà*, 466.

[*Deindè in Cathedrali fit Commem. Octavæ S. Stephani, Ant.* Pósitis. ℣. Posuérunt, 466. *Collecta*, Da nobis, 464.

Ad Completorium, *Psalmi et Capitul. de Dom. Reliqua ut in die Natalis Domini, suprà*, 255, *et sic usque ad Circumcisionem.*

DIE XXVIII.

SS. INNOCENTIUM.

Duplex-majus.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Christum complexantem et benedicentem párvulos, * Veníte, adorémus. *Marc.* 10.

Ps. 94. Veníte, exultémus, 150.

HYMNUS.

Salvete, flores Mártyrum
In lucis ipso límine
Quos sævus ensis méssuit,
Ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi víctima,
Grex immolatórum tener,
Aram sub ipsam símplices
Palmâ et corónis lúditis.

Quid próficit tantùm nefas?
Quid crimen Heródem juvat?
Unus tot inter fúnera
Impúnè Christus tóllitur.

Inter coævi sánguinis
Fluenta solus íntegar
Ferrum quod orbábat nurus,
Partus fefellit Vírginis.

Sic dira regis ímpii
Edicta quondam fúgera,
Christi figúram præferens,
Moses receptor cívium.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula
Amen.

Psalmi de Feria.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Consurget rex ímpudens fácie, et interfíciet pópulum sanctórum. *Dan.* 8.

Ant. 2. D. Dirigétur dolus in manu ejus, occídet plúrimos, et contra príncipem príncipum consurget. *Dan.* 8.

Ant. 3. b. Non roborábitur homo ex impietáte; et radix justórum non commovébitur. *Prov.* 12.

℣. Peccátor stridébit super justum déntibus suis, ℟. Dóminus autem irridébit eum. *Ps.* 36.

LECTIO I.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

(Cap. 6.)

Vidi subtus altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei, et propter testimónium quod habébant, et clamábant voce magnâ, dicentes: Usquequò, Dómine, sanctus et verus, non júdicas, et non víndicas sánguinem nostrum de iis, qui hábitant in terra? Et datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ: et dictum est illis ut requiéscerent adhuc tempus módicum, donec compleantur conservi eòrum et fratres eórum, qui interficiendi sunt sicut et illi.

℟. Heródes, clàm vocátis Magis, * Diligenter dídicit ab eis tempus stellæ quæ appáruit eis. ℣. Multæ sunt insídiæ dolósi; bona enim in mala convertens insidiátur: * Diligenter. *Matth.* 2. *Eccli.* 11.

LECTIO II.

(Cap. 14.)

Et vidi: Et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quátuor míllia habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis. Et audívi vocem de cœlo, tanquam vocem aquárum multárum, et tanquam vocem tonítrui magni: et vocem quam audívi, sicut citharædórum citharizántium in cítharis suis.

℟. In lábiis suis indulcat inimícus, et * In corde suo insidiátur; et si invénerit tempus, non satiábitur sánguine. ℣. Dixit Heródes Magis: Ite et interrogáte diligenter de púero, et renuntiáte mihi; ut et ego véniens, adórem eum. * In. *Eccli.* 12. *Matth.* 2.

LECTIO III.

Et cantábant quasi cánticum novum ante sedem et ante quátuor animália, et senióres: et nemo póterat dícere cánticum, nisi illa centum quadraginta quátuor míllia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti: vírgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque íerit. Hi empti sunt ex homínibus primítiæ Deo et Agno, et in ore eórum non est inventum mendácium: sine mácula enim sunt ante thronum Dei.

℟. Reges terræ et * Príncipes convenérunt adversùs Dóminum, et adversùs Christùm ejus. † Qui hábitat in cœlis, irridébit eos. ℣. Cùm recessissent Magi, Angelus Dómini appáruit Joseph, dicens: Futúrum est ut Heródes quærat púerum ad perdendum eum: * Príncipes. Glória. † Qui hábitat. *Ps.* 2. *Matth.* 2.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 4. d. Heródes videns quóniam illúsus esset à Magis, irátus est valdè. *Matt.* 2.

Ant. 5. a. Sónitus terróris semper in áuribus ímpii; et cùm pax sit, insídias suspicátur. *Job* 15.

Ant. 7. d. Tetendit adversùs Deum manum suam, et contra Omnipotentem roborátus est. *Job* 15.

℣. Ecce partúriit injustítiam; ℟. Concépit dolórem, et péperit iniquitátem. *Ps.* 7.

LECTIO IV.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(In Epiph. 1, c. 2 et 3.)

Herodes áudiens Judæórum Príncipem natum, successórem suspicátus, expávit; et molítus necem salútis Auctóri, falsum spondet obséquium. Quàm felix foret, si Magórum imitarétur fidem, et convérteret ad religiónem quod disponébat ad fraudem! Reversis Magis in regiónem suam, translatóque Jesu in Ægyptum ex admonitióne divína, exardescit frustráta in meditatiónibus suis Heródis insánia. Necári omnes Béthleem párvulos jubet: et quóniam quem métuat, nescit infantem, generálem sævítiam in suspectam sibi tendit ætátem. Sed quos rex ímpius éximit mundo, Christus ínserit cœlo.

℟. Rex, efferátis ánimis, jussit milítibus interfícere, nec párcere. * Fiébant ergo natórum extermínia et parvulórum neces. ℣. Heródes occídit omnes púeros qui erant in Béthleem et in fínibus ejus, à bimátu et infra, secundùm tempus quod exquisíerat à Magis. * Fiébant. 2. *Mach.* 5. *Matth.* 2.

LECTIO V.

(In Epiph. 2, c. 3.)

Quæ ista, Judæi, tam imperíta in vobis sciéntia est? Interrogáti ubi Christus nascerétur, veráciter dícitis quod legistis, In Béthleem Judæ. Locum nativitátis de Scripturárum testimónio demonstrátis, præséntiam témporis de cœli et terræ attestatióne cognóscitis; et tamen ubi ad persequendum ánimus Heródis exarsit, ibi ad non credendum vester sensus obdúruit. Felícior ergo ignorántia infántium quos persecútor occídit, quàm vestra sciéntia quam in sua perturbatióne consúluit. Vos noluistis regnum ejus recípere, cujus óppidum potuistis osténdere. Illi potuérunt pro eo mori, quem nondum póterant confitéri. Itaque Christus, ne ullum ei tempus esset absque miráculo, ante usum linguæ potestátem Verbi tácitus exerébat; et quasi jam díceret, Sínite párvulos veníre ad me, tálium est enim

regnum cœlórum, novà glórià coronábat infantes, et de inítiis suis parvulórum primórdia consecrábat; ut discerétur néminem hóminum divíni incápacem esse sacramenti, quando étiam illa ætas glóriæ esset apta mártyrii.

℟. Adimplétum est quod dictum est per Jeremíam prophétam, dicentem: * Vox in Rama audíta est; plorátus et ululátus multus: Rachel plorans fílios suos, et nóluit consolári, quia non sunt. ℣. Invocábant Dóminum, ut vocem sánguinis ad se clamantis audíret, memorarétur quoque iniquíssimas mortes parvulórum innocentûm; * Vox. *Matth.* 2. 2. *Mach.* 8.

LECTIO VI.

(In Epiph. 7, c. 3 et 4.)

Amat Christus infántiam, quam primùm et ánimo suscépit, et córpore. Amat Christus infántiam, humilitátis magistram, innocéntiæ régulam, mansuetúdinis formam. Amat Christus infántiam, ad quam majórum dírigit mores, ad quam senum redúcit ætátes; et eos ad suum inclínat exemplum, quos ad regnum sublímat ætermum. Ad hanc vos, dilectíssimi, similitúdinem parvulórum mystérium hodiernæ festivitátis invítat; et hanc vobis humilitátis formam adorátus à Magis puer Salvátor insínuat; qui, ut imitatóribus suis quid glóriæ paráret, osténderet, ortûs sui témpore éditos martyrio consecrávit; ut in Béthleem, ubi Christus natus est, géniti, per communiónem ætátis consortes fíerent passiónis.

℟. Hæc dicit Dóminus: Quiescat vox tua à plorátu, et óculi tui à lácrymis: * Revertentur fílii ad términos suos. ℣. Agnus reget eos, et absterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum: * Revertentur fílii. Glória Patri. * Revertentur. *Jer.* 31. *Apoc.* 7.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Sínite párvulos veníre ad me; tálium est enim regnum cœlórum. *Matth.* 19.

Ant. 1. g. Hi empti sunt ex homínibus, primítiæ Deo et Agno; sine mácula sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14.

Ant. 8. G. Non inquinavérunt vestimenta sua: ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt. *Apoc.* 3.

℣. Novit Dóminus dies immaculatórum; ℟. Et hæréditas eórum in æternum erit. *Ps.* 36.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 2.)

In illo témpore; Heródes videns quóniam illúsus esset

à Magis, irátus est valdè : et mittens, occídit omnes púeros qui erant in Béthleem, et in ómnibus fínibus ejus, à bimátu et infra, secundùm tempus quod exquisíerat à Magis. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 9, in Matth.)

Herodem certè non oportúerat irasci, sed cómprimi pótiùs ac timére, atque intellígere quòd rem stultam conarétur. Sed coercéri nequit ánimus pravâ semel voluntáte vitiátus, jamque immedicabíliter ægrótans; neque cedit, magnis quámlibet à Deo remédiis indultis. Consídera ígitur istum prióribus malis áddere posterióra certantem, et homicídia homicídiis jungentem, perque ómnia furibundum in præcipítia labentem : quasi enim ab áliquo dæmonum, irâ, iracúndiâ invidiâque vexátus, nullâ prorsus ratióne frænátur, sed contra ipsam furit natúram : et iram quâ adversùs Magórum illusiónem fremébat, in párvulos innocentes vertit; tale quiddam in Palæstína fácere aggressus, quale Phárao in Ægypto perpetrárat.

℟. Jerúsalem, lætáberis in fíliis tuis, quóniam * Omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dóminum. ℣. Oves meæ non períbunt in ætérnum, et non rápiet eas quisquam de manu mea : * Omnes benedicentur. *Tob.* 13. *Joan.* 10.

LECTIO VIII.

Quo, Heródes sævíssime, colóre ratiónis irátus es, cùm te à Magis illúsum vidéres? Non cognóveras ortum illum esse divínum? Non tu príncipes convocáveras Sacerdótum? Non ipse congregáveras Scribas? Non étiam illi qui à te fúerant convocáti, Prophétam secum in judícium illíus consílii protulérunt, qui olim ista prædíxerat? Non intellexísti nova vetéribus consonáre? Non audísti quóniam Magos stella dedúxerit? Cur non erubuísti tam laudábile stúdium barbarórum? Cur non es revéritus veritátem? Cur non ex præcedéntibus étiam extréma pensitásti? Cur non ex his ómnibus collegísti nequáquam Magórum illusióni deputandum esse quod factum est, sed divínæ virtúti ómnia próvidè et utíliter ordinanti? Quòd si esses étiam Magórum fraude deceptus, quid hoc præjudicáret innocéntibus?

℟. Gaudébo in pópulo meo : et * Non audiétur in eo ultrà vox fletûs, et vox clamóris. ℣. Mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor. * Non audiétur in eo ultrà. *Is.* 65. *Apoc.* 21.

LECTIO IX.

Tunc adimplétum est quod dictum est per Jeremíam prophétam, dicentem : Vox in Rama audíta est; plorátus et ululátus multus : Rachel plorans fílios suos, et nóluit consolári, quia non sunt. Admirábilis consequéntia : quia enim auditórem magnitúdine horróris impléverat Evangelista, crudélem illam mactatiónem descríbens, rursus eum consolátur, et dicit quòd non idcircò illa facta sint, quia ea Deus prohibére nequíverit, aut futúra non víderit; sed quæ certè et præscíerit, et per Prophétam longè antè prædíxerit. Ne ígitur turbéris et cóncidas, ad ineffábilem providéntiam ejus prospíciens, quam, et per illa quæ operátur ipse, et per ista quæ ab áliis fíeri sinit, perspícuè póssumus intuéri.

℟. Convertam luctum eórum in gáudium; * Et † Consolábor eos, et lætificábo à dolóre suo. ℣. Ego dabo de fonte aquæ vitæ gratis : * Et consolábor. Glória Patri † Consolábor. *Jerem.* 31. *Apoc.* 21.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Laudáte, púeri, Dóminum : ℟. Laudáte nomen Dómini. *Ps.* 112.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. f. Consurge, Sion, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Dómini : leva ad eum manus tuas pro ánima parvulórum tuórum. *Thren.* 2.

Ant. 2. D. Cùm cogitárent justórum occídere infantes, uno liberáto, suscepta est à pópulo sánitas. *Sapient.* 18.

Ant. 3. a. Púeri tui tanquam agni exultavérunt, magnificantes te, Dómine, qui liberasti illos. *Sapient.* 19.

CANTICUM.

(Jerem. 31.)

Vox in excelso audíta est lamentatiónis, luctûs, et fletûs * Rachel plorantis fílios suos,

Et nolentis consolári super eis, * quia non sunt.

Hæc dicit Dóminus : * Quiescat vox tua à plorátu, et óculi tui à lácrymis :

Quia est merces óperi tuo, ait Dóminus : * et revertentur de terra inimíci.

Et est spes novíssimis tuis, ait Dóminus : * et revertentur fílii ad términos suos.

Ant. 4. f. Victrícem manum tuam laudavérunt páriter; quóniam Sapiéntia apéruit os mutórum, et linguas infántium fecit disertas. *Sap.* 10.

Ant. 5. a. Lætítia sempiterna super caput eórum : gáudium et lætítiam obtinébunt; et fúgiet dolor et gémitus. *Is.* 35.

Capitulum. (*Sap.* 4.)

GRATIA Dei et misericórdia est in sanctos ejus, et respectus in electos illíus; condemnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juventus celériùs consummáta longam vitam injusti.

HYMNUS.

MOLLES in agnos ceu lupus
Amens tyrannus írruit,
Et déstinat promíscuâ
In strage Christum pérdere.

CUNÆ redundant sánguine;
Sed in Deum frustra furit:
Unum petit tot mórtibus,
Mortes tot unus éffugit.

MATRES, querélis párcite;
Quid rapta fletis pígnora?
Agnum salútis óbsidem
Denso sequuntur ágmine.

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. EX ore infántium et lacténtium, Deus, perfecisti laudem, ℟. Propter inimícos tuos. *Ps.* 8.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. G. Sérviunt Deo die ac nocte in templo ejus: non esúrient, neque sítient ámpliùs. Agnus qui in médio throni est, dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. *Apoc.* 7.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, cujus hodiernâ die præcónium innocentes Mártyres, non loquendo, sed moriendo conféssi sunt: ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam quam lingua nostra lóquitur; étiam móribus vita fateátur; Qui vivis.

Fit Commem. de Natali Domini, Ant. Egressus est, *ut suprà*, 464.

[*Deindè in Cathedr. de S. Stephano. Ant.* Exclamantes, *ut supra*, 464.]

AD HORAS, *Psalmi de Feria.*

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Consurge, Sion.
In. ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matth.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Cùm cogitárent.

Capitulum. (*Dan.* 3.)

SICUT in holocausto aríetum et taurórum, et sicut in míllibus agnórum pínguium; sic fiat sacrifícium nostrum in conspectu tuo, Dómine.

℟. *br.* Propter te, Dómine, * mortificámur totâ die. * Allelúia, allelúia. Propter te. ℣. Æstimáti sumus * sicut oves occisiónis. * Allelúia. Glória Patri. Propter te.

℣. Salvasti nos, Dómine, de affligéntibus nos: ℟. Et odientes nos confudisti. *Ps.* 43.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Púeri tui.

Capitulum. (2. *Tim.* 1.)

DEUS nos liberávit, et vocávit vocatióne suâ sanctâ,

non secundùm ópera nostra, sed secundùm propósitum suum et grátiam.

℟. *br.* Anima nostra sicut passer erepta est * de láqueo venántium. * Allelúia, allelúia. Anima nostra sicut passer. ℣. Láqueus contrítus est, * et nos liberáti sumus.* Allelúia. Glória Patri. Anima.

℣. Benedictus Dóminus, ℟. Qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum. *Ps.* 123.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Lætítia.

Capitulum. (*Sap.* 5.)

In perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum : ídeò accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini.

℟. *br.* Eduxit pópulum suum * in exultatióne. Allelúia, allel. Eduxit. ℣. Et electos suos * in lætítia. * Allelúia. Glória Patri. Eduxit. *Ps.* 104.

℣. Exultent et lætentur super te, ℟. Omnes quærentes te, Dómine. *Ps.* 39.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ et Psalmi ut in II. Vesperis diei Natalis Domini, 254.

Capitulum. (*Apoc.* 14.)

Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti ; vírgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque íerit.

Hymnus, Salvéte, 476.

℣. Deus noster miserétur, ℟. Custódiens párvulos Dóminus. *Ps.* 114.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Sérvient Deo et Agno, et vidébunt fáciem ejus : et nomen ejus in fróntibus eórum. *Apoc.* 22.

Collecta, Deus, cujus hodiernâ, *ut suprà ad Laudes.*

Deinde (nisi sit Sabbatum) fit Commem. de Nat. Domini, *Ant.* Fílius Dei venit. ℣. Hic est Deus, 466. *Collecta*, Concéde, quæsumus, 464; *posteà in Cathedr. de S. Stephano, Ant.* Pósitis, *ut suprà*, 466.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capitulum de Feria. Reliqua ut suprà in Natali Domini, 255.

FESTA JANUARII.

DIE II.

IN CATHEDRALI,

OCTAVA S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS.

Duplex-minus.

Omnia ut in die Festi, dempto ritu Solemni, et exceptis quæ sequuntur.

In secundis Vesperis Circumcisionis, fit Commemoratio sancti Stephani.

Ant. Mitto ad vos Prophétas, et Sapientes : et ex illis occidétis et flagellábitis in synagógis vestris, et persequémini ; ut véniat super vos omnis sanguis justus qui effúsus est super terram. *Matth.* 23.

℣. Misit Dóminus ante eos virum ; ℟. Elóquium Dómini inflammávit eum. *Ps.* 104.

Collecta, Omnípotens, sempiterne Deus, qui primítias martyrum in beati levítæ Stepháni, *infrà ad Laudes.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Psalmi de Feria, et sic ad omnes Horas.

Tres Ant. ℣. *et* ℟℟℟. *è tertio Nocturno Festi.*

Lectio I de Scriptura, ut in Proprio de Tempore, 287.

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 315, in solemn. S. Steph. 2. n. 5.)

Spectastis magnum agónem sancti Stéphani, qui in agóne lapidabátur. Quis? Qui jam dudùm legem docébat. Quam legem docébat? Quam illi in tábulis lapídeis accepérunt. Méritò lapídei facti, amícum Christi lapidavérunt. Durâ cervíce, (posteàquàm dócuit, objurgáre cœpit,) et non circumcísi corde et áuribus. Quem prophetárum non occidérunt patres vestri? Sævíre vidétur ; lingua ferox, cor lene. Clamábat, et amábat. Sæviébat, et salvos fíeri volébat. Quis non créderet irátum, quis non créderet odiórum fácibus inflammátum, quandò dicébat, durâ cervíce, et non circumcísi corde et áuribus? Intereà de cœlo Dóminus adspexit, et vidit. Apertum est cœlum : vidit Jesum tanquàm exhortantem athlétam suum. Nec tácuit quod vidit : Ecce vídeo, inquit, cœlum apertum, et Fílium hóminis stantem ad déxteram majestátis.

LECTIO III.

Illi hoc audíto, quasi blasphémia esset, quod ille dixisset, aures obturavérunt. In Psalmo erat dictum, sicut áspidis surdæ, et obturantis aures. Prorsùs exhibuérunt, quod de illis prædictum erat. Cœpit lapidári. Modò atténdite illum sævientem, recólite verba dura : Durâ cervíce et non circumcísi corde et áuribus. Quasi inimícus erat : tamquàm, si fíeri posset, omnes occídere cupiébat. Hoc dicat, qui cor non videt. Latébat cor ejus : sed audíta sunt novíssima verba ejus, et patuérunt occulta ejus, cùm lapidarétur. Dómine Jesu, inquit, áccipe spíritum meum. Tibi vixi : tibi mórior. Dómine Jesu, áccipe spíritum meum. Quia adjuvisti, vicit quem súscipis. Accipe spíritum meum, de manu eórum qui odérunt tuum. Hoc dixit sanctus Stéphanus stans. Et post hoc fixit genu, et ait, Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Ubi est, Durà cervíce? Hoc est totum quòd clamábas? Hoc est totum quod sæviébas? foris clamábas, et intùs orábas.

Non repetitur ultimum ℟. *post* Glória Patri; *sed fit reclamatio ad Asteriscum.*

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani sánguine dedicasti; tríbue, quæsumus, ut pro nobis intercessor existat; qui pro suis étiam persecutóribus exorávit Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit et regnat.

Ad II. Vesperas, *Antiph. de Laudibus Festi.*

Fit à Capitulo de S. Basilio, ut in Communi Doctorum. Collecta, Excita.

Fit Commem. S. Stephani, Ant. Pósitis. ℣. Posuérunt, 466. *Collecta,* Omnípotens, *ut suprà.*

Deindè S. Genovefæ, Virginis, Ant. Complácuit Dómino. ℣. Audi fília, LVII. *Collecta,* Effunde super nos, Dómine, *ut infrà.*

Ad Completorium, *Ant. ut in die Festo.*

EODEM DIE PER DIŒCESIM.

S. BASILII MAGNI,

EPISCOPI, ET ECCLESIÆ DOCT.

Duplex-minus.

Omnia de Communi Doctorum.

In II. Vesp. *Circumcisionis, fit ejus Commem. Ant.* Beátus. ℣. Beátus homo, XXIX. *Coll.* Excita, XXXIII.

AD NOCTURNUM.

Lectio I, de Script. occurr. ut in Proprio de Tempore.

LECTIO II.

Basilius Cæsaréæ in Cappa-

dócia natus, propter doctrínæ et morum excelléntiam cógnomento Magnus, cùm Cæsaréæ et Bizántii lítteris óperam dedisset, Athénas venit; ubi cum Gregório Theólogo sanctæ amicítiæ fœdus íniit. Reversus in pátriam, cùm sanctæ Macrínæ vírginis sorôris suæ consílio mundo renuntiáre statuisset, in Ægyptum, Palæstínam, Cœlesyriam et Mesopotámiam iter fecit, solitários invisúrus. Deindè in erémum Ponti secessit : ubi cóndito monastério, et collocátis juxta Anachorétas Cœnobítis, monásticas régulas constítuit. Tum ab Eusébio Cæsaréæ in Cappadócia Epíscopo Présbyter, licèt invítus, consecrátur. Ob cujus pósteà malévolum in se ánimum íterùm in Ponti solitúdinem se recépit: unde Cæsaréam revocátus est aliquantò post, ut Eusébium in persecutióne Valentis Imperatóris Ariáni laborantem, in Ecclésiæ administratióne adjuváret. In summa annónæ caritáte páuperes Cæsaréæ in unum coactos sustentávit, suis étiam mánibus cibos ministrans, quos verbi divíni pábulo condiébat. Eusébio inter manus ejus defuncto, annitente Gregório Gregórii Nazianzéni patre, subrogátus est, et anno trecentésimo septuagésimo ante autumnum ordinátus.

LECTIO III.

Valente íterùm in Cathólicos sæviente, Modestum ejus præfectum extréma sibi minitantem tantâ libertáte repressit, ut pertérritus ille díxerit : Nemo me ad hanc usque diem ita allocútus est. Cui Basílius : Neque enim forsan in Epíscopum incidisti. Admirátus tantam ánimi fortitúdinem Modestus, Valentem adit : Imperátor, inquit, ab hujus Ecclésiæ Antístite victi sumus : minis supérior est, sermónibus fírmior, et verbórum blandítiis fórtior. Cùm ígitur Valens, instántibus Ariánis, Basílium relegáre statuisset, et jam exílii decréto esset subscriptúrus, manum ejus Deus mirabíliter inhíbuit. Modestum, ingravescente morbo, ut sibi ignósceret deprecantem, sanitáti restítuit. Ecclésiæ Orientális ab Ariánis vexátæ, et Antiochéno dissídio scissæ, calamitátibus permótus egit apud sanctum Athanásium, et álios Orientis Epíscopos, ut auxílium ipsi ab Occidentálibus Epíscopis postulárent. Mónachis leges sanctíssimas, totique Ecclésiæ probátas pósuit. Nihil propter labóres contínuos de vitæ austeritáte remísit. Stratus erat humi léctulus; assíduæ vigíliæ, panis et sal pro obsónio, et aqua pro potu. Ex qua vivendi ratióne gra-

ves morbos contraxit; quibus confectus, óbiit primâ die Januárii, has inter voces : In manus tuas, Dómine, commendo spíritum meum. Illi paulò post óbitum, consecrátum festum diem refert ejus frater sanctus Gregórius Nyssénus.

AD LAUDES, *fit Commem. de Virgine Deipara, ut infrà.*

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM, *in* ℣℟℣. *br. additur duplex* Allelúia : *et sic duobus sequentibus diebus.*

[*Deindè à die secunda, in Diœcesi, et à die tertia januarii usque ad Præsentationem Domini, exceptis Festis Annualibus et Solemnibus, et eorum octavis, et nisi fiat de Beata in Sabbato, fit Commem. de Virgine Deipara, per Ant.* ℣. *et Collectam, ut sequitur.*

AD LAUDES, *Ant.* Péperit María Fílium suum Primogénitum, et pannis eum involvit, et reclinávit eum in præsépio. *Luc.* 2.

℣. Homo natus est in ea, ℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus. *Ps.* 86.

Collecta infrà.

AD VESPERAS.

Ant. Beátus venter qui te portávit et úbera quæ suxisti. Quin imò, beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud. *Luc.* 11.

℣. Benedixisti, Dómine, terram tuam, ℟. Avertisti captivitátem Jacob. *Ps.* 84.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præstitisti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit, etc.]

AD VESPERAS, *fit Commem. S. Genovefæ, Virginis, Ant.* Complácuit. ℣. Audi, LVII. *Collect.* Effunde, *infrà*

Deindè de Virgine Deip.

DIE III.

[IN CATHEDRALI, FIT DE

SANCTO BASILIO.

Duplex-minus.

De Communi Doctorum.

Lectio I de Scriptura, ut in Prop. de Temp. 288.

Lectio II de S. Basilio, ut suprà duabus in unam junct.

Lectio III de S. Genovefa, ut infrà, duabus in unam junctis.

Collect. Excita, XXXIII.

Fit Commem. S. Genovefæ, Ant. Exultábit, LXII. ℣. Sitívit, LXI. *Collecta*, Effunde, *infrà.*

Deinde de Virgine Deipara, ut suprà.

AD VESPERAS, *fit Commem. sancti Simeonis Stylitæ, ut in Communi Monachorum. Ant.* Reliquisti. ℣. In umbra, XLIII. *Collecta*, Omnipotens, XLVII.

Deinde de Virg. Deipara.

DIE III.

PER DIŒCESIM,

SANCTÆ GENOVEFÆ,

VIRGINIS.

Semiduplex

Lectio I de Scriptura, 188.

LECTIO II.

GENOVEFA, in agro Parisiensi nata, inauditæ virtútis splendóre à teneris annis cláruit. Germánus Autissiodorensis iter faciens in Británniam, conjectis in eam óculis, Deo caram et vitæ sanctitáte illustrem fore prædixit. Itaque Ecclésiam frequenti pópulo ingressus, puellæ manus impósuit, et inter crebros Psalmórum concentus Vírginem Christo consecrávit. Miraculórum dono et multitúdine excelluit. Plúrima prophetico spíritu edixit, atque imprimis accedente Attilà Hunnórum rege, cives Parisienses adhortata est, ne relictis sédibus, fortúnas suas áliò transferrent, urbem pollícita, subversis áliis munitióribus perstitúram. Rei veritátem probávit eventus, idque Genovéfæ patrocínio datum.

LECTIO III.

GRASSANTE fame, urbem magnà frumenti cópià et páuperes innúmeros erogátis pánibus sustentávit. Neque tamen tot éditis mirákulis, effúgere pótuit quin malevolórum ódio et et contuméliis premerétur. Germánus, in Británniam íterùm profectúrus, eam ádiit, et divíno elóquio consolátus est; habitàque gravi ad pópulum oratióne, quanti esset apud Deum mériti expósuit, et locum in quo preces illa fundébat, lácrymis ejus madefactum ostendit. Abstinéntiæ et jejúniis vacábat impénsius. Audítà miraculórum ejus famà, Símeon ille Stylites, ejus se précibus vóluit commendátum. Ad annos octoginta et novem in Christi servitúte consénuit. Lutétiæ sepulta est in Basílica sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, quæ subindè Genovéfæ nomen accépit.

COLLECTA. Orémus.

EFFUNDE super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiònis tuæ, quo ancillam tuam Genovéfam implevisti; ut sédulà ejus imitatióne tibi sincérè obsequentes, fide tibi et ópere placeámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Commem. de Virg. Deipara, 487.

VESPERÆ *à Capitulo de sequenti, ut in Communi Monach.* XLII, *cum Commem. præcedentis et Virginis Deiparæ.*

DIE IV.

S SIMEONIS STYLITÆ,

Semiduplex.

Lectio I, de Scriptura, 288.

LECTIO II.

Simeon apud Cílices natus, óvium pastor adhuc puer, ac pósteà mónachus, morum candóre céteros longè superábat, et hebdómadam totam sæpè jejúnus explébat. Vitæ severióris desidério, in cisterna sicca delítuit; ex qua eductus, tres annos in céllula egit, oratiónibus ad Deum únicè intentus: eâque abstinéntiâ, ut quadraginta diébus sine cibo transactis, penè exanimátus repertus fúerit; quam jejúnii quadragenárii ratiónem per octo et viginti annos servávit. Tum septo quodam sibi in vértice montis extructo, ne ultrà prógredi posset, caténam férream ex una parte ad saxum affixam, ex áltera ad dextrum pedem alligátam excogitávit; quam tamen, monente Melétio Epíscopo, depósuit.

LECTIO III.

Cum verò multi ad eum ex remotíssimis orbis pártibus conflúerent, omnesque illum tángere, et benedictiónem ab eo accípere conténderent, secessit à turba, et in columna statiónem fixit. Ibi dies nóctibus contínuans, expansis ad cœlum mánibus, Deum orábat, somni parcus et cibi; nec cessábat inde, aut fidéles ad pietátem adhortári, dissidéntium lites compónere, et Ecclésiæ curáre negótia; aut infidéles, Judæos et hæréticos confutáre. Tandem miraculórum glóriâ et singulári vitæ sanctitáte illustris, anno quadringentésimo sexagésimo óbiit Calendis Januárii sub Leónis império; et Nonis ejusdem mensis, Antiochíæ in Ecclésia Cassiáni sepultus est. Tantam fuisse apud Romános ejus sanctitátis famam ex Theodoréto refert séptima Synodus, ut illíus imágines in officinárum vestíbulis in suî tutélam et præsídium collocarentur.

Collecta, Omnípotens, XLVII.

Commem. de Virgine Deipara.

¶ *Officia Vigiliæ, Festi, ac octavæ Epiphaniæ habentur in Proprio de Tempore,* 289 *et sequentibus.*

IN FESTO.

SS. NOMINIS JESU.

SOLEMNE-MINUS.

[*Si incidat Septuagesima in Dominicam II post Epiphaniam, Officium de SS. Nomine Jesu celebrabitur primâ die non impeditâ Festo duplici aut suprà, cum Commemorat. Festi hac die occurrentis, in utrisque Vesperis, Nocturno et Laudibus. Dicentur Psalmi Feriales ad omnes Horas.*

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Sabbato.

Ant. 1. D. Missus Angelus ad Vírginem, ait ei : Ecce concípies, et páries Fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

Ant. 4. E. Angelus Dómini appáruit Joseph, dicens : Páriet María Fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. *Matth.* 1.

Ant. 6. F. Postquàm consummáti sunt dies octo ut circumciderétur puer, vocátum est nomen ejus Jesus. *Luc.* 2.

Ant. 8. G. Non áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri. *Act.* 4.

Ant. 7. c. Omnis quicumque invocáverit nomen Dómini salvus erit. *Act.* 2.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

Impleמini Spíritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, cantantes et psallentes in córdibus vestris Dómino, grátias agentes semper pro ómnibus in nómine Dómini Jesu Christi.

℟. Párvulus natus est nobis, et fílius datus est nobis : * Et nomen ejus, Admirábilis, Consiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri séculi, Princeps pacis. ℣. Ipse salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. * Et nomen. Glória. *Repetitur* ℟. *usque ad* ℣. *Is.* 9. *Matth.* 1.

HYMNUS.

Jesu dulcis memória,
Dans vera cordi gáudia :
Sed super mel et ómnia,
Ejus dulcis præséntia.
Nil cánitur suávius,
Nil audítur jucúndius,
Nil cogitátur dúlcius,
Quàm Jesus Dei Fílius.
Jesu, spes pœniténtibus,
Quàm pius es peténtibus !



NATIVITÉ DE N-SEIGNEUR

Déposé.



Quàm bonus te quæréntibus!
Sed quid inveniéntibus?
NEC lingua valet dícere,
Nec líttera exprímere;
Expertus potest crédere
Quid sit Jesum dilígere.
SIS, Jesu, nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium:
Sit nostra in te glória,
Per cuncta semper sécula. Amen.

℣. Sit nomen Dómini benedictum: ℟. Ex hoc nunc et usque in séculum. *Ps.* 112.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. *duplicanda.* Omne quodcumque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agentes Deo et Patri per ipsum. *Coloss.* 3.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Fit Commem. Sabbati, ut in Proprio de Tempore, 335.

Deindè de Sanctis occurrentibus.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM in cujus nómine omne genu fléctitur; * Veníte, adorémus. *Philipp.* 2.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

JESU Rex admirábilis,
Et triumphátor nóbilis,
Dulcédo ineffábilis,
Totus desiderábilis.
TUA, Jesu, diléctio,
Grata mentis reféctio,
Replens sine fastídio,
Dans famem desidério.
QUI te gustant, esúriunt:
Qui bibunt, adhuc sítiunt:
Desideráre nésciunt
Nisi Jesum, quem díligunt.
JESUM omnes agnóscite,
Amórem ejus póscite;
Jesum ardenter quærite,
Quærendo inardéscite.
SIS, Jesu, nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium.
Sit nostra in te glória,
Per cuncta semper sécula. Amen.

Psalmi de Dominica ad omnes Horas.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Turris fortíssima nomen Dómini; ad ipsum currit justus, et exaltábitur. *Prov.* 18.

An. 2. D. Qui ambulávit in ténebris, speret in nómine Dómini, et innitátur super Deum suum. *Is.* 50.

Ant. 3. c. Filíoli, remittuntur vobis peccáta propter nomen ejus. 1. *Joan.* 2.

℣. Sperent in te qui novérunt nomen tuum; ℟. Quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine. *Ps.* 9.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Vir erat claudus ex útero matris suæ; * Intuens in eum Petrus cum Joanne, dixit: In nómine Jesu Christi surge et ámbula. Et exíliens stetit et ambulábat. ℣. Deus ipse véniet et salvábit:

tunc sáliet sicut cervus claudus. * Intuens. *Act.* 3. *Isai.* 35.

℟. II. Interrogábant eos Príncipes et Senióres : In quo nómine fecistis hoc vos? Tunc Petrus dixit : * In nómine Dómini nostri Jesu Christi, iste astat coram vobis sanus. ℣. Opera Dei reveláre et confitéri honoríficum est : * In nómine. *Act.* 4. *Tob.* 12.

℟. III. Cæsis denuntiavérunt ne omnínò loquerentur in nómine Jesu. Et illi ibant gaudentes, * Quóniam digni hábiti sunt pro Nómine Jesu contuméliam pati. ℣. Decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt páriter. * Quóniam digni hábiti sunt. Glória Patri. * Quóniam. *Act.* 5. *Sap.* 10.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. In doctrínis glorificáte Dóminum : in ínsulis maris nomen Dómini Dei Israel. *Is.* 24.

Ant. 7. a. Afferte Dómino glóriam et impérium : date glóriam nómini ejus. 1. *Paral.* 16.

Ant. 6. F. Laudábitis nomen Dómini Dei vestri, qui fecit mirabília vobiscum. *Joel* 2.

℣. Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus : ℟. Annuntiáte inter gentes ópera ejus. *Ps.* 104.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. 15. in Cantica).

Dat toto orbe clamat Ecclésia : Oleum effúsum nomen tuum. Est procul dúbio inter óleum et nomen sponsi similitúdo : nec otióse Spíritus sanctus alterutrum comparávit. Ego autem dico in tríplici quadam qualitáte ólei, quod lucet, pascit, et ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolórem : lux, cibus, medicína. Vide idem nunc et de Sponsi nómine. Lucet prædicátum, pascit recogitátum, invocátum lenit et ungit. Et percurrámus síngula. Unde putas in toto orbe tanta et tam súbita fídei lux, nisi de prædicáto Jesu? Nonne in hujus nóminis luce Deus nos vocávit in admirábile lumen suum, quibus illuminátis, et in lúmine isto vidéntibus lumen, dicat méritò Paulus : Fuistis aliquandò ténebræ, nunc autem lux in Dómino?

℟. Dómine, da servis tuis cum omni fidúcia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad sanitátes, et signa, et prodígia fíeri * Per nomen sancti Fílii tui Jesu. ℣. Tu es Deus qui fácis mirabília, notam fecisti in pópulis virtútem tuam. * Per nomen. *Act.* 4. *Ps.* 76.

LECTIO V.

Hoc nomen coram régibus, et géntibus, et filiis Israel portáre jussus est idem Apóstolus; et portábat nomen tanquam lumen, et illuminábat pátriam, et clamábat ubíque : Nox præcessit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis : sicut in die honestè ambulémus. Et monstrábat ómnibus lucernam super candelábrum, annúntians in omni loco Jesum, et hunc crucifixum. Quómodò lux ista insplénduit ac perstrinxit cunctórum intuéntium óculos, quando de ore Petri, tanquam fulgur, egrédiens, claudi uníus corporáles plantas solidávit et bases, multosque spirituáliter cæcos illuminávit? Numquid non ignem sparsit, cùm ait : In nómine Jesu Christi Nazaréni, surge et ámbula?

℟. Paulus interpónens nomen Dómini Jesu, suadébat Judæis et Græcis, testíficans esse Christum Jesum. * Et magnificabátur nomen Dómini Jesu. ℣. Nova lux oríri visa est, mira exultátio, in tantum ut plures Religióni jungerentur. * Et magnificabátur. *Act.* 18 *et* 19. *Esth.* 8.

LECTIO VI.

Nec tantùm lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non tóties confortáris, quóties recordáris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitátos réparat sensus, virtútes róborat, végetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiónes? Aridus est omnis ánimæ cibus, si non óleo isto infúnditur : insípidus est, si non sale isto condítur. Si scribas, non sapit mihi, nisi légero ibi Jesum. Si dísputes aut cónferas, non sapit mihi, nisi sonúerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde júbilus. Sed est et medicína. Tristátur áliquis vestrûm? Véniat in cor Jesus, et indè saliat in os; et ecce ad exortum Nóminis lumen, núbilum omne díffugit, redit serénum. Lábitur quis in crimen, currit ínsuper ad láqueum mortis desperando? Nonne si ínvocet nomen vitæ confestim respirábit ad vitam?

℟. Grátia, et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo, * Omnibus qui ínvocant Nomen Dómini nostri Jesu Christi, † In omni loco. ℣. Orietur vobis timéntibus nomen meum sol justítiæ, dicit Dóminus; * Omnibus. Glória. † In omni loco. 1. *Cor.* 1. *Malach.* 4.

IN III° NOCTURNO.

Ant. 4. A. Nomen tuum et memoriále tuum in desi-

dério ánimæ ; ánima mea desiderávit te. *Is.* 26.

Ant. 8. c. Oleum effúsum nomen tuum : Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decórus. *Cant.* 1.

Ant. 1. g. Benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum, et laudábile, et superexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi ; ℟. Psalmum dicat nómini tuo. *Ps.* 65.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 1.)

In illo témpore ; Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens : Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam ; quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. 1. de Epiph.)

Ad Maríam tanquàm pléniùs edoctam per Spíritum, Gábriel loquens índicat nomen solum : Et vocábis, inquit, nomen ejus Jesum. Ad Joseph véniens Angelus non solum nomen prótulit, sed et causam ejus interpretatus edócuit, dicens : Et vocábis nomen ejus Jesum ; *ipse* enim salvum fáciet *pópulum suum* à peccátis eórum. Sed et pastóribus quoque annuntiátur gáudium magnum, natum illis Salvatórem Christum Dómi num. Símile áliquid Paulus lóquitur : Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei. Benè dulce nomen nullus ex ipsis tácuit, quia hoc mihi máximè necessárium fuit. Alíoquin, quid ágerem áudiens Dóminum venientem? Nonne desperárem, áudiens quia venit ille, cujus legem sic prævaricátus sum, cujus patiéntiâ sic abúsus sum, cujus benefício tam ingrátus inventus sum?

℟. Animas páuperum salvas fáciet : ex iniquitáte rédimet ánimas eórum : * Sit nomen ejus benedictum in sécula. ℣. Omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen Jesu omnes qui credunt in eum. * Sit nomen ejus benedictum in sécula. *Ps.* 71. *Act.* 10.

LECTIO VIII.

Quæ verò major consolátio póterat esse quàm in dulci vocábulo, in nómine consolatório? Proptéreà et ipse dicit, quia non venit Fílius ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. Jam confidenter accédo, jam supplíco fiduciáliter. Quid enim tímeam, quando Salvátor venit in domum

meam? Ei soli peccávi : donátum erit quidquid indúlserit ille : útique enim licet ei quod vult fácere. Deus est qui justíficat, quis est qui condemnet? Aut quis accusábit adversùs electos Dei? Proptéreà gaudére nos oportet, quòd in nostra vénerit : nunc enim fácilis ad indulgéntiam erit.

℟. Dómine Deus, Rex seculórum : Quis non timébit te, et magnificábit nomen tuum? * Quia solus pius es : Quóniam judícia tua manifesta sunt. ℣. Omnes gentes vénient, et adorábunt coram te, Dómine, et glorificábunt nomen tuum. * Quia solus pius es : Quóniam. *Apoc.* 15. *Ps.* 85.

Lectio IX de Evangelio et Homilia Dominicæ, ut in Proprio de Tempore, vel si transferatur, de Festo occurrente.

℟. Omnes pópuli ambulábunt unusquisque in nómine Dei sui : * Nos autem ambulábimus in nómine Dómini Dei nostri, in æternum et ultrà. ℣. Serviérunt creatúræ pótiùs quàm Creatóri, qui est benedictus in sécula. * Nos autem ambulábimus. Glória Patri. *Repetitur* ℟. *usque ad* ℣. *Mich.* 4. *Rom.* 1.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus; ℟. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus. *Ps.* 95.

AD LAUDES.

Ant. 4. D. Benedictus es, Salvátor Israel; collaudent te omnes qui novérunt nomen tuum. 1. *Machab.* 4.

Ant. 2. D. Tu, Dómine, pater noster, redemptor noster, à século nomen tuum. *Is.* 63.

Ant. 3. a. Da glóriam nómini tuo, Dómine, et sciant quia tu es Dóminus Deus solus. *Dan.* 3.

Canticum. Benedictus es, Dómine, Deus Israel, *ut in Psalterio*, 94.

Ant. 8. G. Benedictum est nomen tuum, qui peccáta dimittis his qui ínvocant te. *Tob.* 3.

Ant. 6. F. Nomen tuum invocátum est super nos, ne derelinquas nos. *Jerem.* 14.

Capitulum. (*Baruch* 2.)

Sciat omnis terra quia tu es Dóminus Deus noster, et quia Nomen tuum invocátum est super Israel, et super genus ipsíus : réspice, Dómine, de domo sancta tua in nos.

HYMNUS.

Huc triumphantis próceres olympi,
Grande nobiscum celebráte Nomen,
Ætheri quod fert simul et redemptis
Gáudia terris.

Corpus ut sumit Deus immolandum,

Nomen et sumit Deus invocandum :
Ipse se totum dicat, atque cunctos
Vertit in usus.

Quisquis implórat, rata vota sentit :
Córporis cedunt animíque pestes;
Aut labor nullus, labor aut amíco
Nómine lætus.

Imperet : densos simul æther ignes
Evomit ; duro salit unda saxo;
Tránsvolant jussi, medióque sidunt
Æquore montes.

Ergo divínum sine fine Nomen
Pérsonet, quanto patet orbe tellus ;
Mille quod linguis célebrent, quod uno
Péctore gentes.

Dulce ne solo sit in ore Nomen,
Vita concordi mélior tenóre
Accinat : plaudant potióre casti
Cármine mores.

Qui tuum donas celebráre Nomen,
Exteris dum nos retinémur oris,
Christe, da cœlo tibi, da perennes
Dícere laudes.
Amen.

℣. Senes cum junióribus laudent nomen Dómini; ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. G. *duplicanda.* Humiliávit se Christus; propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen quod est super omne nomen. *Philipp.* 2.

COLLECTA. Oremus.

Deus, qui Unigénitum Fílium tuum constituisti humáni géneris Salvatórem, et Jesum vocári jussisti; concéde propítius, ut cujus sacratíssimum Nomen venerámur et invocámus in terris, ejus quoque aspectu perfruámur in cœlis; Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula sæculórum.

Fit Commem. Dominicæ II post Epiphan. ut in Proprio de Tempore.

AD PRIMAM.

Ant. 4. D. Benedictus es.

CANON.

Ex Concílio Lugdunensi secundo Œcuménico.

(An. 1274. Constit. 25.)

Quod generáliter scríbitur ut in Nómine Jesu omne genu flectátur singulis singuláriter in seipsis implentes, præcípuè dum aguntur Missárum sacra mystéria, gloriósum illud Nomen quandocumque recólitur, flectant génua cordis sui, quod vel cápitis inclinatióne testentur.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Tu, Dómine.

Capitulum. (2. *Tim.* 2.)

Cognovit Dóminus qui sunt ejus, et discédat ab iniquitáte, omnis qui nóminat nomen Dómini.

Post Septuagesim. omittitur Allelúia *in* ℟℟℟. *br. et reclamatio fit ad primum Asteriscum* *.

℟. *br.* Cognoscant * quia nomen tibi Dóminus; * Allelúia, allelúia. Cognoscant. ℣. Tu solus Altíssimus * in omni terra. * Allelúia, allel. Glória Patri. Cognoscant. *Ps.* 82.

℣. Confiteantur nómini tuo magno; ℟. Quóniam terríbile et sanctum est. *Ps.* 98.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Da glóriam.

Capitulum. (*Philipp.* 2.)

In Nómine Jesu omne genu flectátur cœléstium, terréstrium, et infernórum; et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

℟. *br.* Afferte Dómino * glóriam et honórem; * Allelúia, allelúia. Afferte. ℣. Afferte Dómino * glóriam nómini ejus: * Allelúia. Glória Patri. Afferte Dómino. *Ps* 95.

℣. Narráte ómnia mirabília ejus; ℟. Laudámini in nómine sancto ejus. *Ps.* 104.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Nomen tuum.

Capitulum. (*Isai* 57.)

Sanctum nomen ejus in excelso, et in sancto hábitans, et cum contríto, et húmili spíritu; ut vivíficet spíritum humílium, et vivíficet cor contritórum.

℟. *br.* Laudáte Dóminum * quia bonus Dóminus: * Allelúia, allelúia. Laudáte. ℣. Psállite nómini ejus * quóniam suáve. * Allelúia. Glória Patri. Laudáte Dóminum. *Ps.* 134.

℣. Propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos; ℟. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Domínica, excepto ultimo, cujus loco, dicitur Ps. 137. Confitébor tibi... quóniam, 102.

Ant. 3. a. Jesus sedet ad déxteram majestátis in excelsis, tantò mélior Angelis effectus quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit. *Hebr.* 1.

Ant. 7. d. Per ipsum offerámus hóstiam laudis, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. *Hebr.* 13.

Ant. 8. c. Hoc est mandátum Dei, ut credámus in nómine Fílii ejus Jesu Christi. 1. *Joan.* 3.

Ant. 4. E. Sciátis quóniam vitam habétis ætérnam, qui créditis in nómine Fílii Dei. 1. *Joan.* 5.

Ant. 5. C. Nemo potest dícere, Dóminus Jesus, nisi in Spíritu sancto. 1. *Cor.* 12.

Capitulum. (2. *Thess.* 1.)

DIGNETUR vos vocatióne suâ Deus noster, et ímpleat omnem voluntátem bonitátis, et opus fídei in virtúte, ut glorificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo secundùm grátiam Dei nostri, et Dómini Jesu Christi.

Allelúia, allelúia. ℣. Vocátur nomen ejus Verbum Dei, Rex regum, et Dóminus dominántium. Allelúia. *Apoc.* 19.

Hymnus, Jesu, dulcis, *ut in I Vesperis.*

℣. Benedictum nomen majestátis ejus in æternum; ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. *duplicanda.* In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, et benè habébunt. *Marc.* 16.

Collecta, Deus, qui Unigénitum Fílium tuum, *ut suprà ad Laudes.*

Fit Commem. Dominicæ, et Festi sequentis.

DIE XIV.

S. HILARII, EPISCOPI,

ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Duplex-minus.

Omnia de Communi Doctorum, additis quæ sequuntur.

IN II. VESPERIS *diei Octav. Epiphaniæ pro ejus Comm. Ant.* Beátus qui. ℣. Beátus homo, XXIX. *Collecta*, Prosit, *ut infrà.*

Deindè fit Commem. S. Felicis, Presbyteri et Confess.

Ant. Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram patre meo. *Matth.* 10.

℣. Dóminus mihi adjútor; ℟. Et ego despíciam inimícos meos. *Ps.* 117.

Collecta, Excita, *ut infrà.*

AD NOCTURNUM, *Lectio I de Scriptura occurrente; ex tribus una.*

LECTIO II.

HILARIUS Pictavórum Epíscopus, quo témpore Constántius Imperátor omni sævítiâ Cathólicos vexábat, tanquam firmíssimum murum Ariánis se fórtiter oppósuit, et à Saturníni Arelatensis, Ursácii et Valentis communióne se unà cum Gallicánis Epíscopis sejunxit. Ejusdem Saturníni factióne è Biterrensi synodo in Phrygiam relegátus est, ubi duódecim libros de Trinitáte scripsit. Quar-

to exílii anno, vocatus est ad synodum apud Seléuciam Isáuriæ urbem, interrogátusque de Gallórum fide, respondit non áliam esse ab ea quæ Nicææ à Pátribus conscripta fúerat, neque eos Sabéllio favére, utì calumniabantur Ariáni. Solúto Concílio, legatos ejus Constantinópolim secútus, poposcit Imperatóris audiéntiam, ut de fide coram adversáriis disceptáret. Sed Arianórum factiónibus effectum est, ut quasi discórdiæ seminárium, et perturbátor Orientis, redíre ad Gálliasjuberétur. Tunc Galliárum Ecclésia, ut ait sanctus Hierónymus, Hilárium de prælio revertentem complexa est. Pictávos reversus per Epístolas et frequentes Synodos in id totus incúbuit, ut detectâ Ariminensis Synodi fraude, ea quæ ibi gesta fúerant, ab ómnibus Epíscopis damnarentur, et sic Gálliæ ab erróris período servarentur. In Itáliam instaurandæ fídei stúdio profectus. Medioláni Auxéntium Ariánum Epíscopum in pública disputatióne coégit ut Christum verum Deum profiterétur. Demum innúmeris ad Cathólicam fidem tuendam labóribus perfunctus, multisque éditis miráculis conspícuus, óbiit Pictávis. Quos scripsit libros, inoffenso pede decurri posse testátur sanctus Hierónymus.

De S. Felice.

LECTIO III.

Felix, Présbyter Nolánus, à Máximo Epíscopo, qui declinandæ persecutiónis causâ, juxtà Dómini præceptum, secésserat, pascendi gregis curam ad tempus accépit. Quo múnere dum fúngitur, ab iis qui Pontíficem quærébant, conjícitur in cárcerem: sed ab Angelo eductus, Máximum in monte latitantem adit, exánimem penè et humi jacentem érigit, uvâ divínitùs répertâ refocillat, revectumque húmeris commendat ándi quæ sola ex Præsulis famulítio supérerat. Felix domum reversus, in ea látuit, donec pax Ecclésiæ redderétur. Exortâ rursus persecutióne, ab iis étiam qui eum quærébant ad necem, concionantemque audiébant et alloquebantur, agnosci non pótuit: atque inter dírutos paríetes per angustum ingressus est áditum, quem repentè ex rúdere corruens agger præclúsit; et aránea sic telis obtexit, ut némini recentis látebræ suspício relicta sit. In sicca deindè cisterna sex menses delitescentem Christus ministério cujusdam mulíeris mirabíliter pavit. Finítâ tandem persecutióne, oblátum sibi post Máximi mortem Episcopátum constanter recúsans, tribus terræ jugéribus, iisque con-

ductis, et hórtulo próprii juris contentus, labóre mánuum victum quærébat, parte frúctuum paupéribus erogâtâ. Tot virtútibus insígnis migrávit in cœlum: ejusque sepulcrum crebris nobilitátum est miráculis.

COLLECTA. Orémus.

Prosit nobis, Dómine, beáti Pontíficis Hilárii festiva solémnitas; ut sicut consubstantiális tibi Verbi fidem per universas Gállias servávit illæsam, íta nos, ejus intercessióne, in eádem fide stábiles, ipsi soli semper Verbo vivámus Fílio tuo Dómino nostro; Qui tecum.

Fit Commem. S. Felicis, Presbyteri.

Ant. Apprehende vitam æternam in qua vocátus es, confessus bonam confessiónem coram multis téstibus. 1. *Tim.* 6.

℣. Propter verba labiórum tuórum, Dómine. ℟. Ego custodívi vias duras. *Ps.* 16.

COLLECTA. Orémus.

Excita in Ecclésia tua, Dómine, christiánæ paupertátis spíritum, quem sanctus Présbyter Felix tui nóminis confessor religiósè cóluit; ut, ejus intercedéntibus méritis, promissa paupéribus spíritu præmia felíciter consequámur; Per Christum.

Ultimo de Virgine Deipara.

Ad Vesp. *fit Commem. S. Pauli, Eremitæ.*

Ant. Recéde, et abscóndere; de torrente bibes; corvisque præcépi, ut pascant te. 3. *Reg.* 17.

℣. Jacta super Dóminum curam tuam, ℟. Et ipse te enútriet. *Ps.* 54.

Collecta, Deus, cujus grátiâ, *ut infrà.*

Deindè S. Mauri, abbatis, Ant. Egrédere. ℣. Potens, XLIII. *Collecta*, Da nobis, XLVII.

Ultimo de B. M. V.

DIE XV.

SANCTI PAULI,

PRIMI EREMITÆ THEBAIDOS.

Semiduplex.

De Communi Monachorum.

LECTIO II.

Paulus Eremitárum auctor et magister, apud inferiórem Thebáidem natus, cùm quindecim esset annórum, paréntibus orbátus est. Declinandæ causâ persecutiónis Décii et Valeriáni, et Deo libériùs inserviendi, in eremi speluncam se cóntulit; ubi palmâ ei victum et vestítum præbente, vixit ad centésimum et décimum tértium annum: quo témpore ab António nonagenário, Dei admónitu invísitur. Quibus cùm própriis se nomínibus, licèt ànteà sibi ínvicem ignóti, salutassent, gratiasque Dómino in commúne retulissent, corvus

qui ab annis sexaginta Paulo dimidiátum panem quotídie afferébat, íntegrum détulit. Quare, cum gratiárum actióne ad fontem capientes cibum, ubi tantisper recreáti sunt, noctem in divínis láudibus consumpsérunt. Dilúculo Paulus, de morte quæ sibi instáret, ádmonens Antónium, hortátur ut pállium quod ab Athanásio accéperat, ad involvendum suum corpus afferret. Quo ex itínere rédiens ille, vidit inter Angelórum choros, inter Prophetárum et Apostolórum cœtus, Pauli ánimam in cœlum ascéndere. Cùmque ad ejus cellam pervenisset, invénit génibus complicátis, erectâ cervíce, extensisque in altum mánibus, corpus exánime; quod pállio obvolvens, hymnosque et psalmos ex christiána traditióne decantans, in fóveam, à duóbus leónibus qui eò occúrrerant effossam, sanctum corpus íntulit; et, injectâ humo, túmulum ex christiáno more compósuit: túnicam verò Pauli, quam in sportæ modum ex palmæ fóliis ille sibi contexúerat, secum áuferens, eo vestítu diébus solémnibus Paschæ et Pentecostes, quoad vixit, usus est.

De S. Mauro.

LECTIO IX.

Maurus Diáconus, qui à multis séculis is créditus est, quem jussu sancti patris Benedicti, super aquas cucurrisse, ut púerum Plácidum eríperet, narrat in Diálogis beátus Gregórius; cùm in Gálliam venisset, Glannofoliense, Monastérium in Andegavénsium solo ad Lígerim construxit. Ibi plúribus annis Abbátis múnere functus Mónachos sanctíssimè rexit. Tandem plenus diérum et méritis clarus, ábiit ad Dóminum octávo calendas Februárii.

Ad Laudes, *post Hymnum*, ℣. Abscondit me Dóminus in tabernáculo suo : ℟. In die malórum protexit me. *Ps.* 26.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. In loco horróris, et vastæ solitúdinis, dócuit eum Dóminus, et custodívit quasi pupillam óculi sui. *Deut.* 32.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus grátiâ beátus Paulus prudenti fugâ salúti suæ cónsulens, máluit facultátibus suis spoliári quàm Christo; quæsumus, ut purificátis ab omni terrenórum cupiditáte méntibus, te solo dívites esse velímus; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte.

Fit Commem. S. Mauri, Ant. Ecce ego. ℣. Veníte. *Collecta*, Da nobis, XLVII. *Ultimo de B. M. V.*

Vesperæ, *à Capitulo de sequenti ut in Communi Pontific. Collecta*, Da Ecclesiæ tuæ, *infra.*

Fit Commem. S. Pauli, Eremitæ,

Ant. Ego non sum turbátus te pastórem sequens, et diem hóminis non desiderávi, tu scis. *Jerem.* 17.

℣. Cogitávi dies antíquos;
℟. Et annos ætemos in mente hábui. *Ps.* 76.

Collecta, Deus, cujus grátiâ beátus Paulus prudenti fugâ, *ut suprà.*

Ultimò de B. Maria Virgine.

DIE XVI.

SANCTI HONORATI, ARELATENSIS EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

Honoratus in Gállia, Consulári famíliâ oriundus, patre, qui eum século destináverat, vix consentiente, adolescens baptizátus est. Vitæ perfectióris desidério statim accensus, cum fratre Venántio pátriam relíquit; et quæcumque habébat lárgitus in páuperes, assumpto in magistrum Caprásio consummátæ virtútis sene, peregrinári decrévit. Visitátis Massíliæ et per vicínas Tyrrhéni maris ínsulas váriis Sanctórum locis, in Græciam pervénit, undè mórtuo apud Methónam Venántio, redux in Gállias, sancti Leóntii Forojuliensis Epíscopi oblectátus viciniâ, et caritáte constrictus, in ínsula Lirinensi sedem fixit. Ibi, fugátis serpéntibus qui locum infestábant, promovente eódem Leóntio, Monastérium excipiendis Dei servis extruxit, quod, Sacerdótio initiátus, per annos circiter viginti quinque gubernans, quasi sanctórum officinam et seminárium effécit.

LECTIO III.

Mortuo Pátroclo Arelatensi Epíscopo, in ejus locum, invítus licet, suffectus Honorátus, hanc sedem vix biénnio toto ténuit, sed ómnium virtútum splendóre exornávit. Sedandis cívium discórdiis, et eliminandis è domo Dómini turpis avarítiæ mercimóniis, felíciter adlaborávit. Víribus quamvis exhaustus, nihil de consuéta vivendi ratióne remísit; undè hábito in Epipháníæ Festo ad pópulum sermóne, extrémo morbo correptus est, quo per dies novem producto, mente plácida, omnes ad se confluentes mónitis salutáribus confirmávit, atque orans spíritum Deo réddidit. Memória ejus solemni pompâ in Ecclésia monastérii Lirinensis cólitur, ad quam nedùm è Gállia, sed ex váriis Christiáni orbis pártibus confluentes

dudùm fidéles, sancti Pontíficis opem multóties sensérunt.

COLLECTA. Orémus.

Da Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita sancti Pontíficis Honoráti pietátem tuam pro ipsa semper exórent, et fructum in nobis labórum ejus custódiant; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Commem. de Virgine Deipara.

VESPERÆ *de sequenti, ut in Communi Abbatum. Collect.* Deus, cujus verbo foris sonante, et grátiâ intùs movente, *ut infrà.*

Fit Comm. S. Honorati, Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum fecit, XXVIII. *Collecta,* Da Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, *ut suprà.*

DIE XVII.

SANCTI ANTONII, ABBATIS.

Duplex-minus.

LECTIO II.

ANTONIUS, nóbilis Ægyptius, cùm circa annum ætátis vigésimum ingressus Ecclésiam, ex Evangélio audiisset : Si vis perfectus esse, vade, vende ómnia quæ habes, et da paupéribus; tanquam ea sibi dicta essent, amplíssima quæ habébat prædia partítus est inter vicános, totiusque vénditæ supelléctilis prétium paupéribus erogávit, ac primùm secessit haud procul à vico suo, ubi rebus ómnibus abdicátis, non déstitit ex labóris emolumento assuétis eleemósynis páuperes fovére, non áliud sibi servans ad victum quàm unde panem émeret, quo non ante solis occásum vescebátur, adhíbito tantùm sale ad condimentum, et aquâ ad sitim temperandam. Arctióris posthàc solitúdinis desidério, in monumento occlúsus remansit, familiári cuídam mandans ut panem sibi statútis diébus afferret. Anno ætátis trigésimo quinto erémum pétiit, unde post annos propè viginti, Spíritûs sanctì impulsu éxiit, ut Cœnobítas moderarétur. Sæviente deinde Maximíno, martyrii desidério flagrans, Mártyres usque ad Alexandríam, quò ducebantur, secútus est. Sed cùm votis non respondéret successus, finítâ persecutióne, in cœnóbium rédiit.

LECTIO III.

TANTAM suî veneratiónem sensim ubíque concitávit Antónius, ut ab ipsis gentílibus homo Dei nuncuparétur. Magnum Athanásium ab Ariánis penè oppressum crebrò invísit. Ejus grátiâ ad Constantínum non semel scripsit. Ab hæreticórum congressu semper abstínuit.

Ariános ejus auctoritáte se tuentes, público sermóne damnávit. Dæmones, quorum conflíctibus jam inde ab adolescéntia frequenter lacessítus fúerat, vicit semper ac fugávit, ac docens quibus armis illi superarentur : Mihi crédite, dicébat, fratres, pertimescit sátanas piórum vigílias, oratiónes, jejúnia, voluntáriam paupertátem, misericórdiam et humilitátem, máximè verò ardentem amórem in Christum, cujus único sanctíssimæ crucis signo debilitátus áufugit. Morti próximus, inter ália mónita hæc frátribus inculcávit : Custodienda est pia fides in Christum, et Patrum servanda tradítio. Paulum Anachoretárum primum, quem senex adíerat, sepelívit. Vixit annos quinque supra centum. Scripsit Ægyptíacè septem Epístolas, quæ in Græcam linguam translátæ sunt.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus verbo foris sonante, et grátià intùs movente, excitátus Antónius, ut perfectus esset, ómnia relíquit : da cunctis Evangélicæ perfectiónis stádium ingressis sic cúrrere, ut bravíum æternæ felicitátis accípiant; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Commem. de B. M. V.

Vesperæ *de Festo sequenti.*

DIE XVIII.

PONTIFICATUS, SEU CATHEDRÆ S. PETRI, QUA PRIMUM ANTIOCHIÆ SEDIT, TUM ROMÆ.

Duplex-minus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria, et sic in toto Officio.

Ant. 1. D. Salvábo gregem meum, et non erit ultrà in rapínam. *Ezech.* 34.

Ant. 2. D. Suscitábo super oves meas pastórem unum, qui pascat eas. *Ezech.* 34.

Ant. 3. a. Ipse pascet eas, et erit eis in pastórem; ego autem Dóminus ero eis in Deum. *Ezech.* 34.

Ant. 4. E. Erit quasi pater habitántibus Jerúsalem, et dómui Juda. *Is.* 22.

Ant. 5. a. Dabo clavem David super húmerum ejus; apériet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui apériat. *Is.* 22.

Capitulum. (1. *Cor.* 1.)

Quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia : et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus.

HYMNUS.

Inconcussa tuo, summe Deus, paras

Fundamenta óperi: non tamen éligis
Pollentes ópibus, non célebres vocas
Claris stemmátibus viros.
PETRO divítiæ cymba; labor mare:
Gentes innúmeras hic súbigit tamen;
Et qui navígium píscibus ántea,
Orbem Christíadis replet.
TU, nullíus opis scílicet índigus,
Unus cuncta potens vis simul et facis:
Uti debílibus te juvat; ínfimis
Gaudes árdua víncere.
SIT laus summa Patri, summaque Fílio:
Ambórum sit idem Spirítui decus,
Per quem, Christe, tuam vox hóminum crucem
Terris éxtulit ómnibus. Amen.

℣. Humília réspicit Dóminus in cœlo et in terra, ℟. Súscitans à terra inopem. *Ps.* 112.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Ecce ego mittam piscatóres multos, dicit Dóminus, et piscabuntur fílios Israel, et scient quia nomen mihi Dóminus. *Jerem.* 16.

Collecta ut infrà ad Laud.

Fit Commem. sancti Antonii, Ant. Atténdite. ℣. Justus, XLIX. *Collecta,* Deus, 504.

Ultimò, de Virgine Deipara.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

CAPUT córporis Ecclésiæ Dóminum, * Veníte, adorémus. *Ephes.* 5.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

SACRI senátûs, Petre, caput, gregis
Verende pastor; grande tuæ decus
Dum prædicámus dignitátis,
Fer súpero pia vota Regi.
CHRISTO vocanti promptus ades: ratem
Tu deserendo déseris ómnia:
Temet relinquis, pauperique
Non dúbitas comes ire pauper.
CŒLESTIS intùs te Pater áddocet:
Hinc voce certâ progénitum Deo
ParenteChristum confitéris,
Ingénito símilem Parenti.
NUNC ergo Petro nomen erit tibi:
Innixa petram quam super árdua
Fundátur ædes veritátis,
Tartáreas domitúra portas.
DUM; Christe, Patri nos quoque te parem
Cantámus, auge quam tríbuis fidem;
Infunde sacrum, quo vigémus,
Pectóribus, Deus alme, Flamen. Amen.

Psalmi de Feria, sub tribus Antiphonis sequentibus.

Ant. 8. *G.* Addúxit Andréas fratrem suum Simónem ad Jesum. Intúitus autem eum Jesus, dixit : Tu es Simon filius Jona ; tu vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus. *Joan.* 1.

Ant. 2. D. Stupor circumdéderat Petrum, et omnes qui cum illo erant in captúra píscium quam céperant. Et ait illi Jesus : Noli timére, ex hoc jam hómines eris cápiens. *Luc.* 5.

Ant. 1. *D.* Vocávit Jesus discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos et Apóstolos nominávit. Primus Simon qui dícitur Petrus. *Luc.* 6. *Matth.* 10.

℣. Dóminus élevat páuperem, ut sédeat cum princípibus, ℟. Et sólium glóriæ téneat. 1. *Reg.* 2.

Lectio I, de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

℟. Quem dicunt hómines esse Filium hóminis? dicit Jesus discípulis suis. Respondens Petrus, dixit : Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Ait Jesus : * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus. *Matth.* 16.

LECTIO II.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(Serm. 80. Cap. 3, 4 et 5.)

Cum duódecim Apóstoli, acceptâ per Spíritum sanctum ómnium locutióne linguárum, imbuendum Evangélio mundum, distribútis sibi terrárum pártibus, suscepíssent, beatíssimus Petrus princeps apostólici órdinis ad arcem Románi destinátur Impérii, ut lux veritátis quæ in ómnium géntium revelabátur salútem, efficáciùs se ab ipso cápite per totum mundi corpus effúnderet. Cujus autem natiónis hómines in hac tunc urbe non essent? aut quæ usquam gentes ignorárent, quod Roma didicisset? Hic conculcandæ philosóphiæ opiniónes, hic dissolvendæ erant terrénæ sapiéntiæ vanitátes, hic confutandus dæmonum cultus, hic ómnium sacrificiórum impíetas destruenda, ubi diligentíssimâ superstitióne habebátur collectum quidquid usquam fúerat vanis erróribus institútum.

℟. Tibi dabo claves regni cœlórum ; * Et quodcumque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis ; et quodcumque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis. ℣. Vocábo servum meum, et dabo clavem domûs David super húmerum

ejus; et erit in sólium glóriæ dómui patris ejus. * Et. *Matth.* 16. *Is.* 22.

LECTIO III.

Ad hanc ergo urbem tu, beatíssime Petre Apóstole, veníre non métuis; et consorte glóriæ tuæ Paulo Apóstolo aliárum adhuc Ecclesiárum ordinatiónibus occupáto, sylvam istam freméntium bestiárum, et turbulentíssimæ profunditátis oceánum, constántior quàm cùm supra mare graderéris, ingréderis. Jam pópulos qui ex circumcisióne credíderant, erudíeras: jam Antiochénam Ecclésiam, ubi primùm Christiáni nóminis dígnitas est orta fundáveras; jam Pontum, Galátiam, Cappadóciam, Asiam, atque Bithyniam légibus Evangélicæ prædicatiónis impléveras; nec aut dúbius de provectu óperis, aut de spátio tuæ ignárus ætátis, trophæum crucis Christi Románis árcibus inferébas, quò te divínis præordinatiónibus anteíbant, et honor potestátis, et glória passiónis.

℟. Dixit Dóminus Petro: Quis putas, est fidélis dispensátor et prudens, quem cónstítuit Dóminus suprà famíliam suam? * Verè dico vobis quóniam † Suprà ómnia quæ póssidet, constítuet illum. ℣. Multi hómines misericordes vocantur; virum autem fidélem quis invéniet? * Vere. Glória. † Suprà. *Luc.* 12. *Prov.* 20.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Pópulus Dómini, et oves páscuæ ejus, ℟. Introíte portas ejus in confessióne. *Ps.* 99.

AD LAUDES.

Ant. 1. g. Ait Dóminus: Simon, Simon, ecce sátanas expetívit vos ut cribráret sicut tríticum; ego autem rogávi pro te. *Luc.* 22.

Ant. 2. D. Ego rogávi pro te ut non defíciat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Luc.* 22.

Ant. 3. a. Dicit Jesus Simóni Petro: Simon Joannis díligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Dómine; tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. *Joan.* 21.

Ant. 4. E. Dicit ei íterùm: Simon Joannis, díligis me? Ait illi: Etiam, Dómine; tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. *Joan.* 21.

Ant. 6. *C.* Dicit ei tértiò: Simon Joannis, amas me? Contristátus est Petrus, et dixit: Dómine, tu ómnia nosti; tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. *Joan.* 21.

Capitulum. (1. *Petr.* 5.)

Seniores qui in vobis sunt óbsecro, consénior et testis Christi passiónum, qui et ejus, quæ in futúro reve-

landa est, glóriæ communicátor, páscite qui in vobis est gregem Dei.

HYMNUS.

Qualis potestas; Petre, quis terris honos,
Cui jura Christus ipse concessit sua!
Quidquid ligábis, quidquid et solves solo,
Hoc et ligábit, solvet et polo Deus.
Tui probáto cordis affectu, suum
Pastor suprémus crédidit tibi gregem:
Serva, tuére, pasce nos, pastor bone:
Illíus et nos, Petre, pars gregis sumus.
Patri suprémo sit supréma glória:
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Ætérne Fili, splendor æterni Patris:
Compar sit almo laus decusque Flámini. Amen.

℣. Pósui adjutórium in potente, ℟. Et exaltávi electum de plebe mea. *Ps.* 88.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Ecclésia ædificabátur, ámbulans in timóre Dómini, et consolatióne sancti Spíritûs replebátur: Petrus autem pertransíbat universos. *Act.* 9.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cœlestis, ánimas ligandi atque solvendi pontifícium tradidisti: concéde ut intercessiónis ejus auxílio, à peccatórum nostrórum néxibus liberémur; Qui vivis.

Fit Commem. de Virgine Deipara.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Ait Dóminus.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Ego.

Capitulum. (*Jerem.* 15.)

Convertam te, et ante fáciem meam stabis; et si separáveris pretiósum à vili, quasi os meum eris: convertentur ipsi ad te, et tu non convertéris ad eos: et bellábunt adversùm te, et non prævalébunt; quia ego tecum sum, ut salvem te et éruam te, dicit Dóminus.

℟. *br.* Dómine, * Lábia mea apéries. Dómine. ℣. Et os meum * annuntiábit laudem tuam. * Lábia. Glória Patri. Dómine. *Ps.* 50.

℣. Narrábo nomen tuum frátribus meis: ℟. In médio Ecclésiæ laudábo te. *Ps.* 21.

AD SEXTAM.

Ant. 3. à. Dicit Jesus.

Capitulum. (1. *Paral.* 11.)

Tu eras, qui educébas et introducébas Israel; tibi enim dixit Dóminus Deus tuus: tu pasces pópulum meum Israel, et tu eris princeps super eum.

℟. *br.* Accépit eum, *

Páscere Jacob servum suum. Accépit. ℣. Et Israel * hæreditátem suam, * Páscere. Glória. Accépit. *Ps.* 77.

℣. Qui regis Israel, inténde : ℟. Qui dedúcis velut ovem Joseph. *Ps.* 79.

AD NONAM.

Ant. 6. *C.* Dicit ei.

Capitulum. (*Ezech.* 34.)

Ipse erit eis in Pastórem, ego autem Dóminus ero eis in Deum, et servus meus princeps in médio eórum : ego Dóminus locútus sum.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia, cordis sui. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum suárum * deduxit eos, * In. Glória. Pavit. *Ps.* 77.

℣. Nos pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, ℟. Confitébimur tibi in séculum. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. g. Loquente Petro in domo Cornélii, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum. *Act.* 10.

Ant. 2. D. Obstupuérunt ex circumcisióne fidéles, quia et in natiónes grátia Spíritûs sancti effúsa est. *Act.* 10.

Ant. 3. *à.* Cùm ascendisset Petrus Jerosólymam, disceptábant adversùs illum : incípiens autem Petrus, exponébat illis órdinem. *Act.* 11.

Ant. 4. d. Si eamdem grátiam dedit illis Deus, sicut et nobis qui credídimus in Dóminum Jesum Christum; ego quis eram, qui possem prohibére Deum? *Act.* 11.

Ant. 5. a. Tacuérunt, et glorificavérunt Deum, dicentes : Ergo et Géntibus pœniténtiam dedit Deus ad vitam. *Act.* 11.

Capitulum. (*Act.* 15.)

Deus in nobis elégit per os meum audíre Gentes verbum Evangélii, et crédere : et qui novit corda Deus, testimónium perhíbuit, dans illis Spíritum sanctum, sicut et nobis.

HYMNUS.

Prome commissas tibi, Petre, claves;
Nam tibi tradit sua jura Christus :
Quæ polum claudunt, scélerum, precámur,
Víncula solve.

Prima te sedes Orientis oris
Extulit : cunas ibi Christiánum
Obtinet nomen; simul inde toto
Spárgitur orbe.

Roma mox sortis melióris hæres,
Extitit mundi fideique centrum,
Quam tuo, Pastor pariterque Martyr,
Sánguine claras.

Qui fidem Petro stábilem rogasti,

Ne sinas, Jesu, titubáre nostram :
Vita fac concors fídei sit omen
Dulce salútis.
Lætus ætérnum célebret Parentem
Orbis; ætérnum célebret Paréntis.
Fílium : par sit tibi laus per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

℣. Exaltent eum in ecclésia plebis, ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eum. *Ps.* 106.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Simon narrávit quemádmodùm primùm Deus visitávit súmere ex Géntibus pópulum nómini suo; et huic concordant verba Prophetárum. Notum à século est Dómino opus suum. *Act.* 15.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

Fit Commem. S. Sulpitii, Ant. Elégit. ℣. Beátus, XXII. *Collecta,* Da nobis, *infrà.*

Ultimò, de Virgine Deipara.

DIE XIX.

SANCTI SULPITII,

EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

Sulpitius à púero pietáti déditus, cùm Ecclésiis et Monastériis construendis, ac misericórdiæ opéribus esset intentus, ab Austregísilo Bituricensi Epíscopo ad Diaconátum promótus est, ut in Ecclésia officium docendi exercéret. Présbyter factus, à Clotário secundo postulátus est, ut in ejus castris Abbátis officio fungerétur; regemque ipsum morbo gravíssimo laborantem, septem diérum oratióne et jejúnio, sanitáti restítuit. Austregísilo successor datus, óptimi Præsulis partes implévit. Diœcesánas sæpè Synodos, interdum étiam Provinciáles celebrávit. Judæos omnes in Bitúrigibus degentes, ad Christi fidem adductos, baptizávit.

LECTIO III.

Cum ad Ecclésiam noctu oratiónis causâ veníret, non antè recedébat, quàm Psalmórum librum íntegrum recitasset. Indicto trídui jejúnio, suis précibus obtínuit à Dagoberto ut vectígal insólitum quod plebi Bituricensi imposúerat, abrogáret. Sedit in Concílio Remensi sub Sonnátio Epíscopo. Coadjutórem sibi in senectúte ex consensu regis Volfolendum cooptávit : tuncque totum se dedit levandis et instruendis paupéribus. Plenus tandem diérum, quiévit in Dómino die décimâ séptimâ Januárii, circa annum sexcentésimum quartum; et in urbe Bituricensi sepultus est.

COLLECTA. Orémus.

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, in mansuetúdine ópera nostra perfícere, exemplo beáti Pontíficis Sulpítii, qui suâ lenitáte, dilectus tibi et homínibus, promissa mítibus præmia méruit obtinére; Per Dóminum.

Commem. de Virgine Deipara.

VESPERÆ *de SS. Fabiano et Sebastiano, ut in in Communi plurium Mart.* XV.

Fit Commem. S. Sulpitii, Ant. Sacerdótes, ℣. Salvum, XXVIII. *Collecta,* Da nobis, *suprà.*

Deindè de Virgine Deipara.

DIE XX.

SS. FABIANI, PAPÆ, ET SEBASTIANI, MARTYRUM.

Duplex-minus.

LECTIO II.

FABIANUS, post mortem Anterótis, qui Románam sedem mensis unius spátio ténuit, ad Pontificátum, præter ómnium expectatiónem, divínitùs vocátus est. Nam, ut refert Eusébius, cùm de electióne Románi Pontíficis agerétur, ac nemo de Fabiáno cogitáret, columba è sublími delapsa, repentè cápiti ejus insedissse fertur. Quo spectáculo permóti omnes, simul exclamáre cœpérunt Fabiánum dignum esse; statimque pontificáli cáthedræ imposuérunt. Per lítteras ácriter reprehendit Privátum hæréticum, in Concílio nonaginta Episcopórum Africanórum, ob multa et grávia delicta condemnátum. Ad ipsum Orígenes epístolam de sua fide conscripsit. Passus est autem in persecutióne Décii. De cujus agóne sanctus Cypriánus per epístolam Cleri Románi cértior factus, sic rescripsit: Plúrimùm grátulor quòd ejus memóriam tam célebri et illustri testimónio proséquámini; ut et per vos innotésceret nobis, quod et vobis esset circa Præpósiti memóriam gloriósum, et nobis quoque fídei ac virtútis præbéret exemplum. Fabiáno suffectus est Cornélius.

LECTIO III.

SEBASTIANUS, moriendi pro Christo desidério flagrans, cùm Romæ fidéles suis adjuváret facultátibus, Confessoresque ac Mártyres exhortatiónibus confirmáret, ad Diocletiánum delátus est, et ipsíus jussu ad palum alligátus, sagittisque confixus, donec ómnium opinióne mórtuus relinquerétur. Ad quem cùm venisset Iréne pia vídua, ut corpus ejus sepeliendum auferret, vivum repertum in domo sua curávit. Itaque paulò post con-

firmátâ valetúdine, Diocletiáno óbviam factus, ejus impietátem libèriùs accusávit. Cujus aspectu, cùm ille primùm obstupuisset, quòd mórtuum créderet, rei novitáte et acri Sebastiáni reprehensióne excandescens, eum in hyppódromum palátii duci, et tándiù fústibus cædi imperávit, donec ánimam exhaláret.

COLLECTA. Orémus.

Vide, Dómine, infirmitátes nostras, et perícula; et intercedentibus sanctis Martyribus tuis Fabiáno et Sebastiáno, adversùs ígnea antíqui hostis jácula céleri nobis virtúte succurre; Per.

Ad Vesperas, *fit Commem. sanctæ Agnetis*, *Ant.* Infirma. ℣. Deus, *ut in Communi*, LVII. *Collecta,* Omnípotens, *ut infrà.*

Deindè de Virgine Deipara.

DIE XXI.

SANCTÆ AGNETIS,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Virgínibus.

(Ad Marcellinam sororem, Lib. 1. Cap. 2.)

Hodie natális est sanctæ Agnes. Hæc trédecim annórum martyrium facisse, tráditur. Quò detestabílior crudélitas, quæ nec minúsculæ pepercit ætáti: immò magna vis fídei, quæ étiam ab illa testimónium invénit ætáte. Fuitne in illo corpúsculo vúlneri locus? Et quæ non hábuit quò ferrum recíperet, hábuit quò ferrum vínceret. Hæc inter cruéntas carníficum impávida manus, hæc stridéntium grávibus immóbilis tráctibus catenárum, nunc furéntis mucróni mílitis totum offerri corpus, mori adhuc néscia, sed paráta; vel si ad aras invíta raperétur, téndere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrílegis focis trophæum Dómini signáre victóriæ; nunc ferrátis colla manusque ambas inserere néxibus. Sed nullus tam tenúia membra póterat nexus inclúdere. Novum martyrii genus? Nondum idónea pœnæ, et jam matúra victóriæ: certáre diffícilis, fácilis coronári, magistérium virtútis implévit, quæ præjudícium vehébat ætátis.

LECTIO III.

(N. 8 et 9.)

Non sic ad thálamum nupta properáret, ut ad supplícii locum, læta successu, gradu festína virgo processit. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirári pleríque quòd tam fácilè vitæ suæ pródiga quam

nondum háuserat, jam quasi perfuncta donáret. Stupére universi quòd jam divinitátis testis exísteret, quæ adhuc arbítra suî per ætátem esse non posset. Quanto terróre egit cárnifex ut timerétur, quantis blandítiis ut suadéret, quantórum vota ut sibi ad núptias proveníret! At illa: Et hæc sponsi injúria est, inquit, expectáre placitúrum. Qui me sibi prior elégit, accípiet. Quid, percussor, moráris? Péreat corpus quod amári potest óculis quibus nolo. Stetit, orávit, cervícem inflexit. Cérneres trepidáre carnificem, quasi ipse addictus fuisset; trémere percussóris déxteram; pallére ora aliéno timentis perículo, cùm puella non timéret suo. Habétis ígitur in una hóstia duplex martyrium, pudóris et religiónis. Et virgo permansit, et martyrium obtínuit.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui infirma mundi éligis ut fórtia quæque confundas: concéde propítius, ut qui beátæ Agnétis, vírginis et mártyris tuæ, solémnia cólimus, ejus in fide constántiam subsequámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Commem. de Virgine Deipara.

Vesperæ, *à Capitulo de S. Vincentio, ut in Communi unius Mart.* VIII. *Collect.* Da nobis, *ut infrà*, 514.

Fit Commem. sanctæ Agnetis, Ant. Casta. ℣. Conféssio, LXIII. *Collecta*, Omnípotens, sempiterne, *suprà.*

Deindè de Virgine Deipara.

DIE XXII.

SANCTI VINCENTII,

DIACONI ET MARTYRIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, additis quæ sequuntur.

LECTIO II.

Vincentius Diáconus in persecutióne Diocletiáni apud Valéntiam Hispániæ civitátem ad Daciánum præsidem ductus, quòd palàm Christum prædicáret, vinctus retortis bráchiis, extentus est, donec ossa membrátim divellerentur. Deinde férreis únguibus semel atque íterùm excarnificátus. At ille tormenta contempsit; nec addúci pótuit, ut libros sacros tráderet igni comburendos. Quapropter in cratícula subjectis prunis ardéntibus impósitus, et candéntibus láminis exustus est, arvínæ guttis, et sale perfúsus. Post hæc trúditur in cárcerem strátum testáceis fragmentis, ut ejus nudum corpus testárum acúleis cru-

ciarétur, divaricátis étiam in nervo crúribus. Verùm illustráto cœlitùs cárcere, ab Angelo ad martyrium accénditur : illumque cárceris custos ruptis caténis ambulantem conspíciens, spectáculo stupefactus, Christum confessus est.

LECTIO III.

EDUCTUS inde, collocátur in molli cúlcitra, ut recreátus aliquántulùm, ácriùs dénuò torquerétur; sed exhaustus víribus, ánimam exhalávit. Corpus ejus cùm projectum esset inhumátum, corvus et à volúcribus et à lupo únguibus, rostro, alis mirabíliter defendit. Quà re cógnità, Daciánus insútum cúleo, saxoque illigátum in mare demergi jubet; sed inde étiam divínitùs ejectum ad littus Christiáni sepéliunt. Post multos annos Childebertus et Clotárius in obsidióne Cæsaraugustána suspicáti obsessos, quos vidébant circumíre mœnia civitátis, áliquid malefícii ágere; ubi accepérunt Vincéntii túnicam ad placandum Deum in his rerum angústiis circumferri, pietáte commóti, pacem cum iis iniérunt.

COLLECTA. Orémus.

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, adversa mundi invictà mentis constántià toleráre, qui beátum Levítam Vincéntium nec minis terréri, nec pœnis passus es superári; Per.

Commem. de Virgine Deipara.

VESPERÆ *à Capitulo de S. Marcello, Diensis Episc. ut in Communi Pontif. Collecta,* Deus, fidélium lumen, XXVI. *Deinde de B. M. V.*

DIE XXIII.

SANCTI MARCELLI,

EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

MARCELLUS, piis et nobílibus paréntibus Avenióne natus, ab ineunte ætáte futúræ sanctitátis indícia præbuit. Sub disciplína sancti Petrónii germáni sui Epíscopi Diensis, pietátem, lítteras et Ecclesiásticam disciplínam edoctus, in ejus defuncti locum invítus elígitur. Factus Epíscopus máximo zelo Cathólicam sedem, adversus hærésim Ariánam in fínibus suis pulluláre incipientem, propugnávit, undè hæreticórum invídiam ipsiusque regis furórem in se concitávit. Váriis modis vexátus, innumerábilesque ærumnas perpessus, tandem in exílium missus est, in quo circà límites Forojuliensium ac Regiénsium obdormívit in Dómino.

LECTIO III.

SACRUM ejus corpus Barjó-

lium translátum est, ac honoríficè cónditum in Ecclésia, ubi plúrimis sanctitátem servi sui Deus commendávit miráculis. Anno autem quingentésimo sexagésimo secundo suprà millésimum, Calvinistæ Barjólium hostíliter ingressi, majóri Ecclésiâ pénitûs devastátâ, corpus sancti Præsúlis ímpiè combussérunt, sacrosque ejus cíneres in áera projecérunt. Quod grande piáculum ediscens Pius quartus Póntifex máximus, ne Ecclésia tanto thesauro spoliáta, assueto frequentári cultu cessáret, perpétuo Diplómate concessit, ut fidéles omnes verè pœnitentes, qui ipsam visitantes Domínicâ primâ post Pascha, ibi orárent, plenáriæ indulgéntiæ grátiam consequerentur.

Collecta, Deus, fidélium, xxvi.

Commem. de Virgine Deipara.

Vesperæ *à Capitulo de sequenti.*

DIE XXIV.

SANCTI TIMOTHEI,

EPHESINI EPISCOPI ET MART.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart. exceptis quæ sequuntur.

In I. Vesperis *post Hymn.* ℣. Innocentes et recti adhæsérunt mihi : ℟. Quia sustínui te, Deus Israel. *Ps.* 24.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Ecce discípulus quidam erat nómine Timótheus, huic testimónium bonum reddébant fratres. Hunc vóluit secum Paulus profícisci. *Act.* 7.

Collecta, Deus, qui beátum, *infrà.*

Fit Commem. S. Marcelli, Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum fecit, xxviii. *Collecta*, Deus, fidélium, xxvi.

Deindè S. Titi, Episc. Ant. Qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in adventu Titi : in consolatióne autem nostra gavísi sumus, quia víscera ejus abundántiùs in vobis sunt. 2. *Cor.* 7.

℣. Justus miserétur et tríbuet ; ℟. Benedicentes ei hæreditábunt terram. *Ps.* 36.

Collecta, Deus, qui per Apóstolicos, *infrà ad Laud.*

Ultimò de Virg. Deipara.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

LECTIO II.

Timotheus Lystris in Lycaónia natus patre gentíli, et matre Judæa fidéli, Christiánam colébat religiónem, cùm in ea loca venit Paulus Apóstolus. Ab infántia sacras lítteras didícerat, et testimónium illi reddébant, qui in Lystris erant in Icónio fratres. Hinc factum est, ut illum Paulus adhibúerit sibi sócium suæ peregrinatiónis ; sed propter Judæos

qui se ad Christum convérterant, scientes Timóthei patrem esse gentílem, eum circumcídit. Cùm ígitur ambo Ephesum venissent, ibi ordinátus est Epíscopus ab Apóstolo, ut eam Ecclésiam, imò ut totam Asiam minórem gubernáret. Ad eum Apóstolus duas epístolas scripsit, primam è Macedónia, álteram Româ, quibus tanquam plebis Christiánæ Doctórem eum instítuit, de iis quæ seu ágere, seu dócere débeat. Cùm Ephesi in quadam celebritáte dæmónibus immolarétur, ab hac impietáte pópulum removére conátus, fústibus et lapídibus, ut fert Græcórum tradítio, óbrutus Timótheus, inter discipulórum manus paulò post expirávit.

De sancto Tito.

LECTIO III.

ALTER dilectíssimus sancti Pauli discípulus fuit Titus, ad quem scripsit Epistólam, quæ duárum ad Thimótheum Epistolárum quasi compéndium est. Interpres fuisse Apóstolo in Evangélio à sancto Hierónymo dícitur. Corinthum ab eódem missus est ad componendas illíus Ecclésiæ controvérsias; et deindè in Insula Creta relictus, ut ea quæ deessent, corrígeret, et Epíscopos per civitátes constitúeret. Undè ab *Eusébio* vocátur Cretæ Ecclesiárum Epíscopus. Constat ipsum, jubente Paulo, ad prædicandum Evangélium Dalmátiam profectum fuisse. Tandem Cretam redux, in pace, ut tráditur, quiévit.

AD LAUDES, *post Hymnum*, ℣. Lingua ejus loquétur judícium; ℟. Lex Dei ejus in corde ipsíus. *Ps.* 36.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Mísimus Timótheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangélio Christi ad confirmandos vos, et exhortandos pro fide vestra. 1. *Thess.* 3.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui beátum Timótheum verbis fídei et bonæ doctrínæ enutrítum, fidélem Evangélii ministrum effecisti; da nobis, ejus intercessióne, dívites fíeri in opéribus bonis; ut ejus exemplo, justítiam sectantes veram vitam apprehendámus; Per.

Fit Commem. S. Titi, Ant. Grátias Deo, qui dedit eamdem sollicitúdinem pro vobis in corde Titi. 2. *Cor.* 8.

℣. Convertantur mihi timentes te, ℟. Et qui novérunt testimónia tua. *Ps.* 118.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, qui per Apostólicos beáti Titi labóres Ecclésiam tuam propagári voluisti; quæsumus, ut contínuo ejus præsídio muníta, spi-

rituálibus semper profíciat increméntis, Per Christum.

Ultimò de Virg. Deipara.

Vesperæ *de sequenti.*

DIE XXV.

IN CONVERSIONE

SANCTI PAULI,

APOSTOLI.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 2. D. Ego Israelíta sum, ex sémine Abraham, de tribu Bénjamin. *Rom.* 11.

Ant. 6. F. Si quis álius vidétur confídere in carne, ego magis, circumcísus octávo die, Hebræus ex Hebræis. *Philipp.* 3.

Ant. 1. a. Sum natus in Tarso Cilíciæ, nutrítus autem in civitáte Jerúsalem secùs pedes Gamáliel. *Act.* 22.

Ant. 3. c. Eram secundùm legem Pharisæus, secundùm justítiam quæ in lege est, conversátus sine queréla. *Philipp.* 3.

Ant. 7. *d.* Supra modum persequébar Ecclésiam Dei, et expugnábam illam, abundántiùs æmulátor existens paternárum meárum traditiónum. *Galat.* 1.

Capitulum. (*Genes.* 49.)

Benjamin, lupus rapax, mane cómedet prædam, et véspere dívidet spólia.

℟. Ut quid, Dómine, víneam tuam extermínávit aper de sylva, et singuláris ferus depastus est eam? * Deus virtútum, convértere, réspice de cœlo, et vide, et † Vísita víneam istam. ℣. Quanta mala fecit sanctis tuis in Jerúsalem! et hic habet potestátem alligandi omnes qui ínvocant nomen tuum. * Deus. Glória Patri. † Vísita. *Ps.* 79. *Act.* 9.

HYMNUS.

Pastore percusso, minas
Spirábat et cædes lupus;
Sparsumque vastábat gregem,
Te, Christe, Saulus nésciens.

Et jam caténas stríngere
Ferox parábat, jam cruces;
Sed ô! repentè stérnitur,
Verboque perculsus ruit.

Quid, Saule, Saule, quid struis?
Agnosce victrícem manum:
Cœlo reluctári nefas;
Absiste Jesum pérsequi.

Jam tendit imbelles manus;
Jam colla submittit jugo:
Stupens jacet, clamat tremens:
Quid, Christe, quid victor jubes?

Ex hoste miles, ex lupo
Agnus, gregi se dévovet;
Et raptor ipse nóbili
Raptus triumpho dúcitur.

O celsa cedrórum, Deus,
Qui voce vertis cúlmina!

O qui potenti súbjicis
Mentes superbas grátiæ!
Tu, Pastor, infensas tuo
Vires ovíli cónterе;
Et nostra, si quid dévium,
Ad te reflecte péctora.
Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Usquequò, Deus, improperábit inimícus? ℟. Irrítat adversárius nomen tuum in finem? *Ps.* 73.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Egressum tuum et introítum tuum cognóvi, cùm fúreres adversùm me; ponam ergo frænum in lábiis tuis, et redúcam te in viam per quam venisti. *Is.* 37.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Fit Commem. S. Timothei, Ant. Timótheus sincérâ affectióne pro vobis sollícitus, sicut patri filius, mecum servívit in Evangélio. *Philip.* 2.

℣. Justítiam tuam, Dómine, non abscondi in corde meo; ℟. Veritátem tuam et salutáre tuum dixi. *Ps.* 39.

Collecta, Deus, qui beátum, *suprà.*

Deindè S. Præjecti, Episcopi et Mart. Ant. Ecce Deus. ℣. In Deo, ut. *Collecta,* Mártyris tui, *infrà ad Laudes.*

Ultimo de Virgine Deipara.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Christum qui vocávit Paulum per grátiam suam, * Veníte, adorémus. *Galat.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Quos in hostes, Saule, tendis?
Quo furóre pércitus?
Immoláre quid tot ardes
Innocentes víctimas!
Insequendo quem lacessis,
Séntiеs mox víndicem.
Christus instat; impotentem
Cæcat, urget, déjicit:
Ille cedit imperanti,
Seque totum súbjicit;
Insecútor antè Christi,
Præco Christum pérsonat.
Ante plenus qui minárum
Præparábat víncula,
Nunc tremens, nec jam rebellis,
Per manus dedúcitur:
Qui lupus rapax furébat,
Nunc in agnum vértitur.
Dura, Christe, quàm potenti
Corda versas dépterà!
Qui tuum delére nomen
Vult tuórum sánguine,
Universum mox per orbem
Ipse clarábit suo.
Sit supréma laus Parenti,
Qui creávit ómnia;
Filioque qui redémit
Morte nos volens suâ:
Par et illi, cujus almo
Confovémur hálitu. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 8. c. Lapidábant Stéphanum : et testes deposuérunt vestimenta sua secùs pedes adolescentis, qui vocabátur Saulus. *Act.* 7.

Ant. 1. a. Saulus erat conséntiens neci ejus : facta est autem in illa die persecútio magna in Ecclésia quæ erat Jerosólymis. *Act.* 7 *et* 8.

Ant. 3. a. Omnes dispersi sunt præter Apóstolos : Saulus autem devastábat Ecclésiam. *Act.* 8.

℣. Quanta malignátus est inimícus in sancto ! ℟. Et gloriáti sunt qui odérunt te. *Ps.* 73.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Existimáveram me adversùs nomen Jesu Nazaréni debére multa contrária ágere : * Quod et feci Jerosólymis, et multos sanctórum ego in carcéribus inclúsi ; et cùm occiderentur, détuli senténtiam. ℣. Dixit inimícus : Pérsequar, et comprehendam ; dívidam spólia, implébitur ánima mea : * Quod. *Act.* 26. *Exod.* 15.

Post II Lect. ℟. Eram conclúdens in cárcerem, et cædens eos qui credébant in te : et * Cùm funderétur sanguis Stéphani testis tui, ego astábam, et consentiébam, et custodiébam vestimenta interficiéntium illum. ℣. Cástigasti me, et erudítus sum, quasi juvénculus indómitus : * Cùm. *Act.* 22. *Jerem.* 31.

Post III Lect. ℟. Ego sum mínimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam * Persecútus sum Ecclésiam Dei ; † Grátiâ autem Dei sum id quod sum. ℣. Hæc mutátio déxteræ Excelsi : quis Deus magnus sicut Deus noster ? * Persecútus sum Ecclésiam. Glória. † Grátiâ. 1. *Cor.* 15. *Ps.* 76.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. Saulus per domos intrans, et trahens viros ac mulíeres, tradébat in custódiam. *Act.* 8.

Ant. 7. c. Spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accessit ad príncipem Sacerdótum. *Act.* 9.

Ant. 2. D. Pétiit ab eo epístolas in Damascum ad synagógas ; ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem. *Act.* 9.

℣. Miserátor et miséricors Dóminus : ℟. Longánimis et multùm miséricors. *Ps.* 102.

LECTIO IV.

De Actibus Apostolórum.

(Cap. 9.)

Saulus adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accessit ad príncipem Sacerdótum, et

pétiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagógas; ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perdúceret in Jerúsalem. Et cùm iter fáceret, cóntigit ut appropinquáret Damasco; et súbitò circumfulsit eum lux de cælo. Et cadens in terram, audívit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me perséqueris? Qui dixit: Quis es, Dómine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu perséqueris. Durum est tibi contra stímulum calcitráre. Et tremens ac stupens dixit: Dómine, quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum: Surge, et ingrédere civitátem; et ibi dicétur tibi quid te opórteat fácere. Viri autem illi qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, néminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum trahentes, introduxérunt Damascum. Et erat ibi tribus diébus non videns; et non manducávit, neque bibit.

℟. De cælo circumfulsit me lux copiósa; et décidens in terram, audívi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me perséqueris? ℣. Audívi vocem sermónum ejus, et áudiens jacébam consternátus super fáciem terræ: * Saule, Saule. *Act.* 22. *Dan.* 10.

LECTIO V.

Erat autem quidam discípulus Damasci, nómine Ananías; et dixit ad illum in visu Dóminus: Ananía. At ille ait: Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum: Surge, et vade in vicum qui vocátur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nómine, Tarsensem; ecce enim orat. (Et vidit virum, Ananíam nómine, introeuntem, et imponentem sibi manus, ut visum recípiat.) Respondit autem Ananías: Dómine, audívi à multis de viro hoc, quanta mala fécerit sanctis tuis in Jerúsalem; et hic habet potestátem à princípibus Sacerdótum alligandi omnes qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus: Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus, et régibus, et fíliis Israel; ego enim ostendam illi quanta opórteat eum pro nómine meo pati.

℟. Ego respondi ei qui loquebátur mecum: Quis es, Dómine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarénus, quem tu perséqueris. Et dixi: * Quid fáciam, Dómine? ℣. Tu terríbilis es, et quis resistet tibi? de cælo audítum fecisti judícium. * Quid fáciam? *Act.* 22. *Ps.* 75.

LECTIO VI.

Et ábiit Ananías, et introí-

vit in domum; et impónens ei manus, dixit: Saule frater, Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in via quâ veniébas, ut vídeas, et impleáris Spíritu sancto. Et confestim cecidérunt ab óculis ejus tanquam squamæ, et visum recépit, et surgens baptizátus est. Et cùm accepisset cibum, confortátus est. Fuit autem cum discípulis qui erant Damasci per dies áliquot. Et contínuò in Synagógis prædicábat Jesum, quóniam hic est Fílius Dei.

℟. Exurge, et sta super pedes tuos; * Ad hoc enim appárui tibi, ut constítuam te ministrum et testem eórum quæ vidisti, et eórum quibus apparébo tibi. ℣. Intéllige verba quæ ego loquor ad te, et sta in gradu tuo, et noli metúere. * Ad. Glória. * Ad. *Act.* 26. *Dan.* 10.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 1. f. Dóminus dixit ad me: Surgens vade Damascum, et ibi dicétur tibi de ómnibus quæ te opórteat fácere. *Act.* 22.

Ant. 6. F. Cùm non vidérem præ claritáte lúminis illíus, ad manum deductus à comítibus, veni Damascum. *Act.* 22.

Ant. 2. D. Qui mecum erant, lumen quidem vidérunt, vocem autem non audiérunt ejus qui loquebátur mecum. *Act.* 22.

℣. Tu illúminas lucernam meam, Dómine: ℟. Deus meus, illúmina ténebras meas. *Ps.* 17.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 15.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Non vos me elegistis, sed ego elégi vos, et pósui vos ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(In Joan. Tract. 86.)

Hæc eléctio grátiæ est, de qua dicit Apóstolus: Sic ergo et in hoc témpore relíquiæ per electiónem grátiæ salvæ factæ sunt. Unde subjungit: si autem grátia, jam non ex opéribus; alióquin grátia jam non est grátia. Audi, ingráte; ingráte audi: Non vos me elegistis, sed ego elégi vos. Non est ut dicas, Ideò electus sum, quia jam credébam; si enim credébas in eum, jam elégeras eum. Sed audi: Non vos me elegistis. Quid ergo dictúri sumus, audiendo, Non vos me elegistis, nisi quia mali erámus, et electi sumus, ut boni per grátiam nos eligentis essémus? Non est enim grátia, si præcésserant mérita; est autem grátia: hæc

igitur non invénit, sed effécit mérita.

℟. Ananía, surge, et vade in vicum qui vocátur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nómine, Tarsensem; * Quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus: ego enim ostendam illi quanta opórteat eum pro nómine meo pati. ℣. Abiit vagus in via cordis sui: vias ejus vidi, et sanávi eum, et reduxi eum; * Quóniam. *Act.* 9. *Is.* 57.

LECTIO VIII.

(Serm. 168. Edit. Bened. C. 3, 4 et 7.)

Iterum dicit Apóstolus: Misericórdiam consecútus sum. O conféssio! Non ait, Misericórdiam consecútus sum, quia fidélis eram; sed, Ut fidélis essem, misericórdiam consecútus sum. Veniámus ad ejus primórdia. Date mihi mérita ejus. Si mérita quæris, damnatiónis sunt, non liberatiónis. Ibat sævíre in membra Christi; ibat sánguinem fúndere; ibat lupus, pastor futúrus. Sic ibat. Non enim póterat áliter ire ad illa propter quæ ibat. Et cùm sic ámbulat, cógitat, anhélat cædes: cùm ducit pedes ejus ira, movet membra ódium; dum pergit et ámbulat, obtémperat mancípium crudelitáti; et ecce vox de cœlo: Saule, Saule, quid me perséqueris? Ecce quare dixit, Misericórdiam consecútus sum. Non sum, inquit, dignus vocári Apóstolus, quia persecútus sum Ecclésiam Dei; sed grátiâ Dei sum id quod sum.

℟. Abiit Ananías in domum, et impónens Saulo manus, dixit: Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in via, ut vídeas, et impleáris Spíritu sancto. Et * Conféstim cecidérunt ab óculis ejus tanquam squamæ; et visum recépit. ℣. Obturátus est óculus hóminis, qui visiónem Omnipoténtis intúitus est, cadit, et sic aperiúntur óculi ejus. * Conféstim cecidérunt. *Act.* 9. *Num.* 24.

De S. Præjecto

LECTIO IX.

Præjectus, Arvernus, Candidinensi cœnóbio à Felíce Arvernórum Epíscopo præpósitus est, et Presbyter ordinátus. Felíci deindè vitâ functo successor datus, unánimi ómnium voto ac ipsíus regis assensu, veri Pastóris munus adimplévit. Nosocómium extruxit, ac monastéria. Summâ curâ conquisívit Mártyrum córpora, ut ea in locum honoratiórem transferret. Ad regem Childerícum secundum profectus, ut Ecclésiæ suæ bona contra Héctorem Massíliæ patrícium vindicáret, cùm

rex in Héctorem animadvertisset, Agrícius quidam primóres civitátis in Præjectum excitávit : cùmque à sicáriis quærerétur, ejus loco Amarínus ab iis trucidátus est. Ille verò ne coróna martyrii fraudarétur, percussóribus se ultro óbtulit, et : Hic est, inquit, quem quæritis ; impléte quod vobis imperátum est. Eórum statim alter pugiónem in pectus ipsi adégit, alter verò cérebrum excussit invocanti et dicenti : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum, quia nésciunt quid fáciunt.

℟. Véniens ad me Ananías dixit : Saule frater, Deus præordinávit te ut vidéres Justum, et audíres vocem ex ore ejus ; quia eris testis illíus ad omnes hómines : * Et nunc quid moráris ? exurge, baptizáre, et áblue peccáta tua. ℣. Insíliet in te Spíritus Dómini, et prophetábis, et mutáberis in virum álium. * Et nunc. Glória. * Et. *Act.* 22. 1. *Reg.* 10.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Glorificábo nomen tuum in æternum : ℟. Quia misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 85.

AD LAUDES.

Ant. 1. *f.* Baptizátus est Saulus : fuit autem cum discípulis qui erant Damasci, per dies áliquot : et contínuò in synagógis prædicábat Jesum. *Act.* 9.

Ant. 2. D. Stupébant omnes qui audiébant, et dicébant : Nonne hic est qui expugnábat in Jerúsalem eos qui invocábant nomen istud ? *Act.* 9.

Ant. 5. a. Damasci consílium fecérunt Judæi, et custodiébant portas die ac nocte, ut eum interfícerent. Accipientes autem eum discípuli nocte, per murum dimisérunt eum, submittentes in sporta. *Act.* 9.

Ant. 7. a. Cùm venisset in Jerúsalem, Bárnabas duxit illum ad Apóstolos ; et narrávit illis quómodò in via vidisset Dóminum. *Act.* 9.

Ant. 3. a. Erat cum illis intrans et éxiens in Jerúsalem, et fiduciáliter agens in nómine Dómini, loquebátur quoque Géntibus, et disputábat cum Græcis. *Act.* 9.

Capitulum. (*Act.* 26.)

Non fui incrédulus cœlesti visióni ; sed his qui sunt Damasci, primùm et Jerosólymis, et in omnem regiónem Judææ, et Géntibus annuntiábam ut pœniténtiam ágerent, et converterentur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera facientes.

HYMNUS.

Quæ gloriósum tanta cœlis évocat
Te, Christe, causa ? tu-ne rursum vísere
Mundum redemptor ? tu-ne Judex séculi ?

Novum-ne prodis ultor hostem pérdere?
Heu quàm cruentus persecútor! quàm ferox
Insurgit! horret, ac fugit grex quà premit:
Humána tanto nulla par hosti manus:
Te, Christe, sparsæ víndicem poscunt oves.
Hunc ergo voce victor unâ súbjicis,
Totum sed uno subdis in Saulo tibi,
Vincisque mundum; sternis ut mox érigas,
Agnisque prædam dívidat lupus tuis.
Sit Trinitáti sempiterna glória,
Honor, potestas, atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubernans ómnia
Per cuncta regnat seculórum sécula. Amen.

℣. Misericórdias Dómini in æternum cantábo: ℟. In generatiónem et generatiónem annuntiábo veritátem tuam. *Ps.* 88.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Eram ignótus fácie Ecclésiis Judææ; tantùm autem audítum habébant: Quóniam qui persequebátur nos aliquando, nunc evangelízat fidem quam expugnábat; et in me clarificábant Deum. *Galat.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus omnípotens et clemens, qui virtútem et misericórdiam tuam magnam in peccatórum conversióne manifestas: quæsumus, ut illa nos ad te grátia convertat, quæ beátum Apóstolum Paulum de persecutóre vas electiónis effécit; Per Dóminum nostrum.

Fit Commem. S. Præjecti, Episcopi et Mart. Ant. Bonum. ℣. Adjútor, XII.

COLLECTA. Orémus.

Martyris tui Præjecti nos, Dómine, intervéntio gloriósa commendet; ut quod nostris áctibus non merémur, ejus précibus consequámur; Per Christum.

Ultimò de Virg. Deipara.

AD PRIMAM.

Ant. 1. *f.* Baptizátus est.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Stupébant omnes.

Capitulum. (*Galat.* 1.)

Cum plácuit ei qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in Géntibus; contínuò non acquiévi carni et sánguini.

℟. *br.* Deus, docuisti me; * Pronuntiábo mirabília tua. Deus. ℣. Dómine, * memorábor justítiæ tuæ solíus. * Pronuntiábo mirabília tua. Glória Patri. Deus. *Ps.* 70.

℣. Doce me fácere volun-

tátem tuam, ℟. Quia Deus meus es tu. *Ps.* 142.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Damasci.

Capitulum. (2. *Cor.* 11.)

Si gloriári oportet, quæ infirmitátis meæ sunt, gloriábor : Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi scit quòd non méntior. Damasci præpósitus gentis Arétæ regis custodiébat civitátem Damascenórum, ut me comprehénderet : et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effúgi manus ejus.

℟. *br.* Liberátor meus * De inimícis meis iracundis. Liberátor meus. ℣. A viro iníquo * erípies me, * De inimícis meis iracundis. Glória. Liberátor meus.

℣. Quis Deus præter Dóminum? ℟. Quis Deus præter Deum nostrum? *Ps.* 17.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Erat cum illis.

Capitulum. (*Act.* 22.)

Factum est revertenti mihi in Jerúsalem, et oranti in templo fíeri me in stupóre mentis, et vidére Jesum dicentem mihi : Festína, et exi velóciter ex Jerúsalem : quóniam non recípient testimónium tuum de me : vade, quóniam ego in natiónes longè mittam te.

℟. *br.* Erípies me * De contradictiónibus pópuli. Erípies. ℣. Constítues me * in caput Géntium, * De contradictiónibus pópuli. Glória Patri. Erípies.

℣. Vivit Dóminus, et benedictus Deus meus, ℟. Et exaltétur Deus salútis meæ *Ps.* 17.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. D. Fidélis sermo, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum. 1. *Tim.* 1.

Ant. 3. a. Grátias ago ei, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério; qui priùs blasphémus fui, et persecútor, et contumeliósus. 1. *Tim.* 1.

Ant. 6. C. Misericórdiam consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. 1. *Tim.* 1.

Ant. 5. C. Superabundávit grátia Dómini nostri, cum fide et dilectióne quæ est in Christo Jesu. 1. *Timot.* c. 1.

Ant. 8. G. Grátia ejus in me vácua non fuit; sed abundántiùs ómnibus laborávi : non ego autem, sed grátia Dei mecum. 1. *Cor.* 15.

Capitulum. (*Galat.* 2.)

Vivo, jam non ego; vivit verò in me Christus : quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui dilexit me, et trádidit semetipsum pro me.

Hymnus, Pastóre percusso, *ut in I. Vesperis*, 517.

℣. Psallam tibi in natiónibus; Dómine : ℟. Quia magna est super cœlos misericórdia tua. *Ps.* 107.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Ideò misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi, in vitam æternam. 1. *Tim.* 1.

Collecta, Deus omnípotens et clemens, *ut suprà ad Laudes.*

Fit Commem. S. Ausilii, Episc. et Mart. Ant. Ecce. ℣. In Deo, IX. *Collecta, infrà.*

Deindè sanctæ Paulæ, Viduæ. Ant. Exultávit. ℣. Averte, LXV. *Collecta*, Deus, in quem sperat, LXIX.

Ultimò de Virgine Deipara.

DIE XXVI.

SANCTI AUSILII,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Duplex-mínus.

LECTIO II.

Ausilius, qui et Antiólius, seu Ansílius dícitur, primùm ascéta Lirinensis, sanctórum Lupi et Máximi, aliorumque magnæ celebritátis virórum Concéllita, à Sidónio Apollinári máximè commendátur, ob egrégias suas virtútes, abstinéntiam præsertim, quâ sanctos eremórum Ægypti íncolas imitári aut superáre conabátur. Ipsum Ecclésiæ Forojuliensi præfuisse, et sub Evárico, Visigothórum rege ariáno, martyrio fuisse coronátum vetus fert tráditio; undè tanquam Epíscopus et Martyr, in pervetustis nostris Breviáriis ac Litániis recólitur. Sacræ ejus relíquiæ à multis retrò séculis in Calacensi óppido hujus Diœcésis, religiósè asservantur, ubi multis illustrantur miráculis.

De S. Paula.

LECTIO III.

Paula Romána, ex Scipiónum et Gracchórum génere, post mortem Toxótii cónjugis, ex quo quátuor filias, Blæsillam, Paulínam, Eustóchium cognomento Júliam, et Rufínam, filiumque unum Toxótium suscéperat, **divítias penè omnes in páuperes erogávit. Episcopórum autem Paulíni Antiochíæ, et Epiphánii Salamínæ, qui tunc Romam vénerant, virtútibus accensa, post annos à morte Toxótii cónjugis quinque, Eustóchio solâ cómite, pátriam relíquit, ut loca sancta inviseret ac venerarétur : et apud Béthleem consédit, ubi tria vírginum monastéria, virorumque unum construxit. Illic, Hierónymo disserente, vetus et novum Testamentum cum Eustó-**

chio perlégit, magnam adepta Hebráicæ linguæ períitiam. Elapsis annis viginti, mortem jam imminentem séntiens, quasi ad suos pérgeret, alienosque deséreret, has voces, Déficit ánima mea in átria Dómini, aliosque ejusdem Psalmi versículos ad extrémum usque spíritum assíduè repetébat; digitumque ad os tenens, crucis signum exprimébat in lábiis. Obiit anno Dómini quadringentésimo quarto, et sepulta est apud Béthleem in médio Ecclésiæ speluncæ Salvatóris.

COLLECTA. Orémus.

Da nobis, quæsumus, Dómine Deus, beáti Ausílii Mártyris tui atque Pontíficis sacerdotálem constántiam imitári; ut fidem servantes quam nos dócuit, ejusdem corónæ consortes efficiámur; Per Dóminum.

Fit Commem. S. Paulæ, Viduæ, Ant. Oratio. ℣. Humiliábam, LXVIII. *Collecta,* Deus, LXIX.

Deinde de B. M. V.

Ad Vesp. *Fit Commem. SS. Martyrum, pro Libris sacris interemptorum.*

Ant. Apud quemcumque inveniebantur Libri testamenti Dómini, et quicumque observábat legem Dómini, secundùm edictum regis trucidábant eum. 1. *Mach.* 1.

℣. Iníquè non égimus in testamento tuo, Dómine; ℟. Et non recessit retrò cor nostrum. *Ps.* 43.

Collecta, Præsta, quæsumus, *infrà.*

Fit Commem. S. Juliani, Episc. Ant. Elégit. ℣. Beátus, XXII. *Coll.* Deus, *infrà.*

Ultimò de Virgine Deip.

DIE XXVII.

SANCTOR. MARTYRUM,

QUI PRO LIBRIS SACRIS INTERIERUNT.

Semiduplex.

De Communi plurium Martyrum, additis quæ sequuntur.

AD NOCTURNUM.

LECTIO II.

Ex Actis sanctórum Saturníni, Datívi et aliórum plurimórum Mártyrum in Africa.

(Apud Ruinart.)

Temporibus Diocletiáni et Maximiáni, bellum diábolus Christiánis indixit isto modo, ut sacrosancta Dómini testamenta, Scripturasque divínas ad exurendum péteret, basílicas Domínicas subvérteret, et ritus sacros, cœtusque sanctíssimos celebrári Dómino prohibéret. Sed non tulit exércitus Dómini Dei tam immáne præceptum. Et quamvis tradendo Gentílibus Scriptúras Domínicas, atque Testa-

menta divína profánis ígnibus comburenda cecidére nonnulli; conservando tamen eas, et pro ipsis libenter suum sánguinem effundendo fórtiter finiére quàm plúrimi. Quique pleni Deo, devicto atque prostráto diábolo, victrícem palmam in passióne gestantes, senténtiam in traditóres, atque in eórum consortes, quâ illos ab Ecclésiæ communióne rejécerant, cuncti Mártyres próprio sánguine consignábant. Fas enim non fúerat, ut in Ecclésia Dei simul essent Mártyres et Traditóres.

De sancto Juliano.

LECTIO III.

Julianus primus Cenomannensis Epíscopus, ejusdem provínciæ gentem ad veri Dei cultum perduxit: undè apud eamdem Apóstoli nomen consecútus est, iis floruisse tempóribus créditur, quibus refert Gregórius Turonensis fidem in Gálliis disseminátam per septem Epíscopos à Romána sede témpore Décii Imperatóris missos. Sedisse fertur annis quadraginta septem. Corpus ejus ultra flúvium Sartæ sepultum est in Ecclésia quam ipse condidisse perhibétur; ubi propter ejus reveréntiam sancti deindè complúres, máximè ex successóribus Epíscopis, tumuláti sunt. Indè verò nono mediante século beátus Aldrícus ejusdem sedis Epíscopus, sancti Juliáni corpus in Ecclésiam Cathedrálem tránstulit, quæ pósteà sancti Juliáni nómine appellá-ta est. Veneratiónem autem illíus per Gálliam et Germániam mirífice propagárunt, plúrima quæ quorumdam ejus óssium Ecclésiæ Paderbornensi concessórum Translatiónem comitáta sunt mirácula.

Ad Laudes, *post Hymnum.* ℣. Animas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem; ℟. Réspice in testaméntum tuum. *Ps.* 73.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Libros legis Dei combussérunt igni, scindentes eos: multi autem elegérunt magis mori, et trucidáti sunt. 1. *Mach.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Præsta, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus, ut sanctórum Mártyrum, qui pótiùs elegérunt mortem subíre, quàm Scriptúras sacras comburendas trádere, fidem et constántiam æmulantes, in ómnibus advérsis habeámus solátio sanctos Libros qui sunt in mánibus nostris; Per Dóminum nostrum.

Fit Commem. S. Juliani, Ant. Ego sum. ℣. Elégit, XXVI.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus ineffábili mise-

ricórdiâ beátus Póntifex Juliánus in géntibus evangelizávit investigábiles divítias Christi: da nos, ejus intercessióne, créscere in sciéntia tua, et in omni ópere bono fructificantes, secundùm Evangélii veritátem coram te ambuláre; Per eumdem Christum Dóminum nostrum.

Ultimò de Virgine Deipara.

VESPERÆ *à Capitulo de sequenti, ut in Communi Doctorum. Collecta,* Deus, qui ad debellandos, *infrà.*

Fit Commem. Sanctorum Martyrum, pro Libris sacris, Ant. Dedérunt se perículo, et restitérunt adversáriis, ut starent sancta ipsórum, et lex: et glóriâ magnâ glorificavérunt gentem suam. 1. *Mach.* 14.

℣. Custodiébant testimónia ejus, ℟. Et præceptum quod dedit illis. *Ps.* 98.

Collecta, Præsta, quæsumus, *ut suprà.*

Ultimò de Virgine Deipara.

DIE XXVIII.

S. CYRILLI ALEXANDRINI,

EPISC. ET ECCL. DOCT.

Semiduplex.

Omnia de Communi Doct. exceptis quæ sequuntur.

LECTIO II.

CYRILLUS Theóphili Patriarchæ Alexandríni sorória fílius, ingénio pérspicax et ánimo fortis, ab infántia sacris lítteris imbútus, cùm esset doctrínâ et zelo cathólicæ fídei insignis, ad sedem Alexandrínam divíno nutu provectus est. Episcopátum vix adeptus Novatiános schismáticos Alexandríâ expulit, et deindè Judæos, propter eórum adversus Christiános injúrias et cædes. Cyrilli zelus imprímis enítuit adversùs Nestórium Patriarcham Constantinopolitánum, qui Christi persónam cum duábus suis natúris dívidens, beátam Vírginem Maríam, Dei matrem legítimè dici negábat. Pravæ Nestórii doctrínæ se constanter Cyrillus oppónens, primùm eum confutávit per Epístolam quam scripsit ad solitários, réticens nomen Nestórii; ipsum intéreà amícis lítteris à senténtia concepta dimovére conátus.

LECTIO III.

VERUM cùm nihil profíceret, adversùs hanc ipsam doctrínam duódecim anathematismos cóndidit. Exindè Cœlestíni summi Pontíficis autoritáte, et illìus vices gerens, Concílio generáli Ephesíno, eadem de causa convocáto, præfuit: ubi hæresis Nestoriána pénitùs proscrípta est. Quantis calúmniis, injúriis et persecutiónibus hac ex cau-

sa Cyrillus impetítus fúerit, per Nestórium et ejus ásseclas, éxprimi non potest: sed mirum quàm sanctè et generósè eas toleráverit; ita ut de sola fídei doctrína sollícitus, atrocióres injúrias et calúmnias nequíssimas quas adversùs eum excogitábant hærétici, níhili omnínò fáceret. Omnium schismaticórum in Ecclésiam réditum modis ómnibus procurávit. Tandem post tot labóres pro fide cathólica exantlátos, óbiit, anno Epicopátûs sui trigésimo secundo.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui ad debellandos incarnáti Verbi tui Virginisque Deíparæ hostes, beátum Cyrillum Epíscopum et Doctórem exímium mirà virtúte præcinxisti; da ut ejus fídei vestígiis inhærentes, íntegrâ tanti mystérii confessióne salvémur; Per eumdem Dóminum.

Commem. de Virgine Deip.

VESPERÆ *de sequenti*, *cum Commem. præcedentis et Virginis Deiparæ.*

DIE XXIX.

S. FRANCISCI SALESII,

EPISCOPI.

Duplex-minus.

De Communi Pontificum.

LECTIO II.

Franciscus in Castro Salésio, undè famíliæ cognómen, piis et nóbilibus paréntibus natus, à téneris annis morum innocéntiâ et gravitáte cláruit. Adolescens liberálibus disciplínis erudítus, mox Philosóphiæ et Theológiæ Parísiis, deindè utríque juri Patávii óperam dedit. In æde Lauretána perpétuæ virginitátis votum, quo pridem Parísiis se obstrínxerat, innovávit; à cujus virtútis propósito nunquam pótuit dimovéri. In Pátriam redux, recusátâ in Sabáudiæ senátu amplíssimâ dignitáte, Sacerdótio initiátus et Genevensis Ecclésiæ præpositúram adeptus est. A Granério Epíscopo, vindicandis ab hærési Calviniána Cabalicénsibus destinátus, hanc expeditiónem álacri ánimo suscépit, nullis labóribus aut perículis detérritus. His in locis, Thunóne máximè, cùm sacrum fácere non licéret, in arcem Ablingiánam quátuor milliáribus distantem se recípere, et Druéntiam amnem, innixus trabi quæ glácie plerúmquè obrigúerat, pédibus et mánibus reptans, trajícere cogebátur.

LECTIO III.

Plurima hóminum míllia, compluresque in eis doctrínâ célebres viros ad veritátis lumen addúxit. Undè ab hæréticis calúmniis impetítus; sæpè étiam ad ne-

cem conquisítus est. Suscepto regímine Paróchiæ quam Thunóne eréxerat, cùm eam regiónem dira lues depopularétur, ómnia ómnibus córporis et ánimæ subsídia amanter, constanter atque indústriè procurávit. In Coadjutórem ascítus à Granério Genevensi Epíscopo, Annecéii Seminárium Clericórum instítuit. Granério mórtuo, coegit Synodum; et ecclesiásticæ disciplinæ leges Clero sanxit. Multùm étiam Ecclésiæ prófuit, tum libris sincérum Dei amórem spirántibus conscriptis; tum Congregatiónis Moniálium Visitatiónis institutióne. Dum autem, recusáto Coadjutóris Parisiensis múnere, ad diœcésim lustrandam revértitur, Lugdúni apopléxiâ correptus, munítus sacramentis, óbiit die vigésimâ octávâ Decembris, anno ætátis quinquagésimo sexto, Christi millésimo sexcentésimo vigésimo secundo. Quem miráculis clarum Alexander séptimus Sanctórum albo inséruit; ejusque colendam memóriam státuit quarto Calendas Februárii, quo die Annecéii sepultus fúerat.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui ad animárum salútem beátum Franciscum Salésium Pontíficem ómnibus ómnia fíeri voluisti: concéde propítius, ut caritátis tuæ dulcédine perfúsi, ejus dirigéntibus mónitis, ac suffragántibus méritis, ætcrna gáudia consequámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Commem. de Vírgine Deipara.

In Vesperis, *Commem. sanctæ Bathildis, ut in Communi SS. Mulierum. Ant.* Exultávit. ℣. Averte, lxv. *Collecta,* Deus, in quem, lxix.

Deindè, de Vírgine Deipara.

DIE XXX.

SANCTÆ BATHILDIS,

REGINÆ.

Semiduplex.

LECTIO II.

Bathildis in Anglia, Sáxonum génere orta, à prædónibus Ercunvaldo Majóri domûs régiæ véndita, ab eo ad porrigenda sibi pócula adhíbita est; ac demum mórtuâ cónjuge, in uxórem expetíta. Quas illa ut vitáret núptias, látebras quæsívit; sed póstmodùm ob exímias córporis et ánimi dotes, ad Clodovéi secundi conjúgium insperátò pertráhitur. Tum páuperes et Ecclésias Clodovéo studiósè commendávit; quod ádeò gratum fuit príncipi, ut Genésium Abbátem, póstea

Lugdunensem Epíscopum, Regínæ piis opéribus exequendis adjutórem déderit. Mórtuo Clodovéo, trium filiórum, Clotárii, Childeríci, et Theodoríci, quorum natu máximus vix quintum annum attígerat, tutélam gessit; regnumque ac palátium, sapientíssimè moderáta est.

LECTIO III.

Multa præclárè sanxit. Simoníacas Ordinatiónes abolévit hortátu Sacerdótum: prohíbuit ne quis Christiános vénderet éxteris, aut álio vendendos abdúceret; plures étiam à servitúte suis súmptibus redémit. Effécit ut, Pontíficum et Abbátum stúdio, reguláris disciplína in monastériis aut servarétur, aut restituerétur. Corbéiæ ad Summínam cœnóbium extruxit; aliudque Calæ ad Mátronam, in quo, relictâ Clotário jam adulto regni administratióne, ipsa, suscepto religiónis hábitu, sub obediéntia Bertillæ Abbatíssæ, ómnibus exemplo et admiratióni fuit; ibique mórtua est ætátis suæ anno quinquagésimo quinto.

Collecta, Deus, in quem sperat omnis ánima quæ longè à te éxulans, LXIX.

Commem., de Virgine Deipara.

Ad Vesp. *fit à Capitulo de sequenti, cum Commem. præced. et Virg. Deip.*

DIE XXXI.

S. PETRI NOLASCI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Justorum.

LECTIO II.

Petrus Nolascus, propè Carcassónam nóbili génere natus, singulári in páuperes et míseros quoscumque caritáte, à téneris annis excélluit. Hæc vélnti innáta cum ipso, ità crevit miserátio, ut toto património in redimendis ab infidélium servitúte Christiánis consumpto, seipsum dénique pro iis liberandis venumíre summis in votis habúerit. Ut autem certióra infortunátis illis asséreret auxília, cœlesti, ut fertur, admónitus visióne, novum Ordinem, sub título beátæ Maríæ de mercéde, institúit, qui iis misericórdiæ opéribus totam in pósterum naváret óperam. Quod ut efficáciùs promovéret, illo se cum frátribus speciáli voto ligávit, ut ipsi in pignus sub infidélium potestáte manérent; quóties pro captivórum fidélium liberatióne opus fúerit.

LECTIO III.

Petrus in Regiónes à bárbaris occupátas profectus semel atque íterùm, qui votum Ordinis primus implére, captívos secum adduxit

quadringentos et ámpliùs, multosque ex infidélibus ad Christi fidem convertit. His felícibus inítiis crescens cum Petri nómine illíus Ordo, brevi plures in Hispánia domus obtínuit, undè et in Gálliis per diversas províncias propagátus est. A sancto Ludovíco invitátus Nolascus, in Occitániam venit, multaque cum Rege piíssimo, tum de Terra sancta, tum de Captivórum redemptióne hábuit consília, quæ per gravem morbum exéqui non lícuit. Tandem sénio et labóribus confectus, virtútum ómnium splendóre illustris obdormívit in Dómino.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beáto Petro zelum fidéles redimendi captívos infudisti; da servis tuis illam córporis et ánimæ libertátem, quâ Christus Fílius tuus nos liberávit; Qui tecum.

Commem. Vírginis Deíp.

Ad Vesp. *fit à Capítulo de sequenti, cum Commem. præced. Ant.* Tu fecisti. ℣. Innocens, LV. *Collecta*, Deus, qui, *ut suprà*.

Deindè S. Brígidæ Virg. Ant. Complácuit. ℣. Audi, LVII. *Collecta*, Fidéles tuos, LXII.

Ultimò de Vírgine Deípara.

FESTA FEBRUARII.

DIE I.

SANCTI IGNATII,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris.

LECTIO II.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

(Cap. 16.)

Ignatius Antiochénæ Ecclésiæ tértius post Petrum Apóstolum Epíscopus, commovente persecutiónem Trajáno, damnátus ad béstias, Romam vinctus míttitur. Cùmque návigans Smyrnam venisset, ubi Polycarpus audítor Joannis Epíscopus erat, scripsit unam epístolam ad Ephésios, álteram ad Magnesiános, tértiam ad Trallenses, quartam ad Romános: et inde egrédiens: scripsit ad Philadélphios et ad Smyrneos, et própriam ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclésiam, in qua et de Evangélio, quod nuper à me translátum est, super persóna

Christi ponit testimónium, dicens : Ego verò et post resurrectiónem in carne eum vidi.

LECTIO III.

Dignum autem vidétur, quia tanti viri fécimus, mentiónem, et de epístola ejus, quam ad Romános scribit, pauca pónere : De Syria usque ad Romam pugno ad béstias in mari et in terra, nocte dieque ligátus cum decem leopardis, hoc est, milítibus qui me custódiunt, quibus et cùm benefécer is, pejóres fiunt. Iníquitas eórum autem mea doctrína est; sed non idcircò justificátus sum. Utinam fruar béstiis quæ mihi sunt præparátæ, quas et oro mihi velóces esse ad intéritum et ad supplícia, et állici ad comedendum me ; ne, sicut et aliórum Mártyrum, non áudeant corpus attíngere. Quòd si veníre nolúerint, ego vim fáciam, ego me urgébo ut dévorer. Ignóscite mihi, filióli : quid mihi prosit, ego scio. Nunc incípio Christi esse discípulus; nihil de his quæ videntur desíderans, ut Jesum Christum invéniam. Ignis, crux, béstiæ, confráctio óssium, membrórum divísio, et totíus córporis contrítio, et tota tormenta diáboli in me véniant; tantùm Christo fruar. Cùmque jam damnátus esset ad béstias, et rugientes audíret leónes, ardóre patiendi ait : Frumentum Christi sum; déntibus bestiárum molar, ut panis mundus invéniar. Passus est anno undécimo Trajáni. Relíquiæ córporis ejus Antiochíæ jacent extra portam Daphníticam, in cœmetério.

Collecta, Omnípotens, XII.

Fit Commem. S. Brigidæ. Ant. Exultábit, LXII. ℣. Sitívit, LXI. *Collect.* Fidéles, LXII.

Ultimò de Virgine Deip.

Vesperæ *de Sequenti.*



PENTECOTE

DIE II.

IN PRÆSENTATIONE DOMINI,

ET

PURIFICATIONE B. MARIÆ V.

ANNUALE-MINUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 3. a. Exulta, fília Sion : ecce Rex tuus véniet tibi justus, et salvátor. *Zach.* 9.

Ant. 1. f. Véniet Desiderátus cunctis géntibus; et implébo domum istam glóriâ, dicit Dóminus. *Agg.* 2.

Ant. 5. C. Magna erit glória domûs istíus novíssimæ plusquàm primæ, et in loco isto dabo pacem. *Agg.* 2.

Ant. 6. F. Qui adhærent Dómino, ut colant eum, addúcam eos, et lætificábo eos in domo oratiónis meæ. *Is.* 56.

Ant. 7. a. Aperíte portas, et ingrediátur gens justa, custódiens veritátem. *Is.* 26.

Capitulum. (*Malach.* 3.)

Ecce ego mitto Angelum meum, et præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet ad templum suum Dominátor quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dóminus exercítuum.

℟. Ex Sion spécies decóris ejus; Deus manifesté véniet * Congregáte illi sanctos ejus, qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia. ℣. Umbram habens lex futurórum bonórum, hóstiis quas ófferunt, nunquam potest accedentes perfectos fácere : * Congregáte. Glória Patri. * Congregáte. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Ps.* 49. *Hebr.* 10.

HYMNUS.

Templi sacrátas pande, Sion, fores;
Christus sacerdos intrat et hóstia :
Cedant inánes veritáti
Quæ se ánimis áperit, figúræ.

Non immolandi jam pécudum greges;
Fumábit ater non cruor ampliùs :
En ipse placando Parenti
Ipse suis Deus astat aris.

Virgo latentis cónscia Núminis,
Demissa vultus, quem péperit Deum,
Hunc gestat ulnis, pauperumque
Múnera fert, téneras volúcres.

Hic omnis ætas, omnis et ástitit
Sexus propinquo Númine plénior:
Omnes anhelantis tot annos
Nunc fídei prétium reportant.

Testes tot inter magnánimos, Deus,
Tibi litábat firma siléntio
Verbi siléntis muta mater;
Cuncta ánimo pénitùs premébat.

Sit summa Patri, summaque Fílio,
Sanctoque compar glória Flúmini:
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu.
Amen.

℣. Confessio et pulchritúdo in conspectu ejus: ℟. Sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus. *Ps.* 95.

Ad Magníficat, *Ant.* J. *duplicanda.* Ecce Dominátor quem quæritis, et purgábit fílios Levi quasi aurum: et erunt Dómino offerentes sacrifícia in justítia, et placébit Dómino sacrifícium. *Malach.* 3.

Collecta, Omnípotens, *ut infrà ad Laudes.*

Nulla fit Commem.

AD COMPLETORIUM

Psalmi et Capit. de Feria.

Ant. 2. D. In ipso vita erat, et vita erat lux hóminum, et lux in ténebris lucet. *Joan.* 1.

Hymn. Virgíneis títulis, *in Ordinario*, 167.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 5. a. Salutáre tuum parasti, Dómine, lumen ad revelatiónem géntium, et glóriam plebis tuæ Israel. *Luc.* 2.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Ecce venit ad templum suum dominátor Dóminus: * Veníte, adorémus. *Malach.* 3.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Fumant Sabæis templa vapóribus;
Nos sacra poscunt: jam præit hóstia:
Sequámur omnes, et vicissim
Puro ánimo mémores litémus

Lumen ministret splendídior fides:
Ministret ignes flámmea cáritas;
Fundatque divínos odóres
Innócuæ bona fama vitæ.

Vitæ nocentis quid trahimus moras?
Sit fas beáto cum sene cómmori;
Ut quem sub aris immolátum

Vídimus, hoc étiam fruámur.
Sit summa Patri, summaque Fílio,
Sanctoque compar glória Flámini:
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 39. Expectans, *cum sua divisione,* 116.

Ant. 2. D. Ecce vénio, ut fáciam Deus, voluntátem tuam : Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Ps. 44. Eructávit, 137.

Ant. 5. a. Speciósus formâ præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis; proptéreà benedixit te Deus in æternum.

Ps. 45. Deus noster refúgium, 138.

Ant. 1. f. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

℣. Deus in dómibus Sion cognoscétur, ℟. Cùm suscípiet eam. *Ps.* 47.

LECTIO I.

De libro Exodi.

(Cap. 13.)

Ait Móyses ad pópulum : Cùm introdúxerit te Dóminus in terram Chananæi, sicut jurávit tibi et pátribus tuis, et déderit tibi eam, separábis omne quod áperit vulvam, Dómino, et quod primitívum est in pecóribus tuis : quidquid habúeris masculíni sexûs, consecrábis Dómino. Primogénitum ásini mutábis ove : quòd si non redémeris, interfícies. Omne autem primogénitum hóminis de fíliis tuis prétio rédimes. Cùmque interrogáverit te fílius tuus cras, dicens : Quid est hoc? Respondébis ei : In manu forti eduxit nos Dóminus de terra Ægypti, de domo servitútis. Nam cùm indurátus esset Phárao, et nollet nos dimíttere, occídit Dóminus omne primogénitum in terra Ægypti, à primogénito hóminis usque ad primogénitum jumentórum : idcircò ímmolo Dómino omne quod áperit vulvam masculíni sexûs, et ómnia primogénita filiórum meórum rédimo.

℟. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens : * Sanctífica mihi omne primogénitum in fíliis Israel. ℣. Tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini : * Sanctífica mihi. *Exod.* 13. *Luc.* 2.

LECTIO II.

De libro Levítici.

(Cap. 12.)

Locutus est Dóminus ad Móysen, dicens : Lóquere fíliis Israel, et dices ad eos : Múlier, si pepérerit másculum immunda erit septem diébus, juxta dies separatiónis ménstruæ. Et die octávo

circumcidétur infántulus : ipsa verò triginta tribus diébus manébit in sánguine purificatiónis suæ. Omne sanctum non tanget; nec ingrediétur in sanctuárium, donec impleantur dies purificatiónis suæ. Sin autem féminam pepérerit, immunda erit duábus hebdomádibus juxta ritum fluxûs ménstrui, et sexaginta sex diébus manébit in sánguine purificatiónis suæ. Cùmque expléti fúerint dies purificatiónis suæ pro fílio, sive pro fília, déferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive túrturem, pro peccáto, ad óstium tabernáculi testimónii, et tradet sacerdóti qui ófferet illa coram Dómino, et orábit pro ea; et sic mundábitur à proflúvio sánguinis sui. Ista est lex parientis másculum aut féminam. Quòd si non invénerit manus ejus nec potúerit offerre agnum; sumet duos túrtures, vel duos pullos columbárum, unum in holocaustum, et álterum pro peccáto; orabitque pro ea sacerdos, et sic mundábitur.

℟. Múlier, cùm expléti fúerint dies purificatiónis suæ déferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive túrturem pro peccáto : quòd si non potúerit offerre agnum, sumet * Par túrturum, aut duos pullos columbárum. ℣. Postquàm impléti sunt dies purgatiónis Maríæ, detulerunt hóstiam secundùm quod dictum est in lege Dómini. * Par túrturum. *Levit.* 12. *Luc.* 2.

LECTIO III.

De Zacharía Prophéta.

(Cap. 2.)

Lauda, et lætáre, fília Sion; quia ecce ego vénio, et habitábo in médio tuî, ait Dóminus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, et erunt mihi in pópulum, et habitábo in médio tuî, et scies quia Dóminus exercítuum misit me ad te. Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terra sanctificáta, et éliget adhuc Jerúsalem. Síleat omnis caro à fácie Dómini, quia consurrexit de habitáculo sancto suo.

℟. Majestas Dómini ingressa est templum per viam portæ quæ respiciébat ad orientem; * Et ecce repléta erat glóriâ Dómini domus. ℣. Induxérunt púerum Jesum in templum parentes ejus; * Et. Glória. *Repetitur* ℟. Majestas Dómini, *usque ad* ℣. *Ezech.* 43. *Luc.* 2.

IN II.° NOCTURNO.

In Ps. 47. Magnus Dóminus, 139, *Ant.* 8. G. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui.

In Ps. 83. Quàm dilecta, 98, *Ant.* 6. F. Benedictiónem

dabit legislátor; ibunt de virtúte in virtútem : vidébitur Deus deórum in Sion. *Ps.* 84. Benedixisti, Dómine, 53. *Ant.* 4. E. Misericórdia et véritas obviavérunt sibi : justítia et pax osculátæ sunt. *Ps.* 84.

℣. Prope timentes Dóminum salutáre ipsíus; ℟. Ut inhábitet glória in terra nostra. *Ps.* 84.

Benedictiones de Domino.

LECTIO IV.

Sermo sancti Gregórii Nysséni.

(De occursu Domini.)

Quando circa primitívum præsentis festi tempus, is qui in forma divína existens, formam servi assúmpserat, Dei et hóminum mediátor factus, legále præceptum éxequens, quadraginta dies natus infans, sempiternum illud Verbum, unà cum Genitríce convenientem atque præscriptam hóstiam portante, ad templum pergébat; incorporeórum spiríituum órdines, servíliter cervícem flectentes, invisibíliter Deo convenientem pompam parábant, et ineffábilis sapiéntiæ pélagus venerabantur; atque ejus quæ óbvia est, legális lítteræ constitutiónis expletiónem, pro mystérii in Deo ómnium creatóre abscónditi manifestatióne, expectábant. Cujus nos mystérii memóriam hódie celebrantes, spirituálibus speculatiónibus, incorporeárum méntium more, nosmet oblectémus.

℟. Hóstiæ non possunt perfectum fácere serviéntem, solúmmodò in justítiis carnis usque ad tempus correctiónis impósitis, nunc autem * Ad destitutiónem peccáti per hóstiam suam Christus appáruit. ℣. Quò mihi multitúdinem victimárum, dicit Dóminus? plenus sum; ne offerátis ultrà sacrifícium frustrà : * Ad destitutiónem. *Heb.* 9. *Is.* 1.

LECTIO V.

Jam quidem carnem indútus Deus, primogénitam diáboli sóbolem, id est peccátum, enecárat páriter ac aboléverat; atque simul ac carne natus est, malítiæ damnatiónem decernens, ejusque in se omnímodam abolitiónem fáciens, adversárias virtútes lamentis oppléverat, tanquàm vasa quædam ab iis áuferens, Magos ab Oriente profectos; suique eos domínii adoratióne ac agnitióne, vasa apta Dómino reddens, in subsídium ædificatiónis Ecclésiæ, à Deo revérà confecti tabernanáculi illíus, quod Dóminus fixit, et non homo.

℟. Sacrifícium et oblatiónem noluisti, aures autem perfecisti mihi : * Holocaustum et pro peccáto non postulasti; tunc dixi, Ecce vénio. ℣. Impossíbile est

sánguine taurórum et hircórum auferri peccáta : ídeò Christus ingrédiens mundum dicit : * Holocaustum. *Ps*. 39. *Hebr*. 10.

LECTIO VI.

Deo et Patri, nedum primogénita hóminum, sed et universum ipsum sanctificat genus, per eas quas in se assumpsit massæ nostræ primítias, id est, per carnem ánimâ intelligente præditam, à nobis acceptam; totam humánæ natúræ massam ad sanctificatiónem novo velut fermento conspergens. Nam et ego nunc méritò díxerim, sicut divínus ait Apóstolus : Si primítiæ sanctæ, et massa. Ac quemádmodùm olim legis sermo tribum illam, cui sacerdótii munus obtígerat, pro primogenitórum primítiis typicè Deo offerébat; ita nunc in spléndido veritátis caractére Pontíficem et Apóstolum nostræ confessiónis sanctum illum et innocentem, impollutumque, ac segregátum ab ómnibus sórdibus et cogitatiónibus peccatóris, Deo et Patri corporáliter, pro ea quæ ei per fidem sanctificáta est humánâ natúrâ, oblátum esse intellígimus.

℟. Deus fílium suum mittens in similitúdinem carnis peccáti, et de peccáto damnávit peccátum in carne, * Ut justificátio legis impleรétur in nobis. ℣. Oblátus est : justificábit ipse Justus multos : et ipse peccáta multórum tulit; * Ut. Glória. Deus. *Rep*. ℟. Deus, *usque ad* ℣. *Rom*. 8. *Is*. 53.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 86. Fundamenta, 140,

Ant. 5. C. Numquid Sion dicet : Homo natus est in ea; et ipse fundávit eam Altíssimus?

Ps. 95. Cantáte.... omnis terra, 39, *Ant*. 7. ç. Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus, adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Ps. 98. Dóminus regnávit, 41.

Ant. 3. à. Adoráte Deum, omnes Angeli ejus : audívit, et lætáta est Sion.

℣. Sicut audívimus, sic vídimus ℟. In civitáte Dómini virtútum. *Ps*. 47.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 2.)

In illo témpore : Postquàm impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secundùm legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homilia sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Luc. Lib. 2, c. 2, n. 55, 56, 57 et 58.)

Factus est sub lege Christus, ut eos qui sub lege es-

sent, lucrifáceret. Sístitur in Jerúsalem. Vides omnem legis véteris sériem fuisse typum futúri. Omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur; verbis enim legis promittebátur vírginis partus, et verè sanctus, quia immaculátus. Solus enim per ómnia ex natis de fémina sanctus Dóminus Jesus, qui terrénæ contágia corruptélæ immaculáti partûs novitáte non sénserit, et cœlesti majestáte depúlerit. Et ecce homo erat in Jerúsalem, cùi nomen Símeon; et homo iste justus et timorátus, expectans consolatiónem Israel. Non solùm ab Angelis et Prophétis, à pastóribus et paréntibus, sed étiam à senióribus et justis generátio Dómini áccipit testimónium. Omnis ætas, et uterque sexus, eventorumque mirácula fidem ástruunt. Virgo génerat, stérilis parit, mutus lóquitur, Elízabeth prophétat, Magus adórat, útero clausus Joannes exultat, vídua confitétur, justus expectat.

℟. Homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon: * Et iste justus et timorátus responsum accéperat à Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi priùs vidéret Christum Dómini. ℣. Véniet, et non tardábit; jústus autem in fide sua vivet. * Et iste. *Luc.* 2. *Habac.* 2.

LECTIO VIII.

(N. 58 et 59.)

Et bene justus, qui non suam, sed pópuli grátiam requirébat, cúpiens ipse corpóreæ vínculis fragilitátis absolvi, sed expectans vidére promissum: sciébat enim quia beáti óculi qui eum vidérent. Et accépit eum in mánibus suis, et benedixit Deum, et dixit: Nunc, Dómine, dimitte servum tuum in pace. Vide justum velut corpóreæ cárcere molis inclúsum, velle dissolvi. Dissolvi enim multò mélius est. Sed qui vult dimitti, véniat in templum, véniat in Jerúsalem, expectet Christum Dómini, accípiat in mánibus Verbum Dei: complectátur, velut quibusdam fídei suæ bráchiis, opéribus suis: tunc dimittétur, ut non vídeat mortem, qui víderit vitam.

℟. Cùm indúcerent púerum Jesum parentes ejus, ut fácerent secundùm consuetúdinem legis pro eo, Símeon * Accépit eum in ulnas suas. ℣. Desidérium cordis ejus tribuisti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudasti eum. * Accépit. *Luc.* 2. *Ps.* 20.

LECTIO IX.

(N. 60.)

Vides úberem in omnes grátiam, Dómini generatióne diffúsam, et prophe-

tíam incrédulis negátam esse, non justis. Ecce et Símeon prophétat in ruínam et resurrectiónem plurimórum venisse Dóminum Jesum Christum, ut justórum iniquorumque mérita discernat, et pro nostrórum qualitáte factórum, Judex verus et justus aut supplícia decernat, aut præmia.

℟. Benedíxit Deum Símeon, et dixit: * Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secundùm verbum tuum, in pace; † Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. ℣. Expectans expectávi Dóminum, et intendit mihi: et exaudívit preces meas, et immísit in os meum cánticum novum: * Nunc. Glória. † Quia. *Repet.* ℟ *usque ad* ℣. *Luc.* 2. *Ps.* 39.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Magnus Dóminus, et laudábilis nimis in civitáte Dei nostri, ℟. In monte sancto ejus. *Ps.* 47.

AD LAUDES.

Psalmi de Domínica.

Ant. 1. a. Erat pater Jesu et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. *Luc.* 2.

Ant. 3. à. Benedixit illis Símeon, et dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam, et in resurrectiónem multórum in Israel. *Luc.* 2.

Ant. 4. E. Pósitus est in signum cui contradicétur; (et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius) ut revelentur ex multis córdibus cogitatiónes. *Luc.* 2.

Ant. 7. d. Erat Anna.

CANTICUM.

(Sophon. 3.)

LAUDA, fília Sion, júbila, Israel: * lætáre, et exulta in omni corde, fília Jerúsalem.

Abstulit Dóminus judícium tuum, * avertit inimícos tuos.

Rex Israel Dóminus in médio tuî: * non timébis malum ultrà.

In die illa dicétur Jerúsalem: Noli timére; * Sion, non dissolvantur manus tuæ.

Dóminus Deus tuus in médio tuî, fortis; * ipse salvábit.

Gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, * exultábit super te in laude.

Ant. Erat Anna prophetissa; et hæc vídua usque ad annos octoginta quátuor: et hæc ipsâ horâ supervéniens, confitebátur Dómino. *Luc.* 2.

Ant. 6. C. Loquebátur de Jesu ómnibus qui expectábant redemptiónem Israel. *Luc.* 2.

Capitulum. (*Coloss.* 1.)

MYSTERIUM quod abscónditum fuit à séculis et generatiónibus, nunc manifestá-

tum est sanctis ejus, quibus vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacramenti hujus.

HYMNUS.

Qui sacris hódie sístitur aris,
Stat signum pópulis ómnibus Infans;
Idem Judáicæ glória gentis,
Et toti nova lux áddita mundo.

Plausus insólitos audit uterque,
Miraturque parens: vota faventûm
Votis excípiunt, et sua lætis
Gratantûm omínibus gáudia miscent.

Afflatæ súbitò Númine mentes
Vix sese cápiunt; spesque salútis
Hàc inclúsa tenus corde sub imo,
Ipsis jam mánibus prensa tenétur.

Quem vidére procul mente Prophétæ,
Nunc te das óculis, Christe, fruendum:
Mox idem féries, ora resolvens,
Dictis attónitas grándibus aures.

Si nostris modò te sénsibus aufers,
Horum firma fides súppleat usum;
Hàc te, Christe, manu tángere fas est:
In templis résides nunc quoque nostris.

Æterno sit honor lausque Parenti:
Qui placáre paras víctima Patrem,
Æquális tibi sit glória, Nate:
Ambórum símilis laus sit Amóri. Amen.

℣. Annúntient in Sion nomen Dómini, ℟. Et laudem ejus in Jerúsalem. *Ps.* 101.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. *duplicanda.* Ut perfecérunt pater Jesu et mater ómnia secundùm legem Dómini, reversi sunt in Galilæam, in civitátem suam Názareth. *Luc.* 2.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens sempiterne Deus, majestátem tuam súpplices exorámus; ut sicut unigénitus Fílius tuus hodiernâ die cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus, ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári; Per eumdem.

Ad Horas, *in fine Hymnorum dicitur Doxol. sequens:*

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Erat.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María vírgine. *Matth.* 1.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. *duplicanda.* Sanctificáti per oblatiónem córporis Jesu Christi, accedámus et ipsi domus spirituális, sacerdótium sanctum, offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum. *Hebr.* 10. 1. *Petr.* 2.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

Ad Complet. *Ps. et Capit. de Dominica. Cetera ut heri.*

DIE III.

SANCTI BLASII,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris.

Lect. duæ priores de Scriptura occurrente, è tribus fiunt duæ; et sic in Simplicibus.

LECTIO III.

Blasius, Epíscopus Sebasténus in Arménia, pro Christo martyr occúbuit. Illíus cultum apud orientáles Ecclésias celebérrimum jam ab antíquis tempóribus fuisse patet ex vetustíssimis eórum menológiis. Non minùs célebris fuit per omnes Occidentis, et maximè Galliárum Ecclésias sancti Blásii memória, pópulis úndique ad ejus patrocínium onfugiéntibus, ex eo máximè témpore quo sancti Mártyris relíquiæ huc illuc per Itáliam et Gálliam váriè translátæ sunt.

Collecta, Deus, cujus grátia, XIII.

Vesperæ *de sequenti.*

DIE IV.

B. JOANNÆ VALESIÆ,

REGINÆ FRANCIÆ, DEINDE MONIALIS.

Semiduplex.

De Communi SS. Mulierum, exceptis quæ sequuntur.

In I. Vesp. *Psalmi sub sola Ant.* Dómine, qui habes, LXIV.

Post Hymnum, ℣. Nomen Dómini spes ejus; ℟. Et non respexit in vanitáte[s] et insánias falsas. *Ps.* 39.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E Cùm deposuisset vestes régias, flétibus et lúctui apt[a] induménta suscépit, dicens Dómine, tu scis quòd abó[minor] signum supérbiæ e[t] glóriæ meæ. *Esther* 14.

Collecta, Deus, qui beá[tam], *infrà.*

Ad Noct. *Lectio I de Scrip[tura] occurrente; ex tribu[s] una.*

LECTIO II.

Joanna Valésia Ludovi[ci] undécimi Fránciæ Regis f[i]lia, non dúbia futúræ san[c]titátis, vel à teneriórib[us] annis præbuit indícia. Adu[l]ta jubente patre nupsit L[u]dovíco Aurelianénsium D[u]ci, qui pósteà regnum ade[p]tus, à sede Apostólica ob[ti]nuit, ut matrimónium qu[od] metu contráxerat, írritu

declararétur. Gravi vínculo solúta Joanna, uni Deo deinceps placére studiósa, totam se pietátis ac misericórdiæ opéribus mancipávit. Bituricensis Ducátûs sibi à rege assignátos réditus, alendis paupéribus, curandis ægrótis ædificandisque Monastériis profúsè erogábat. Ut suum erga Deíparam vírginem, quam ab infántiâ singulári devotióne colúerat, amórem testarétur, instítuit sub título Vírginis, Annuntiátæ sacrárum Vírginum cœtum, quæ sédulâ sanctíssimæ Dei genitrícis imitatióne, præcípuas ejus virtútes in se exprímere curárent.

LECTIO III.

Egenos ac míseros omnes ad se confugientes, maternis complectebátur viscéribus; ægrótos imprímis, quorum úlcera et saniem própriis mánibus contrectáre ac tergere non refugiébat, restitútâ non semel eo contactu iisdem sanitáte. Ad sanctíssimum Eucharístiæ sacramentum, eâ accedébat pietáte, ut ejusdem devotiónis sensus in astántium ánimis excitáret. Intra doméstìcum hortum Christi sepulcrum constrúxerat, ubi frequenter in preces et lácrymas effúsa, Domínicæ passiónis mystéria recolébat. Vitæ demùm innocentíssimè actæ finem quadragenária præséntiens, sacramentis muníta, cumulátaque méritis Bitúrici óbiit. Ejus cultum à Benedicto décimo quarto pro Minórum Ordine approbátum, extendit Pius sextus ad omnes Christi fidéles intra Regis Christianíssimi ditiónes.

Ad Laudes, *post Hymnum*. ℣. Induébar cilício; ℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Ps.* 34.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. f. Cum puellis suis clausa morabátur; et habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ. *Judith* 8.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátam Joannam Valésiam, è cadúci honóris fastígio, ad crucis humilitátem vocasti, et pro temporáli coróna, Spíritûs tui donis, virtutumque splendóre illustrem effecisti; ejus méritis et intercessióne tríbue, ut spretis mundi illécebris, Christum sequi valeámus; Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejusdem.

Ad Vesperas, *fit à Capitulo de S. Agatha, ut in Communi Virginum, Collect.* Omnípotens, LXI.

Pro Commem. S. Joannæ. Ant. Véniens ad te curvi fílii eórum qui humiliavérunt te, et adorábunt vestígia pedum tuórum. *Isaiæ* 60.

℣. Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam, ℟.

℟. De lápide pretióso. Ps. 20.

Collecta, Deus, qui, *suprà*.

DIE V.

SANCTÆ AGATHÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

Agatha virgo, quam Panormitáni et Catinenses civem suam fuisse contendunt, gloriósi martyrii corónam sub Décio Imperatóre consecúta est. Carmen scripsit de ea sanctus Dámasus papa, qui toto ferè sæculo quarto vixit. Quo in cármine vírginem exímiam canit génere claram, elegantem spécie, móribus elegantiórem et fide, terréna próspera nihil reputasse, ut Dei jussis obtemperáret : aitque illam trúcibus fortiórem viris, membra sua flagris exposuisse, acerbum mamillæ tortæ dolórem válido péctore tolerasse; cùmque à beáto Petro recreáta in cárcere fuisset, lætiórem inde ac magis flagrantem, ad flagella cuncta alácriter cucurrisse.

LECTIO III.

Addit sanctus Póntifex beátæ Mártyris ope servátam ab igne fuisse ethnicórum turbam. Légitur in Actis ejus pagános, anno vertente à martyrio sanctæ vírginis, confugisse ad ejus túmulum, et velo quo túmulus obtegebátur oppósito, ignem repressisse, qui ab Æthna monte exundábat. Catínæ velum illud asservári créditur : mosque solemnis ac pius civitátis est, ubi Æthna mons ignes évomit, flammis erumpéntibus id velum objícere, quo non semel sedátæ leguntur.

Collecta, Omnípotens sempiterne Deus, LXI.

In Vesp. *Commem. S. Vedasti, Episc. Ant.* Elégit. ℣. Beátus, XXII. *Collecta*, Deus, qui pópulis, XXVI.

DIE VI.

SANCTI VEDASTI,

EPISCOPI.

Simplex.

LECTIO III.

Vedastus, ex Aquitánia, ut créditur, in fínibus Petrocorénsium et Lemovicénsium oriundus, relictis ab adolescéntia paréntibus et prædiis amplíssimis, solitáriam Tulli Leucórum vitam ducébat, cùm Clodovéus, devictis Germánis, Remos ad beátum Remígium baptizandus véniens, eum cómitem ascívit, ut in itínere fídei rudimentis ab ipso imbuerétur. Remis aliquándiu commorátus, atque à Remígio Atrébatum Epíscopus factus, multos éthnicos Christo acquisívit. Ecclésias erexit, in quibus constítuit

Presbyteros et Diáconos. In páuperes liberális fuit, divítibus affábilis; quos ut suáviùs ad Christum allíceret, ab eórum étiam convíviis non abstínuit. Exactis in pontificátu annis quadraginta, febre correptus, et sacro córporis et sánguinis Christi viático confirmátus, clarus miráculis ánimam Deo réddidit.

Collecta, Deus, qui pópulis, xxvi.

DIE VIII.

S. JOANNIS DE MATHA,

PRESBYTERI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Presb.

Pridiè AD VESP. *psalmi sub sola Ant.* Locútus est.

LECTIO II.

JOANNES, cui de Matha cognómen, in província Narbonensi secunda, Falcóne natus est à paréntibus pietáte et nobilitáte conspícuis. Studiórum causâ primùm Aquas-Séxtias, et pósteà Parísios profectus, emenso Theológiæ currículo, Magistérii láuream adeptus est. Présbyter ordinátus, cùm in ejus sacello primum sacrifícium offerret, divinitùs inflammátum se sensit ad redimendos ab infidélium servitúte captívos. Ut tamen matúriùs in re tanta procéderet, in solitúdinem quamdam Meldensis Episcopátûs secessit, ibique initâ societáte cum Felíce Eremíta, qui illic jam ab annis plúribus vitam agébat ascéticam, per triénnium, oratióne et jejúnio, humilitáte et obediéntiâ se exércuit. Romam cum Felíce profectus, ab Innocéntio tértio facultátem impetrávit sese et suos redimendis captívis devovendi. Céterùm Parísios ad Epíscopum et Abbátem sancti Victóris remissus, ut communicáto cum eis consílio, vitæ órdinem institutumque selígeret, regulamque sóciis, quam sequerentur, perscríberet.

LECTIO III.

ITAQUE Felíce in prístinam solitúdinem remeante, ut sócios congregáret, et exemplis régeret, Joannes Parísios ad Epíscopum, de modo ordinandæ famíliæ tractatúrus, accédit; ac tandem compósitis ex senténtia rebus ómnibus, ad Felícem revértitur. Tunc ædificátâ conjunctis curis Ecclésiâ, primum Ordinis monastérium sub nómine et cliëntéla sanctíssimæ Trinitátis constítuunt. Régulâ autem ab Apostólica Sede confirmátâ, non multò post institútum Parísiis; in domo sancti Mathuríni receptum est. Ab eo témpore Joannes innúmera per Itáliam, Gál-

liam et Hispánias ædificávit cœnóbia, et captivórum immensam multitúdinem per se et per Ordinis alumnos in libertátem assérnit. Dénique Romæ plenus opéribus bonis, óbiit die vigésimâ-primâ Decembris anno millésimo ducentésimo décimo tértio.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beáto Joanni Presbytero, ac sóciis ejus zelum fidéles redimendi captívos infudisti: da servis tuis illam córporis et ánimæ libertátem, quâ Christus Fílius tuus nos liberávit; Qui tecum vivit et regnat in unitáte spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula séculórum.

℟. Amen.

Ad Vesperas, *pro Commem. sanctæ Apolloniæ, Virg. et Mart. Ant.* Infirma. ℣. Deus præcinxit, LVII. *Collecta,* Deus, qui inter cétera, LXI.

DIE IX.

SANCTÆ APOLLONIÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Simplex.

LECTIO III.

Ex Epístola sancti Dionysii Alexandríni, ad Fábium Antiochénum.

(Eus. Hist. Lib. 6, cap. 41.)

Nequaquam ex Décii Imperatóris edicto persecútio apud nos cœpta est, sed íntegro anno antevérterat. Nam infaustus quidam vates ac poéta commóvit Alexandriæ advérsùs nos gentílium turbas. Ab illo ígitur stimuláti, hanc solam pietátem cultumque dæmonum suórum existimábant, si cædibus adversùs nostros sævírent. Itaque admirandam illam provectæ jam ætátis vírginem Apollóniam tunc comprehendérunt; et maxillas quidem ejus percutientes, cunctos ei dentes excussérunt. Accenso autem extra urbem rogo, minabantur vivam se illam combustúros, nisi unâ cum ipsis ímpia verba pronuntiáret. At illa véniam deprecári paulisper visa, atque ínterim dimissa, celériter in ignem insíliit, et conflagrávit.

DIE X.

SANCTÆ SCHOLASTICÆ,

VIRGINIS.

Semiduplex.

De Communi Virginum.

Pridiè Ad Vesp. *Ant. sola* Quid Dómini.

LECTIO II.

Scholastica Benedicti Abbátis soror, Deo ab infántiæ témpore dedicáta, ad fratrem quotannis veníre consuéverat, ut ejus sacris collóquiis fruerétur. Ad hanc vir Dei non longè extra

jánuam in possessióne monastérii descendébat. Quâdam verò die, cùm diútiùs eum apud se retinére vellet, et ille non acquiésceret, insertas dígitis manus ad oratiónem super mensam pósuit, ut Deus fratris mentem inflécteret. Tantaque súbitò tonítrui vis, et inundátio plúviæ erúpit, ut Benedictus pedem extra limen efferre non posset. Sicque factum est ut totam noctem pervígilem in spirituáli collóquio transígerent.

LECTIO III.

Hinc reversus ad cellam Benedictus, post tríduum elevátis óculis, vidit ejúsdem soróris suæ ánimam in columbæ spécie cœli secréta penetráre. Qui ex hac visióne óbitum ejus intélligens, prótinus fratres misit, qui corpus ejus ad monastérium suum deferrent, et in sepulcro quod sibi paráverat, pónerent.

Collecta, Fidéles tuos, LXII.

Ad Vesperas, *fit à Capitulo de sequenti, ut in Communi Abbatum, cum Commem. præcedentis.*

DIE XI.

SANCTI BENEDICTI,

ANIANENSIS ABBATIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

Benedictus Anianensis disciplínæ monásticæ per totum ferè Occidentem instaurátor, patre Magalonensi Cómite natus, in aula Pipíni Regis disciplínis liberálibus institútus; sub ejus fílio Cárolo magno, aliquándiù in castris et in aula, cum summa laude méruit. Nec multò post ad sancti Séquani monastérium in Burgundiónibus se cóntulit. Ibi, suscepto religiónis hábitu, cùm Mónachi in locum defuncti Abbátis, ipsum substitúere cogitárent, abscessit in pátriam : et in paterno solo excitátâ céllulâ ad rivum Aniánum cum frátribus áliquot sanctíssimè vixit. Verùm confluéntibus ad eum úndiquè discípulis, monastérium áliud in loco spatiosióre, (nunc urbe Aniána) ædificáre coactus est, in quo trecentos mónachos et ámpliùs congregávit; ex quibus plúrimi in Epíscopos et Abbátes delecti sunt.

LECTIO III.

A Ludovico Pio, imperatóre et Francórum rege, vir Dei accítus, ductis ab Anianensi Cœnóbio mónachis, tránstulit se in monastérium sancti Cornélii ad Indum, non longè ab Aquisgráno, quod imperátor ædificandum curáverat, ut ejus ope et consíliis uterétur. Plúrima monastéria in Gálliis et Germánia, Imperatóris jussu reformávit, quædam de no-

ve fundávit. Plura erudítè scripsit, inter quæ éminet Concórdia regulárum. Officii divíni recitatiónem nunquàm intermísit, étiam acutíssimâ febre correptus, et ipsâ instante morte. Psallensque cum frátribus, ad hæc verba : Fac cum servo tuo secundùm misericórdiam tuam; annum agens septuagésimum, ánimam Deo réddidit, in Indensi monastério, ubi corpus ejus requiescit.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Benedictum Abbátem Spíritûs tui fervóre et disciplínæ zelo replétum, reguláris observántiæ instauratórem strénuum effecisti; da nobis, ejus méritis et intercessióne, ut reformáti in novitáte sensûs nostri, et in sancta conversatióne viventes, viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem.

DIE XVI.

SANCTI ONESIMI,

DISCIPULI SANCTI PAULI, EPISCOPI ET MARTYRIS.

Simplex.

De Communi unius Martyris, exceptis quæ sequuntur.

In I. Vesperis, *post Hymnum*, ℣. Orátio mea in sinu meo convertétur; ℟. Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam. *Ps.* 34.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Obsecro te pro meo fílio, quem génui in vínculis, Onésimo. Tu illum ut mea víscera súscipe. *Philem.* 10 *et* 12.

Collecta, Deus, qui beátum, *infrà*.

LECTIO III.

Onesimus servus Philemónis, relicto Dómino suo, ad Apóstolum Paulum Romæ captívum se cóntulit, à quo benignè susceptus, ac fidem edoctus, baptizátus est. Eídem Apóstolo in cárcere ministrávit, donec ipsi visum est eum ad Philemónem remíttere cum Epístola, in qua inter cétera quæ de ipso dicit, hanc de eo honorífícam habet mentiónem : Obsecro te pro meo fílio quem génui in vínculis, Onésimo, qui tibi aliquando inútilis fuit, nunc autem et mihi, et tibi útilis, quem remísi tibi. Tu autem illum, ut mea víscera súscipe. Fórsitan enim ídeò discessit ad horam à te, ut æternum illum recíperes, jam non ut servum, sed pro servo caríssimum fratrem, máximè mihi; quantò autem magis tibi, et in carne, et in Dómino. Si ergo habes me sócium, súscipe illum sicut me. Misit quoque ídem Apóstolus per

Onésimum Epístolam quam scripsit ad Colossenses. Tradunt eum Epíscopum fuisse ordinátum, et pro Christo Martyrium subiisse sub Domitiáno.

Ad Laudes, *post Hymnum*, ℣. Súscitans Dóminus à terra ínopem; ℟. Ut cóllocet eum cum princípibus pópuli sui. *Ps.* 112.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. E. Súscipe illum, jam non ut servum, sed pro servo caríssimum fratrem. *Philem.* 16.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Onésimum in vínculis Apóstoli Pauli Evangélio génitum, caríssimum illi fratrem et fidélem ministrum in ejusdem Evangélii opus sociasti; da Ecclésiæ tuæ, ut quos Christo fílios adoptiónis párturit, illos æternum recípiat Apostólicâ prece beátos; Per eumdem Dóminum.

DIE XVIII.

SANCTI SIMEONIS,

EPISCOPI HIEROSOLYMITANI, ET MARTYRIS.

Semiduplex.

Pridiè ad Vesperas, *Psalmi sub sola Ant.* Fortitúdo, VIII.

Post Hymnum, ℣. Dóminus protector vitæ meæ; ℟. A quo trepidábo? *Ps.* 26.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Víncula et tribulatiónes Jerosólymis me manent, sed nihil horum véreor, dúmmodò consummem cursum meum. *Act.* 20.

Collecta, Omnípotens, *infrà.*

LECTIO II.

Ex libro quinto Commentariórum sancti Hegesippi, Historiógraphi.

(Eus. Hist. lib. 3.)

Simeon, cognátus Dómini, fílius Cleophæ, secundus post Jacóbum Hierosólymæ Epíscopus, calúmniam passus ab hæréticis, accusátus est coram Attico Consulári; et per plúrimos dies acerbíssimis tormentis excruciátus, fidem Christi constantíssimè professus est; ita ut omnes suprà modum admirarentur, et ipse quoque Consuláris, quómodò is qui centum viginti annos attígerat, tália pertulisset. Tandem verò senténtiâ júdicis cruci affixus est.

LECTIO III.

Ad hæc usque témpora Ecclésia Virgo pura et incorrupta permansit, in obscúro adhuc recessu delitescéntibus quicumque rectam salutáris prædicatiónis régulam depraváre nitebantur. Postquàm autem sacer Apostolórum cœtus vário mortis génere extinctus est, effluxeratque jam ætas hóminum illórum qui divínam ipsam Sapiéntiam suis áuribus aus-

cultáre merúerant; tunc demum exorta est ímpii erróris conspirátio, nullo vidélicet ámplius ex Apóstolis supérstite.

Ad Laudes, *post Hymnum*, ℣. Príncipes persecúti sunt me gratis; ℟. Et à verbis tuis formidávit cor meum. *Ps.* 118.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. E. Vir ætáte provectus, et vultu decórus, sicut rex imperáverat, ad supplícium trahebátur. 2. *Mach.* 6.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens Deus, qui beáto Simeóni Mártyri tuo atque Pontífici Christo confígi in Cruce tribuisti, præsta, quæsumus, eódem intercedente, ut terréna in nobismetipsis desidéria crucifigentes, tibi fírmiter adhærére valeámus; Per eumdem.

Ad Vesperas, *post Hymnum*. ℣. Ab ipso patiéntia mea, ℟. Quia ipse Deus meus, et salvátor meus. *Ps.* 61.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Christo confixus sum cruci: vivo autem jam non ego; vivit verò in me Christus. *Gal.* 2.

Collect. Omnípotens, *supr.*

Fit Commem. S. Flaviani, Episc. et Mart. Ant. Ego Minister Christi, in labóribus plúrimis, in carcéribus, in plagis suprà modum. 2. *Cor.* 11.

℣. Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injustè; ℟. Quæ non rápui, tunc exolvébam. *Ps.* 68.

Collecta, Deus, qui beátum, *infrà*.

DIE XIX.

SANCTI FLAVIANI,

EPISCOPI CONSTANTINOPOLIT. ET MARTYRIS.

Simplex.

LECTIO III.

Ex Epístola sancti Leónis Papæ ad Flaviánum Constantinopolitánum.

(Epist. 42, al. 27.)

Quæ et quanta diléctio tua pro Cathólicæ fídei defensióne patiátur, per Diáconem, qui ab Epheso furtim est elapsus, agnóvimus. Et licet magnificémus Deum, qui te grátiæ suæ virtúte confortat, necesse est tamen nos dolére eórum ruínas, per quos véritas impugnátur, et ipsa tótius Ecclésiæ fundamenta quatiuntur. Quia verò providéntia Dei semper suis necessárium præstat auxílium, scire debet fratérnitas tua, nos pro commúni causa nihil órum, quæ agenda sunt præteríre; ut prímitùs ad ea, quæ universitáti fidélium prosint, pervenire mereámur. Súperest, ut fórtiter ínterim diléctio tua tóleret, quæ sibi ad æter-

nam glóriam non dúbitat profutúra.

Ad Laudes, *post Hymnum*, ℣. Insurrexérunt in me testes iníqui; ℟. Et mentíta est iníquitas sibi. *Ps.* 26.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. d. Scio tribulatiónem tuam: blasphemáris ab his qui sunt synagóga sátanæ. Nihil horum tímeas, quæ passúrus es. *Apoc.* 2.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Flaviánum Pontíficem, tanquam murum inexpugnábilem, Cathólicæ veritátis hóstibus opposuisti; ejusque glorió-sam confessiónem corónâ Martyrii decorasti; concéde, propítius, ut cujus prædicámus triumphum, fidem ac constántiam imitémur; Per.

DIE XXIV.

[In Anno Bissextili, DIE XXV.]

SANCTI MATTHIÆ,

APOSTOLI.

Duplex-majus.

[*Si incidat in Quadrag. anticipabitur in Feriam III post Dominicam Quinquagesimæ.*

Si hâc feriâ tertiâ occurrat festum aliquod semiduplex aut suprà, anticipabitur festum S. Matthiæ in proximam diem simili festo non impeditam.]

Omnia de Communi Apostolorum, exceptis quæ sequuntur.

Pridie post Hymnum. ℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ℟. Ut sédeant mecum. *Ps.* 100.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregáti in omni témpore quo intrávit et exívit inter nos Dóminus Jesus, testem resurrectiónis ejus nobiscum fíeri unum ex istis. *Act.* 1.

Collecta, Deus, qui, *ut infrà.*

In I.° Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

De Actibus Apostolórum.

(Cap. 1.)

In diébus illis, exurgens Petrus in médio fratrum, dixit: (erat autem turba hóminum simul ferè centum viginti) Viri fratres, oportet impléri Scriptúram quam prædixit Spíritus sanctus per os David, de Juda qui fuit dux eórum qui comprehendérunt Jesum, qui connumerátus erat in nobis, et sortítus est sortem ministérii hujus. Et hic quidem possédit agrum de mercéde iniquitátis, et suspensus crépuit médius, et diffúsa sunt ómnia víscera ejus. Et notum factum est ómnibus habitántibus Jerúsalem; ita ut appellarétur ager ille,

linguâ eórum, Hacéldamas hoc est, Ager sánguinis; Scriptum est enim in libro Psalmórum: Fiat commorátio eórum deserta, et non sit qui inhábitet in ea, et episcopátum ejus accípiat alter.

LECTIO V.

Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregáti in omni témpore quo intrávit et exívit inter nos Dóminus Jesus, incípiens à baptísmate Joannis usque in diem quâ assumptus est à nobis, testem resurrectiónis ejus nobiscum fíeri unum ex istis. Et statuérunt duos: Joseph qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est Justus, et Matthíam.

LECTIO VI.

Et orantes dixérunt: Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, ostende quem elégeris ex his duóbus unum, accípere locum ministérii hujus et apostolátûs, de quo prævaricátus est Judas, ut abíret in locum suum. Et dedérunt sortes eis; et cécidit sors super Matthíam: et annumerátus est cum úndecim Apóstolis.

IN III.º NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joannem.

(Cap. 13.)

Ante diem festum Paschæ dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis; non est servus major dómino suo, neque Apóstolus major est eo qui misit illum. Si hæc scítis, beáti éritis si fecéritis ea. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 59, in Joan. n. 1.)

Cum hæc Dóminus præmisisset, adjunxit; Non de ómnibus vobis dico, ego scio quos elégerim. Notum est de quo loquátur: Judas ille tráditor ejus attíngitur. Ergo ipsum non elégerat, unde ab eis quos elégit, isto sermóne secernit. Quid est ergo quod álio loco dicit: Nonne ego vos duódecim elégi, et unus ex vobis diábolus est? An et ipse ad áliquid est electus, ad quod útique erat necessárius, non autem ad beatitúdinem, de qua modò ait: Beáti éritis si fecéritis ea? Hoc non de ómnibus dicit; scit enim quos ad societátem beatitúdinis hujus elégerit. Non est ex eis iste qui panem illíus sic edébat, ut super eum leváret calcáneum.

LECTIO VIII.

(Tract. 27, n. 10.)

Electi in laude solent dici. An electus est et iste, de quo nolente et nesciente magnum áliquid boni fíeret? Hoc est

própium Dei, contrárium iníquis. Omnibus bonis Dei malè útitur malus : contrà, malis hóminum malórum bene útitur bonus. Et quid tam bonum quàm unus Deus? Quandóquidem ipse Dóminus dixit : Nemo bonus nisi unus Deus. Quantò ergo ille mélior, tantò méliùs útitur et malis nostris. Quid Judâ pejus? Sed malo ejus bene usus est Dóminus. Tradi se pértulit, ut redímeret nos. Ecce malum Judæ in bonum conversum est. Potest et sic intélligi quod ait : Duódecim elégi, quia sacrátus est númerus. Non enim quia périit inde unus, ídeò illíus númeri honor demptus est : nam in locum pereuntis álius subrogátus est.

LECTIO IX.

(Tract. 50, n. 10.)

Ecce audíte quia Judas iste non tunc perversus factus est, quando à Judæis corruptus Dóminum trádidit. Pleríque enim incurióisi Evangélii exístimant tunc periisse Judam, quando accépit à Judæis pecúniam ut Dóminum tráderet. Non tunc périit : jam fur erat, et Dóminum perdítus sequebátur, quia non corde, sed córpore sequebátur. Duodenárium númerum Apostolórum implébat, Apostólicam beatitúdinem non habébat, ad imáginem fúerat duodécimus : quo decedente, et álio succedente, et suppléta est Apostólica véritas, et númeri permansit intégritas.

AD LAUDES.

Post Hymnum, ℣. Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, ℟. Scrutans corda et renes Deus. *Ps.* 7.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. E. Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, ostende quem elégeris accípere locum ministérii hujus. *Act.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum Matthíam Apostolórum tuórum collégio sociasti : tríbue, quæsumus, ut ejus interventióne, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

AD II. VESPERAS.

Post Hymnum, ℣. Funes cecidérunt mihi in præclaris; ℟. Etenim hæréditas mea præclára est mihi. *Ps.* 15.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Dedérunt sortes eis : et cécidit sors super Matthíam; et annumerátus est cum úndecim Apóstolis. *Act.* 1.

DIE XXVIII vel XXIX.

SS. MARTYRUM

QUI OBIERUNT IN CARITATIS OFFICIO ERGA PESTILENTIA AFFLICTATOS ALEXANDRIÆ.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, exceptis quæ sequuntur.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. (*Rom.* 12.)

SICUT in uno córpore multa membra habémus; ómnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter altérius membra.

HYMNUS.

FESTUS dies non éxhibet,
Quos sanguis ornet Mártyres,
Sed Númini quos ígneæ
Vis caritátis ímmolat.

MORTIS ferax cùm plúrimæ
Lues per urbem spárgitur;
Ægros amant invísere,
Et cómmori, dùm súblevant.

JAM qui juvárunt lánguidos,
Lethále virus ópprimit:
Adsunt et his, qui própriæ
Vitæ ministrent pródigi.

QUOS péstifer tenet vapor,
Versant, in ulnis cónfovent;
Ex mox humandi déferunt
Humanda collo córpora.

A CARITATIS múnere,
Non mors repellit ímminens;
Quot morbus ater prǽripit,
Ardens fides tot súscitat.

SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus,
Quo dante, mortis néscia,
Afflat fidéles cáritas. Amen.

℣. Misericórdiam et veritátem, díligit Deus; ℟. Grátiam et glóriam dabit Dóminus. *Ps.* 83.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit, et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. 1. *Joan.* c. 3.

Collecta, Da, quæsumus, *infrà.*

AD OFFIC. NOCTURNUM

INVITATORIUM.

DOMINUM, qui ánimam suam pro nobis pósuit, * Vénite, adorémus. 1. *Joan.* 3.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Festus dies, *ut suprà ad I Vesp.*

LECTIO III.

Ex Epístola sancti Dionysii Alexandríni Epíscopi, de peste quæ Alexandríæ grassabátur.

(Apud. Euseb. Hist. L. 7, c. 22.)

REPENTE íngruit lues illa, quæ ómnium spem opinionemque superávit. Neque enim à nobis abstínuit, licèt plúrimùm in Gentíles grassáta sit. Plúrimi quidem

ex frátribus nostris ob nímiam caritátem, curam omnem própriæ salútis abjicientes, sibíque mútuò adhærescentes; dùm ægros secúrè atque audacter invísunt, eisque assíduè ministrant, et curatiónem ádhibent in Christo, unà cum illis mórtui sunt, aliórum ægritúdini libentíssimè sese impendentes, et proximórum morbum in semetipsos quodámmodò attrahentes, doloresque eórum sponte suâ exprimentes atque extergentes. Multíque étiam qui álios ægrotantes curáverant, et in prístinam valetúdinem restitúerant, ipsi interiérunt, mortem illórum in seipsos traducentes; verbumque illud vulgáre quod officiósæ duntaxat comitátis háctenùs visum fúerat, reipsâ adimplentes, cùm aliórum peripséma effecti ex hac vita migrárent. Et hoc quidem pacto óptimi quique ex frátribus nostris quorum nonnulli presbyteri erant ac diáconi, et ex pópulo laudatíssimus quisque mortem oppetiérunt : ádeò ut genus hoc mortis ob pietátem fideique constántiam nequáquàm inférius martyrio censeátur.

AD LAUDES.

Capitulum, (1. *Cor.* 12.)

Si quid pátitur unum membrum, compatiuntur ómnia membra : sive gloriátur unum membrum, congaudent ómnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.

HYMNUS.

Delapsa cœlo cáritas,
O quale robur méntibus,
Pulsu superno quas moves,
Sensusve quales íngeris?

Non ulla te discrímina,
Non damna te terrent : tuî
Secúra, tantùm próximi
Palles períclis ánxia.

Insana dùm furit lues,
Urbesque vastat, fers opem :
Ades, paráta pro tuis
Vitam pacisci frátribus.

Ætas beáta, quâ manu,
Pióque fratrum péctore,
Certum sibi solátium
Afflictus æger répperit!

Nunc ô sacrátos, cáritas,
Ignes per orbem súscita :
Amóris et fac mútui
Accendat ardor péctora.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus,
Quo dante, mortis néscia
Afflat fidéles cáritas.
Amen.

℣. Párticeps ego sum ómnium timéntium te; ℟. Et custodiéntium mandáta tua. *Ps.* 218.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. E. Non injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, et dilectiónis quam ostendistis in nómine ipsíus, qui ministrastis sanctis. *Hebr.* 6.

COLLECTA. Orémus

Da, quæsumus, omnípo-

tens Deus, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis, qui frátribus dirâ lue afflictis cùm vitæ dispéndio ministráre non timuérunt, nos eódem spíritu ferventes, necessitátibus Sanctórum communicáre; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

VESP. *de Psallerio, à Capitulo de sequenti, ut in Communi Pontificum.*

FESTA MARTII.

DIE I.

SANCTI ALBINI,

ANDEGAVENSIS EPISCOPI.

Simplex.

LECTIO III.

ALBINUS, Venétiæ in Aremóricis claro génere natus, relictis à púero paréntibus, in Cincillacense monastérium ingressus est. Anno ætátis trigésimo-quinto Abbas creátus, singulári vigilántiâ cœnóbium administrávit annis quinque et viginti. Unde invítus ad cáthedram Andegavensem evectus, totus alendis paupéribus, tuendis cívibus, ægris visitandis, captívis rediméndis, incúbuit. Ecclesiásticæ disciplínæ vindex fuit acérrimus; ádeò ut nec précibus nec minis potentiórum moverétur: quod ei multórum invídiam conflávit. Váriis in Synodis, ac præcípuè in Aurelianensi tértia, plúrimùm laborávit, ut incestæ núptiæ damnarentur. Cæsárium quoque Arelatensem super ea re consultúrus ádiit unà cum sancto Leobíno tum Abbáte Brajacensi, pósteà Carnutensi Epíscopo. Jussus ab Epíscopis quosdam à se excommunicátos absólvere, páruit sacerdotáli judício, ab iisque rogátus ut et ipse signáret eulógias quas ad unum ex illis dirigendas benedíxerant, respondit: Etsi ad impérium vestrum signáre compellor, dum vos causam Dei recusátis defendere, ipse potens est vindicáre. At ille, nondum accéptis eulógiis, intériit. Explétis demum Episcopátûs annis viginti, ménsibus sex, ætátis octoginta, mortalitátem éxuit.

COLLECTA. Orémus.

FAMULOS tuos, quæsumus, Dómine, intercedente beáto Albíno Pontífice, tibi fácias toto corde subjectos, ut tuæ caritátis spíritu repléti, à terrénis mundémur cupiditátibus, et cœlesti beatitúdine, te donante, digni efficiámur; Per.

DIE VII.

SS. PERPETUÆ

ET FELICITATIS,

MARTYRUM.

Simplex.

De Communi plurium Martyrum.

Pridie post Hymnum. ℣. Deus noster, adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis; ℟. Proptéreà non timébimus, dum turbábitur terra. *Ps.* 45.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Timor Dómini cum electis féminis gráditur, et cum justis et fidélibus agnóscitur. *Eccli.* 1.

Collecta, Deus, *ut infrà.*

LECTIO III.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(I. in Natali Mart. Perpet. et Felicit. qui est 280.)

HODIERNUS dies nobis in memóriam révocat diem quo sanctæ fámulæ Dei Perpétua et Felícitas corónis mártyrii decorátæ, perpétuâ felicitáte floruérunt, tenentes nomen Christi in prælio, et simul invenientes étiam suum nomen in præmio. Exhortatiónes eárum in divínis revelatiónibus, triumphosque passiónum, cùm legerentur, audívimus. Quid gloriósius his féminis quas viri mirantur facílius quàm imitantur? Quid hoc spectáculo suávius? quid hoc certámine fórtius? quid hâc victóriâ gloriósius? Tunc cum béstiis sancta objicerentur córpora, toto amphitheátro fremébant gentes, et pópuli meditabantur inánia. Sed qui hábitat in cœlis, irridébat eos. Nunc autem pósteri illórum, quorum voces in carnem Mártyrum ímpiè sæviébant, mérita Mártyrum piis vócibus laudant. Neque tunc tanto concursu hóminum ad eos occidendos cávea crudelitátis impléta est, quanto nunc ad eos honorandos Ecclésia pietátis implétur. Omni anno spectat cum religióne cáritas, quod uno die cum sacrilégio commísit impíetas.

AD LAUDES, *post Hymnum,* ℣. Exultavérunt fíliæ Judæ, ℟. Propter judícia tua, Dómine. *Ps.* 96.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. E. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. 1. *Cor.* 1.

COLLECTA. Orémus.

DEUS, fortitúdo certántium, et palma Mártyrum, qui fámulas tuas Perpétuam et Felicitátem contra tormentórum immanitátem mirâ virtúte roborasti: quæsumus, ut sicut eárum nos triumpho lætíficas, ita semper supplicatióne defendas; Per.

Vesperæ *de Psalterio, à Capitulo de sequenti, ut in Communi Justorum.*

DIE VIII.

S. JOANNIS DE DEO,

ORDINIS FRATRUM CARITATIS INSTITUTORIS.

Simplex.

Omnia de Comm. Justor.

Pridie Ad Vesperas, *post Hymnum.* ℣. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem; ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. c. Reformámini in novitáte sensûs vestri : Necessitátibus sanctórum communicantes : Hospitalitátem sectantes. *Rom.* 12.

Collecta, Deus qui beátum Joannem, *infrà.*

LECTIO III.

Joannes de Deo in Lusitánia piis paréntibus ortus, post adolescéntiam in Christiána pietáte transactam, laxióri vitæ se dedit, ex qua divínâ operante virtúte, revocátus, totum se pœniténtiæ dévovens, in via perfectiónis ità profécit, ut intrà breve tempus sanctitátis culmen visus sit attigisse. Cœlesti caritáte incensus, géminum atque amplum valetudinárium, ex piórum eleemósynis, in civitáte Granatensi extruxit, ubi paupéribus ægrótis quos própriis quandóque húmeris híc deferébat, nihil ad ánimæ corporisque salútem déerat. Et hæc fuérunt inítia Ordinis Fratrum Caritátis, infirmis ex institúto serviéntium, et ingenti Ecclésiæ utilitáte per orbem diffusórum. Nec intrà Nosocómii limites arctáta Joannis cáritas. Miserórum ómnium quasi pater, indigéntibus muliéribus, víduis, ac præcípuè virgínibus periclitántibus clàm alimenta subministrábat. Multíplici asperitátum génere, humíllimâ obediéntiâ, extremâ paupertáte, orandi stúdio, divinárum rerum contemplatióne, ac in beátam Vírginem pietáte miríficè excélluit. Gravi morbo correptus, ómnibus Ecclésiæ sacramentis sanctè susceptis, víribus licèt destitútus, própriis indútus véstibus, è léctulo surgens, ac provolútus in génua, imáginem Christi pendentis in cruce amantíssimè deósculans, ánimam exhalávit.

Ad Laudes, *post Hymnum.* ℣. Dispersit, dedit paupéribus; ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi *Ps.* 111.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Mónita salútis dabat eis, et consolabátur eos : esurientes alébat, nudisque vestimenta præbébat, et mórtuis sepultúram sollícitus exhibébat. *Tob.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beatum Joannem misericórdiæ spíritu ergà páuperes et infirmos implevisti; concéde, propítius, ut ejus vestígia sectantes, sic afflictórum necessitátibus compatiámur, ut cum ipso misericórdiam tuam conséqui mereámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

Vesperæ *de Psalterio; à Capitulo de sequenti, ut in Communi SS. Mulierum; Collecta,* Deus, in quem sperat omnis ánima, *ut infrà.*

DIE IX.

SANCTÆ FRANCISCÆ, VIDUÆ.

Simplex.

LECTIO III.

Francisca nóbilis Matróna Romána, vix undécimum ætátis suæ annum attígerat, cùm virginitátem suam Deo vóvere, et religiósam vitam amplecti propósuit. Nupta tamen ut Paréntibus obsequerétur, vitam, quantùm lícuit, ad severiórem Evangélii normam dirígere curávit. Solitúdinis amans, à profánis et vanis collóquiis abhorrens, quidquid à Domésticis curis supérerat témporis, illud oratióni totum tribuébat, et proximórum salúti. Insigne Christiánæ fortitúdinis spécimen dedit, cùm beáti Job verba répetens et exemplum æmuláta, viri exilium et bonórum ómnium jactúram constantíssimè tulit. Viro defuncto, ad domum Oblatárum quam adhuc nupta in urbe institúerat, supplex venit nudis pédibus, fune ad collum alligáto, eárum número cum lácrymis póstulans adscríbi. Voti compos facta, licèt ómnium mater, quasi ómnium ancillam se réputans, humilióribus obséquiis sese addixit. Plena méritis et miráculis clara, vitam voluntáriis consumptam maceratiónum supplíciis, felíciter clausit, circà médium décimi quinti séculi.

COLLECTA. Orémus.

Deus, in quem sperat omnis ánima quæ longè à te éxulans in terris se verè víduam sentit ac desolátam: tríbue nobis, quæsumus, ut exemplo beátæ Franciscæ nocte ac die obsecratiónibus et oratiónibus instantes, cœléstium consolatiónum mereámur esse partícipes; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum.

Vesperæ *de Psalterio. Fit*

Commem. SS. Quadraginta, Mart.

Ant. Cùm vos óderint hómines, et exprobráverint propter Fílium hóminis, gaudéte et exultáte : ecce enim merces vestra multa est in cœlo. *Luc.* 6.

℣. Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum; ℟. Omnes qui sperátis in Dómino. *Ps.* 3o.

COLLECTA. Orémus.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui gloriósos Mártyres, fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus; Per Christum.

Fiunt Suffragia Communia.

SUPPLEMENTUM.

PRO FESTO PRINCIPALI

PATRONI PRIMARII SEU TITULARIS

ALICUJUS ECCLESIÆ.

ANNUALE-MAJUS.

¶ *Si Officium desit in Breviario, aut non habeatur infrà in ordine quorumdam Officiorum quæ pro certis Festis disposita sunt, vel non sit proprium à DD. Episcopo approbatum, omnia sumentur de Communi tam in Breviario, quàm in præsenti Supplemento, servato aliundè ritu Annuali-majori.*

IN I. VESPERIS.

Psalmi sumuntur de Feria occurrente.

℟. *Post ultimam reclamationem repetitur ab initio usque ad* ℣. *Duplicatur Ant. ad* Magnificat.

Ad Completorium, *Psalmi et Capitulum de Feria. Ant. ut in Propr. vel in Communi.*

Ad Offic. Noct. *Psalmi proprii sive ut in Breviario, sive ut in hoc Supplemento designati sunt.*

In I. Nocturno. *Lectiones dicuntur, prout habentur infrà.*

In II Noct. *si nihil habetur in Breviario de Sancto cujus fit Officium, tres Lectiones pariter dicentur ut infrà notantur in Patronorum Communi. Si verò vel una, vel duæ Lectiones in Breviario de illo Sancto habentur, præferentur his quæ hìc notantur; quibus proindè locus non erit, nisi quando vel nullæ propriæ aderunt, vel non sufficient, aut dividi commodè non poterunt; et tunc pro secunda vel tertia sumentur quæ prima vel secunda in Patronorum Communi infrà ponuntur.*

In III Noct. *Lectiones dicentur ut in Breviario vel suprà dicto Comm. notantur.*

Ad singula Responsoria additur Glória Patri, *et tertium cujusque Nocturni post ultimam reclamationem repetitur ab initio usque ad* ℣.

Ad Laudes, *Psalmi de Dominica, cum Cantico infrà notato in Patronorum Communi. Duplicatur Ant. ad* Benedictus.

Ad Horas, *Psalmi de Dominica. Non dicitur Symbolum* Quicumque.

CANON.

Ex sancto Cæsário Epíscopo.

(Serm. 280, in Append. apud August.)

Ideo à Sanctis Pátribus nostris constitútum est Christiánis et mandátum, ut in solemnitátibus Sanctórum, et máximè in Domínicis diébus ótium habérent, et à terréno negótio vacárent; ut paratióres et promptióres essent ad divínum cultum, cùm non habérent quod eos indè retardáret incómmodum; relinquerentque eo témpore terrénam sollicitúdinem, quo facíliùs possent Dei inténdere voluntátem.

Ad Vesperas, *Psalmi proprii sive in Breviario, sive in Supplemento designati.*

Ad Completorium, *Psalmi et Capitulum de Dominica.*

Festum *Patroni primarii principale semper habet Octavam; nisi venerit in Quadragesima, aut intrà solemnitatem Antiphonarum majorum* O.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Officium fit ritu Semiduplici. De Festo Duplici-minore, et suprà, fiet Officium cum Commemoratione Octavæ in utrisque Vesperis et Laudibus (nisi fiat de Festo Annuali aut Solemni-majori Domini.) De Semiduplici verò et Simplici fiet sola Commemoratio in Officio Nocturno per tertiam Lectionem, et in utrisque Vesperis et Laudibus, si sit Semiduplex; si verò sit Simplex, in primis Vesperis et Laudibus tantùm.

Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de Feria ad omnes Horas.

Ad Officium Noct. *tres Antiph.* ℣. *et* ℟℟℟. *ex uno Nocturno Festi secundùm Feriam. Lectio I de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis; II et III ut habentur infrà pro qualibet die.*

Ad Laudes, *Psalmi sub unica Antiphona, quarta de Laudibus Festi. Canticum ut in die.*

Ad Primam, *Canon de Feria.*

Ad Horas, ℟℟℟. *brevibus adduntur duo* Allelúia, *etiam in Festis occurrentibus, nisi hæc Octava occurrat à Septuagesima ad Cineres.*

Ad Vesperas, *Psalmi sub una Antiphona, vel propria, vel prima de Vesperis diei. Omittitur* Allelúia, *cum suo versu.*

Ad Completorium, *ut in die.*

DOMINICA

INTRA OCTAVAM.

Totum Officium fit de Dominica cum Commemoratione Octavæ in utrisque Vesperis et Laudibus.

LECTIONES INTRA OCT.

DIE II.

LECTIO II.

Sermo sancti Basílii Epíscopi.

(Orat. in 40 Mart.)

Hi sunt qui acceptam à Deo nostram regiónem, quasi turres quædam contra adversariórum incursum munientes, refúgium éxhibent. Benefícium hoc, fratres dilectíssimi, grátiam hanc mínimè cessantem à Deo obtinémus. Parátum est hìc Christiánis auxílium. Qui áliquâ prémitur angústiâ, ad hos cónfugit; qui rursùs lætátur, ad hos recurrit: hic ut à malis liberétur, ille ut duret in rebus lætis. Hæc múlier orans pro fíliis audítur, peregrinanti viro réditum incólumem, ægrotanti verò salútem implórat et óbtinet.

LECTIO III.

O sanctum chorum! ô sacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes humáni géneris custódes! óptimi curárum sócii, precum ac votórum ínvicem suffragatóres! legáti apud Deum potentíssimi! astra mundi, flores Ecclesiárum, vos non terra contexit, sed cælum excépit. Apertæ sunt vobis paradísi portæ, dignum profectò exercítibus Angelórum, Patriarchis, Prophétis et Justis ómnibus spectáculum.

DIE III.

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 1 in c. 2 Ep. Joan.)

Joannes quid dixit: Si quis peccáverit, advocátum habémus ad Patrem Jesum Christum Justum. Sed dicet áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo et Epíscopi et Præpósiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scriptúras, et vidéte quia et Præpósiti comméndant se pópulo. Nam Apóstolus dicit plebi: Orantes simul et pro nobis. Orat Apóstolus pro plebe, orat plebs pro Apóstolo. Orámus pro vobis, fratres; sed et vos oráte pro nobis. Invicem pro se ómnia membra orent. Caput pro ómnibus interpellet.

LECTIO III.

(Serm. 280.)

Benedixit Dóminus pusillos cum magnis. Non nobis parùm videátur quòd ejus córporis membra sumus, cujus et illi quibus æquiparári non póssumus. Quia si unum membrum pátitur, compatiuntur ómnia membra; ita, cùm glorificátur unum membrum, congaudent ómnia membra. Glória cápiti

unde consúlitur, et superióribus mánibus, et ínfimis pédibus. Sicut ille unus ánimam suam pro nobis pósuit, ita et imitáti sunt Mártyres, et ánimas pro frátribus posuérunt. Fructus labóris ergo illórum étiam nos sumus. Mirámur eos, miserantur nos. Gratulámur eis, precantur pro nobis.

DIE IV.

LECTIO II.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(In Vigil. SS. Petri et Pauli.)

Tria sunt quæ in festivitátibus Sanctórum vigilanter consideráre debemus: auxílium Sancti, exemplum ejus, confusiónem nostram. Auxilium ejus; quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante fáciem Dómini Dei sui. Si enim, dum hic viveret, misertus est peccatóribus, et orávit pro eis; nunc tantò ampliùs, quantò veriùs agnoscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria caritátem ejus non immutávit, sed augmentávit; neque enim quia impassíbilis omnínò, ideò et incompassíbilis factus est.

LECTIO III.

Debemus étiam atténdere exemplum ejus; quia quámdiu in terris visus est, et cum homínibus conversátus est, *non* declinávit neque ad déxteram, neque ad sinistram; sed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum qui dicit: Ego sum via, véritas et vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus; et tunc vidébitis quómodò tam verbo quàm exemplo lúxerit inter hómines: quália nobis vestígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, et non errémus in eis. Verè, juxta Prophétam, sémita justi recta est; rectus callis justi ad ambulandum.

DIE V.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Bernardi Abbátis.

(In Vigil. SS. Petri et Pauli.)

Diligentiori intúitu, in festivitátibus Sanctórum, confusiónem nostram inspiciámus; quia homo ille símilis nobis fuit passíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo et nos. Quid ergo est quòd non solùm difficile, sed et impossíbile crédimus ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, et contremiscámus. Hómines isti fuérunt qui præcessérunt nos, qui tam mirabíliter processérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuisse credámus. Sic ergo et gaudére, et confundi debémus: gaudére, quia patronos præmísimus; confundi, quia eos imitári non póssumus.

LECTIO III.

Ita semper gáudium nostrum in hac valle lacrymárum, lacrymárum pane condíri debet; ut semper non solùm extréma, sed et prima gáudii luctus óccupet: quia etsi magna est gaudiórum matéria, sed máxima est dolórum. Verè nobis rubor confusiónis sunt, quos vix audeámus respícere, ne dicam, imitári. Orémus ergo eos, ut ipsi propítium nobis reddant amícum suum, júdicem nostrum, qui est Deus benedictus in sécula. Amen.

DIE VI.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Bernardi Abbátis.

(In Fest. om. SS. Serm. 2, § 1.)

Erit, præstante Dómino, triplex sermónis (de Sanctórum felicitáte) utílitas, quátenus ágnitâ, vel ex parte áliqua, felíci retributióne Sanctórum, abundantióri deinceps sollicitúdine ipsórum inhærére vestígiis, ac ferventióri desidério ad eórum suspiráre consórtia, propensióri quoque devotióne eorumdem nos commendáre patrocíniis studeámus. Fidélis quippe sermo, et omni acceptióne dignus; ut quos solemni veneratióne proséquimur, étiam símili conversatióne sequámur. Quos beatíssimos prædicámus, ad eórum beatitúdinem totâ aviditáte currámus: quorum delectámur præcóniis, sublevémur eórum patrocíniis.

LECTIO III.

Nec sanè parùm fructuósa invenítur memória festíva Sanctórum, languórem, tepórem, erroremque depellens: cùm eórum intercessióne juvétur infírmitas nostra, consideratióne beatitúdinis excitétur negligéntia nostra, ignorántia quoque nostra ipsórum erudiátur exemplis.

DIE VII.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Cæsárii Epíscopi.

(Serm. 230, in App. apud Aug.)

Quando festivitátes cólimus, fratres caríssimi, diligenter debémus atténdere, et totis víribus laboráre, ut quod visibíliter cólitur, in nobis invisibíliter compleátur. Qui nec castitátem custódit in córpore, nec puritátem tenet in mente, quóties sanctæ solemnitátes advéniunt, in córpore vidétur habére gáudium, in corde non célebrat nisi luctum. Quale enim gáudium potest habére, in cujus ánimâ multis vítiis occupátâ magis diábolus probátur habitáre

quàm Christus? Nos verò, fratres caríssimi, etiamsi nobis áliqua, ut solet fíeri, peccáta subrépunt, quantùm póssumus, cum Dei adjutório laborémus, jejúniis, vigíliis, oratiónibus, eleemósynis mundáre sórdida; ut véniens Dóminus in nobis, nihil invéniat quod óculos suæ majestátis offendat.

LECTIO III.

(Serm. 265.)

Filios et omnes famílias vestras admonéte, fratres, semper ut castè et justè ac salúbriter vivant: nec solùm eos verbis, sed étiam exemplis ad bona ópera provocáte. Ante ómnia ubicumque fuéritis, sive in domo, sive in itínere, sive in convívio, sive in consessu, verba túrpia et luxuriósa nolíte ex ore vestro proferre; sed magis vicínos et próximos vestros júgiter admonéte, ut semper quod bonum est et honestum, loqui stúdeant; ne fortè detrahendo, mala loquendo, et in sanctis festivitátibus choros ducendo, cántica luxuriósa et túrpia proferendo, de lingua sua, unde debúerant Deum laudáre, inde sibi vúlnera videantur inflígere. Isti enim infelíces et míseri hómines, qui balatiónes et saltatiónes ante ipsas Basílicas Sanctórum exercére nec métuunt, nec erubescunt, etsi Christiáni ad Ecclésiam vénerint, pagáni de Ecclésia revertuntur; quia ista consuetúdo balandi de paganórum observatióne remansit.

Vesperæ *de die Octava ut in I Vesperis Festi, servato ritu Duplici-majori.*

OCTAVA PATRONI,

SEU TITULARIS.

Duplex-majus.

Omnia ut in die Festi, servato ritu Duplici-majori. Psalmi de Feria ad omnes Horas.

In I Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. 5, de omnib. Sanctis.)

Non tantúmmodò societas, sed étiam felícitas nobis est optanda Sanctórum, ut quorum desiderámus præséntiam, glóriam quoque ferventíssimis stúdiis ambiámus. Neque enim perniciósa hæc ambítio, aut illíus affectátio glóriæ ullátenus periculósa est. Sanè ut eam nobis speráre líceat, et ad tantam beatitúdinem adspiráre, summópere nobis desideranda sunt suffrágia quoque Sanctórum, ut quod possibílitas nostra non óbtinet,

eórum nobis intercessióne donétur. Miserémini meî, miserémini meî saltem vos amíci mei. Nostis ipsi perículum nostrum : nostis figmentum nostrum : nostis ignorántiam nostram, et dolos adversariórum : nostis eórum ímpetus et nostram fragilitátem. Vobis enim loquor qui in eadem tentatióne fuistis ; qui eosdem superastis conflictus, eosdem láqueos evasistis; qui didicistis ex his quæ passi estis, compassiónem.

LECTIO V.

Etsi de Angelis mihi árbitror præsumendum, ob spirituális substántiæ et rationális formæ similitúdinem ; amplióri tamen fidúciâ ad eos mihi reor vertendum, quos habére me novérim, et in ipsâ humanitáte consortes ; ut opórteat eos familiáriùs et speciáliùs miseréri ossi de óssibus suis, et carni de carne sua. Dénique transeuntes ex hoc mundo ad Patrem, sancta nobis pígnora reliquérunt. Apud nos síquidem cópora eórum in pace sepulta sunt, quorum nómina vivent in séculum, id est quorum nunquam glória sepelítur. Absit, absit à vobis, ánimæ sanctæ, Ægyptia illa crudélitas pincernæ Pharaónis, qui in gradum prístinum restitútus, statim oblítus est Joseph sancti, qui in cárcere tenebátur. Non enim erant uníus cápitis membra, vel áliqua pars fidéli cum infidéli, aut ulla socíetas Israelítæ ad Ægyptium, non plus quàm luci ad ténebras.

LECTIO VI.

Nos quoque si non sumus ipsíus cápitis membra, cujus et sancti, unde eis tam solémnibus votis, et tanto gratulámur affectu? Céterùm quí dixit : Si glorificátur unum membrum, congaudent ómnia membra : hoc quoque nihilóminus ait: Quòd si pátitur unum membrum, compatiuntur ómnia membra. Hæc ígitur nostra et eórum cohæréntia est, ut nos congratulémur eis, ipsi compatiantur nobis; nos devótâ moderatióne regnémus in eis, ipsi in nobis, et pro nobis mílitent piâ interventióne. Nec est quòd de eórum pia ergà nos sollicitúdine dubitémus, quando quidem non consummandi sine nobis, expectant nos usque dum retribuátur nobis : ut vidélicet in novíssimo die magno festivitátis ómnia simul in virum perfectum cum suo tam excelso cápite membra concurrant, et laudétur cum hæreditáte sua Jesus Christus Dóminus noster, qui est super ómnia benedictus, et laudábilis, et gloriósus in sécula. Amen.

In III Noct. *Lectiones ut infrà in quolibet Communi.*

FESTUM *primarium S. Institutoris in proprio Ordine, sicut et Festa Sanctorum qui in aliquibus Congregationibus quasi Patroni habentur, celebrabuntur ritu Solemni-majori, cum Octava, intrà quam fiet de Semiduplicibus, si occurrant, cum Commemoratione Octavæ.*

AD NOCTURNUM.

Duæ primæ Lectiones erunt de Scriptura occurrente, tertia tantùm de Octava; nisi occurrat Festum simplex: tunc enim Lectio II erit de Octava; tertia de Simplici occurrente.

DE DOMINICA, *intrà Octavam occurrente fiet Officium ut in Psalterio, cum Commemoratione Octavæ in utrisque Vesperis et Laudibus.*

FESTA *secundaria Patroni primarii celebrantur ritu Duplici-majori, nec habent Oct.*

OFFICIA ET SUPPLEMENTA

FESTORUM QUORUMDAM PRÆCIPUORUM,

QUÆ IN ECCLESIIS DIŒCESIS RITU ANNUALI AUT SOLEMNI-MAJORI CELEBRARI POSSUNT.

DIE XVIII JANUARII.

IN FESTO

PONTIFICATUS SEU CATHEDRÆ SANCTI PETRI,

QUA ANTIOCHÆ PRIMUM SEDIT, DEINDE ROMÆ.

Si hoc Festum alicubi celebretur ritu Annuali, ad ea quæ habentur in Breviario addentur quæ sequuntur.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Post Capitulum ℟. Locútus es, *de Communi Pontificum, ritu Annuali. Duplicatur Antiphona ad* Magníficat.

AD COMPLETORIUM.

Antiph. de Communi Pontificum.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Invitatorium et Hymnus, ut in Breviario. Psalmi de Communi Patronorum, pro Pontificibus.

IN I.° NOCTURNO.

Antiph. ℣. *et* ℟℟℟. *de Communi Pontificum.*

LECTIO I.

De Libro Levítici.

(Cap. 8.)

Locutus est Dóminus ad Móysen dicens: Tolle Aáron cum fíliis suis, vestes eórum, et unctiónis óleum, vítulum pro peccáto, duos aríetes, canistrum cum ázimis; et congregábis omnem cœtum ad óstium tabernáculi. Fecit Móyses ut Dóminus imperáverat. Congregatáque omni turbâ ante fores tabernáculi, ait: iste est sermo quem jussit Dóminus fíeri. Statimque óbtulit Aáron et fílios ejus. Cùmque

lavisset eos, vestívit Pontíficem subúculâ líneâ, accingens eum bálteo, et índuens eum túnicâ hyacínthinâ et désuper humerále impósuit, quod astringens cíngulo, aptávit Rationáli, in quo erat Doctrína et Véritas. Cídari quoque texit caput; et super eam, contra frontem, pósuit láminam áuream consecrátam in sanctificatióne, sicut præcéperat ei Dóminus. Tulit et unctiónis óleum, quo linívit tabernáculum cum omni supelléctili sua. Cùmque sanctíficans aspersisset altáre septem vícibus, unxit illud, et ómnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanetificávit óleo. Quod fundens super caput Aáron unxit eum et consecrávit.

LECTIO II.

De Libro Númeri.

(Cap. 16.)

Core fílius Isaar fílii Caath, fílii Levi, et Dathan atque Abíron fílii Eliab, Hon quoque fílius Pheleth de fíliis Ruben, surrexérunt contra Móysen, aliique filiórum Israel ducenti quinquaginta viri próceres Sinagógæ, et qui témpore concílii per nómina vocabantur. Cùmque stetissent adversùm Móysen et Aáron, dixérunt : suffíciat vobis quia omnis multitúdo Sanctórum est, et in ipsis est Dóminus : cur elevámini super pópulum Dómini? Quod cùm audisset Móyses, cécidit pronus in fáciem : locutusque ad Core et ad omnem multitúdinem; Manè inquit, notum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, et Sanctos applicábit sibi; et quos elégerit, appropinquábunt ei.

LECTIO III.

De Libro Deuteronómii.

(Cap. 17.)

Si difficile et ambíguum apud te judícium esse perspéxeris inter sánguinem et sánguinem, causam et causam, lepram et lepram : et júdicium intra portas tuas víderis verba variári; surge et ascende ad locum quem elégerit Dóminus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdótes Levítici géneris, et ad júdicem qui fúerit illo témpore; quæresque ab eis, qui indicábunt tibi judícii veritátem. Et fácies quodcumque díxerint qui præsunt loco quem elégerit Dóminus, et docúerint te juxtà legem ejus; sequerisque senténtiam eórum, nec declinábis ad déxteram neque ad sinistram. Qui autem superbíerit, nolens obedíre Sacerdótis império, qui eo témpore ministrat Dómino Deo tuo, et decréto júdicis, moriétur homo ille, et aúferes malum de Israel; cunctusque pópulus aúdiens timébit, ut nullus deinceps intumescat supérbiâ

IN II.° NOCTURNO.

Antiph. ℣. *et* ℟℟℟. *de Communi Pontificum. Lect. ut in Breviario, ex duabus fiunt tres, hoc modo :*

Prima desinit ad hæc verba : Roma didicisset. *Secunda sic incipit :* Hìc conculcandæ, *et desinit ad hoc verbum sequentis :* ingréderis. *Tertia,* Jam pópulos, *usque ad finem.*

IN III.° NOCTURNO.

Antiph. et ℣. *ut in Breviario.*

Lectiones et ℟℟℟. *ut hìc notantur.*

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 16.)

In illo témpore ; Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philippi, et interrogábat Discípulos suos dicens : Quem dicunt hómines esse fílium hóminis? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii, Epíscopi.

(Comment. in Matth. c. 16.)

Christus à discípulis requírit quem se hómines esse dícerent ; et adjécit, Fílium hóminis. Hæc enim confessiónis tenenda rátio est, ut sicut Dei Fílium, ita et Fílium hóminis meminérimus : quia álterum sine áltero nihil spei tríbuit ad salútem. Editis ítaque quæ diversæ de eo erant hóminum opiniónibus, quid de se ipsi séntiant quærit. Petrus respondit : Tu es Christus Fílius Dei vivi. Sed Petrus conditiónem propositiónis expénderat. Dóminus enim díxerat : Quem me hómines esse dicunt? Fílium hóminis? Et certè fílium hóminis contemplátio córporis præferébat. Sed addendo, quem me esse dicunt? Significávit præter id quod in se videbátur, esse áliud sentiendum : erat enim hóminis fílius.

℟. Quem dicunt, *ut in Breviario, cum* Glória.

LECTIO VIII.

Quod ígitur de se opinandi judícium desiderábat? Non illud arbitrámur, quod de se ipse confessus est : sed occultum erat de quo quærebátur, in quod se credéntium fides debébat exténdere. Et dignum planè conféssio Petri præmium consecúta est, quia Dei fílium vidisset. Beátus hic est, qui ultra humános óculos et intendisse et vidisse laudátus est : non id quod ex carne et sánguine erat cóntuens, sed Dei Fílium Cœlestis Patris revelatióne conspíciens ; dignusque judicátus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnósceret.

℟. Tibi dabo, *ut in Breviario, cum* Glória.

LECTIO IX.

O in nuncupatióne novi nóminis felix Ecclésiæ fundamentum, dignaque ædificatióne illíus petra, quæ infernas leges, et tartári portas, et ómnia mortis claustra dissólveret! ô beátus cœli jánitor, cujus arbítrio claves æterni áditûs traduntur, cujus terrestre judícium, præjudicáta autóritas sit in cœlo: ut quæ in terris aut ligáta sint, aut solúta, statúti ejusdem conditiónem obtíneant et in cœlo!

℟. Dixit Dóminus, *ut in Breviar. et repet. post reclam.*

AD LAUDES.

Psalmi de Dominicâ; Canticum de Communi Patronorum pro Pontif. Duplic. Ant. ad Benedictus.

AD HORAS.

Doxologia.

Supreme, Christe, póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre cumque Spíritu;
In sempiterna sécula. Amen.

Psalmi de Dominicâ.

In ℟. *br.* ℣. Qui est Caput Córporis Ecclésiæ. *Coloss.* 1.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Románo primo.

(Ann. 494. Decreto de apocryphis scripturis.)

Quamvis universæ per orbem Ecclésiæ unus thálamus Christi sit, sancta tamen Romana Cathólica et Apostólica Ecclésia... Evangélicâ voce Dómini et Salvatóris nostri primátum obtínuit: Tu es Petrus (inquientis), et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advers ùs eam, et tibi dabo claves regni cœlorum... Est ergo prima Petri Apóstoli sedes Romána Ecclésia, non habens máculam neque rugam, nec áliquid hujúsmodi. Secunda autem sedes apud Alexándriam beáti Petri nómine à Marco... consecráta est... Tértia verò sedes apud Anthiochíam ejusdem beatíssimi Petri Apóstoli nómine habétur honorábilis, eò quòd illic priusquàm Romam venisset habitávit, et illic primùm nomen Christianórum novellæ gentis exortum est.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Communi Patronorum pro Pontific.

Ante Hymnum Allelúia allelúia.

℣. Státuit ei Dóminus testamentum æternum: Coróna áurea super mitram ejus expressa signo sanctitátis, et glóriâ honóris. Allel. *Eccl.* 45.

Diebus intra Octavam, serventur Rubricæ superiùs positæ pro Octava.

Lectiones sumentur tùm de Communi Patronorum, tum de Communi Pontificum

IN CONVERSIONE

SANCTI PAULI, APOSTOLI.

Si hoc Festum celebretur ritu Annuali, omnia ut in Breviario, exceptis quæ sequuntur.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. g. Adimplévit Dóminus propitiatiónem suam in illo, et ostendit ei viam æquitátis. *Eccl.* 18.

Doxologia, Uni sit et trino Deo, *ut in Hymno Vesperarum.*

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 4. A. Confitébor tibi, Dómine, in géntibus; et nómini tuo cantábo. 2. *Reg.* 22.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Psalmi ut infrà in Communi Patronorum pro Apostolo.

IN I.° NOCTURNO.

Sumentur Lectiones de Actibus Apostolorum, in Breviario positæ pro II.° Nocturno.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. in Conv. S. Pauli. n. 1.)

Merito quidem, dilectíssimi, convérsio doctóris géntium ab universitáte géntium festívis gáudiis hódie celebrátur... Quis despéret ultrà pro magnitúdine cujúslibet críminis, quandóquidem Saulum áudiat adhuc spirantem minárum et cædis in discípulos Dómini, súbitò factum vas electiónis, Quis dicat iniquitátis póndere pressus: assúrgere jam ad stúdia melióra non váleo: quando in ipso itínere, quo sánguinem sítiens Christiánum, dirum toto péctore virus efflábat, persecútor crudelíssimus in fidelíssimum repente mutátus est prædicatórem? Magnífice síquidem in hac una conversióne et misericórdiæ magnitúdo, et efficácia grátiæ commendátur.

LECTIO V.

(N. 6.)

Domine quid me vis fácere? ô Verbum breve, sed plenum, sed vivum et éfficax, sed dignum omni acceptióne! Quàm pauci inveniúntur in hac perfectæ obediéntiæ forma, qui suam ita abjécerint voluntátem, ut ne ipsum quidem cor próprium

hábeant, ut non quid ipsi sed quid Dóminus velit, omni horâ requírant... Sic profectò, sic multórum usque hódie pusillanímitas et pervérsitas éxigit; ut ab eis quæri opórteat : Quid vis ut fáciam tibi? non ipsi quærant : Dómine quid me vis fácere? Consideráre necesse habent ministri et vicárii Christi, quid sibi præcipi velint; non ipsi consíderant quæ voluntas sit præceptóris.

LECTIO VI.

(N. 7.)

Et Dóminus ad illum : Surge et ingrédere civitátem : ibi dicétur tibi quid te opórteat fácere. O sapiéntia suáviter verè universa dispónens! eum cui tu lóqueris erudiendum de tua voluntáte mittis ad hóminem, ut sociális vitæ commendétur utílitas; et edoctus per hóminem, discat et ipse secundùm datam sibi grátiam homínibus subveníre.... Sed audi quàm maniféstè in his quæ sequuntur voluntária simplícitas et christiána commendátur mansuetúdo. Apertis óculis nihil vidébat; ad manus autem trahebátur ab his qui comitabantur eum. Felix cæcitas quâ malè quondam illumináti in prævaricatióne, tandem in conversióne óculi salúbriter excæcantur. Sanè quòd tríduo Paulus sine cibo manet persistens in oratióne, ad eos máximè pértinet, qui nóviter século abrenuntiantes, necdum in cœlesti consolatióne respírant. Sustíneant ergo et ipsi Dóminum in omni patiéntia; orent sine intermissióne, quærentes, petentes, pulsantes : quia exaúdiet eos Pater cœlestis in témpore opportúno.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(2. Reg. 2.)

Tu lucerna mea, Dómine; * et tu, Dómine, illuminábis ténebras meas.

In te enim curram accinctus : * in Deo meo transíliam murum.

Deus, immaculáta via ejus, elóquium Dómini igne examinátum; * scutum est ómnium sperántium in se.

Quis est Deus præter Dóminum? * et quis fortis præter Deum nostrum?

Vivit Dóminus et benedictus Deus meus; * et exaltábitur Deus fortis salútis meæ.

Proptéreà confitébor tibi, Dómine, in géntibus; * et nómini tuo cantábo.

Ad Horas, *Doxologia*, Uni sit et trino Deo, *ut in Vesp.*

Ad Primam, *Canon ut suprà in festo Patroni.*

IN II. VESPERIS.

Psalmi de Communi Patronorum pro Apostolo.

Ante Hymnum. Allelúia, allelúia. ℣. Bénedic ánima mea Dómino, qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. Allelúia. *Ps.* 102.

In Ecclesiis sub titulo Conversionis S. Pauli dedicatis, hoc Festum habebit Octavam, intra quam sumentur Lectiones superius assignatæ pro Patronis : et in die Octavâ,

IN III.° NOCTURNO.

Evangelium et Homilia ut in Festo.



COMMUNE SANCTORUM.

PARS HIEMALIS.

COMMUNE APOSTOLORUM.

(In hoc Communi, et in ceteris, ad primas Vesperas semper dicuntur Psalmi de Feria.)

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. D. Vocávit Jesus discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos et Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

Ant. 3. a. Vocávit ad se quos vóluit; et dedit illis potestátem curandi infirmitátes, et ejiciendi dæmónia. *Marc.* 3.

Ant. 4. E. Hos misit Jesus, præcípiens eis: Ite ad oves quæ periérunt domûs Israel. *Matth.* 10.

Ant. 5. C. Euntes prædicáte, dicentes: Quia appropinquávit regnum cœlórum. *Matth.* 10.

Ant. 7. d. Egressi autem, circuíbant per castella, evangelizantes, et curantes ubíque. *Luc.* 9.

Capitulum. (*Hebr.* 2.)

CUM inítium accepisset salus enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt in nos confirmáta est, contestante Deo signis et porteutis, et váriis virtútibus, et Spirítûs sancti distributiónibus secundùm suam voluntátem.

[*In Duplicibus-majoribus et suprà;*

℟. Ecce dedi vobis potestátem super omnem virtútem inimíci: * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére: † Gaudéte quòd nómina vestra scripta sunt in cœlis. ℣. Dabo vos in nomen, et in laudem ómnibus pópulis: * Verúmtamen. Glória. † Gaudéte. *Luc.* 10. *Soph.* 3.

HYMNUS.

LÆTARE, cœlum; pláusibus
Tellus resultet æmulis:
Apostolórum glóriam
Solemnis instaurat dies.

Vos ceu tubis sonántibus,
Christum per orbem spárgitis:
Vos illa sacris vátibus
Prædicta mundi lúmina.

QUI, dante Christo, pánditis,
Qui cláuditis cœli fores,
Nos críminum tenácibus
Vinclis ligátos sólvite.

POTENTE qui nutu graves
Morbos fugátis córporum,
Desiderátam póscite
Ægris medélam móribus.

Sublimis ut cùm vénerit,
Vobis simul sedéntibus,
Ad déxterum Judex latus
Nos inter agnos cóllocet.
Uni sit et trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà, Antiphona sequens dicitur integra ante et post Canticum : et sic in aliis Communibus.*]

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Prædicábant ut pœniténtiam ágerent : et dæmónia multa ejiciébant, et ungébant óleo multos ægros, et sanábant. *Marc.* 6.

Collecta, ut in Proprio.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium, (in quo semper dicuntur Ps. feriales) Ant.* 1. a. Vos estis lux mundi : lúceat lux vestra coram homínibus. *Matth.* 5.

In fine Hymni Doxologia : Uni sit, VI.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. E. Vox speculatórum Sion : parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium. *Is.* 52.]

AD OFFIC. NOCTURNUM

INVITATORIUM.

Christum Apostolórum Magistrum et Dóminum, * Veníte adorémus. *Joan.* 13.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Supréme, quales, Arbiter,
Tibi ministros éligis;
Tuas opes qui vílibus
Vasis amas commíttere!
Hæc nempe plena lúmine
Tu vasa frangi præcipis :
Lux inde magna rúmpitur,
Ceu, nube scissâ, fúlgura.
Totum per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant :
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruscant, pérpluunt.
Christum sonant : versæ ruunt
Arces superbæ dæmonum.
Circùm tubis clangéntibus,
Sic versa quondam mœnia.
Fac, Christe, cœlestes tubæ
Somno graves nos éxcitent :
Accensa de te lúmina.
Pellant tenébras méntium.
Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

[*In Annualibus et Solemnibus-majoribus, ad Officium Noct. itemque ad II. Vesperas, Psalmi sunt proprii, prout designantur in Proprio Ecclesiarum, vel, si nulli sunt ejusmodi, sumuntur de Dominica : ad Laudes verò, ad Horas, et ad Completorium,*

dicuntur de Dominica; et sic in omni alio Communi.

In Solemnibus-minoribus et infra, Psalmi in toto Officio semper sunt de Feria.]

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 1. g. Convocátis, Jesus duódecim Apóstolis, cœpit illos míttere binos prædicáre regnum Dei. *Luc.* 9. *Marc.* 6.

Ant. 2. D. Præcípiens, dicébat eis : Infirmos curáte, mórtuos suscitáte, dæmones ejícite : gratis accepistis, gratis date. *Matth.* 10.

Ant. 3. c. Nolíte possidére aurum, neque argentum, neque pecúniam in zonis vestris : dignus enim est operárius cibo suo. *Matth.* 10.

℣. Custodiébant testimónia ejus, ℟. Et præceptum quod dedit illis. *Ps.* 98.

Pater noster. *Benedictiones habentur in Ordinario*, 151.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

[*In Annualibus et Solemnibus-majoribus*, . *Lectiones sunt propriæ; et sic in omni alio Communi.*]

℟. I. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum : * Estóte ergo prudentes sicut serpentes, et símplices sicut columbæ. ℣. Ex ore Dómini prudéntia, et próteget gradientes simplíciter : * Estóte. *Matth.* 10. *Prov.* 2.

℟. II. Tradémini à paréntibus, et cognátis, et amícis; et morte affícient ex vobis, et capillus de cápite vestro non períbit : * In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. ℣. Nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphémias eórum ne metuátis; ego, ego ipse consolábor vos : * In patiéntia. *Luc.* 21. *Is.* 51.

℟. III. Cùm tradent vos; nolíte cogitáre quómodò, aut quid loquámini : * Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. ℣. Spíritus meus erit in médio vestrûm, nolíte timére : * Non. Glória. * Non. *Matth.* 10. *Agg.* 2.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 4. E. In quamcumque domum intravéritis, dícite : Pax huic dómui, et si ibi fúerit fílius pacis, requiescet super illum pax vestra. *Luc.* 10.

Ant. 5. a. Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit : qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. *Luc.* 10.

Ant. 6. F. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. *Matth.* 10.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.

Pater noster. *Benedictiones habentur in Ordinario*, 151.

Tres Lectiones, ut in Proprio Sanctorum.

℟. IV. Vos estis qui permansistis mecum in tentatiónibus meis : * Et égo dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum. ℣. Dispósui testamentum electis meis : * Et ego dispóno vobis. *Luc.* 22. *Ps.* 88.

℟. V. Jam non dicam vos servos : vos autem dixi amícos ; * Quia ómnia quæcumque audívi à Patre meo, nota feci vobis. ℣. Antíqua ne intueámini : ecce ego fácio nova, et nunc orientur : útique cognoscétis ea ; * Quia. *Joan.* 15. *Is.* 43.

℟. VI. Elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat ; * Ut quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. ℣. Quod salvátum fúerit de domo Juda, fáciet fructum : zelus Dómini exercítuum fáciet istud ; * Ut. Glória Patri. * Ut. *Joan.* 15. *Is.* 37.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 8. G. Príncipes géntium dominantur eórum ; et qui majóres sunt, potestátem exercent in eos : non ita erit inter vos. *Matth.* 20.

Ant. 7. d. Quicumque volúerit inter vos major fíeri, sit vester minister : sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre. *Matth.* 20.

Ant. 3. à. Cùm fecéritis ómnia quæ præcepta sunt vobis, dícite : Servi inútiles sumus ; quod debúimus fácere, fécimus. *Luc.* 17.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam ℟. Super misericórdia tua et veritáte tua. *Ps.* 113.

Pater noster. *Benedictiones habentur in Ordinario,* 152.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio Sanctorum.

℟. VII. Mementóte sermónis mei quem ego dixi vobis : * Non est servus major dómino suo : si me persecúti sunt, et vos persequentur. ℣. Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, et sermónibus ódii circumdedéruntme: * Non est. *Joan.* 15. *Ps.* 108.

℟. VIII. De mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo ; proptéreà odit vos mundus : sed * Confídite, ego vici mundum. ℣. Non derelinquet Dóminus sanctos suos ; éruet eos à peccatóribus, et salvábit eos : * Confídite. *Joan.* 15. *Ps.* 36.

℟. IX. Pater sancte, serva eos in nómine tuo quos dedisti mihi. Sicut tu me misisti in mundum, ego misi eos in mundum ; et * Pro eis ego sanctífico meipsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte. ℣. Sanctificábunt Sanctum Jacob, et Deum Israel prædicábunt : * Pro. Glória. * Pro. *Joan.* 17. *Is.* 29.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Confitémini

Dómino, et invocáte nomen ejus : ℟. Annuntiáte inter gentes ópera ejus. *Ps.* 104.

AD LAUDES.

Ant. 8. *G.* Jesus locútus est úndecim discípulis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra ; euntes ergo, docéte omnes gentes. *Matth.* 28.

Ant. 6. F. Prædicáte, Evangélium omni creatúræ baptizantes eos, docentes serváre ómnia quæcumque mandávi vobis. *Marc.* 16. *Matth.* 28.

Ant. 2. D. Quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis ; et quorum retinuéritis, retenta sunt. *Joan.* 20.

Ant. 4. D. Accipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs sancti in vos ; et éritis mihi testes usque ad último terræ. *Act.* 1.

Ant. 1. a. Ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem séculi. *Matth.* 28.

Capitulum. (*Ephes.* 4.)

Christus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios veró Evangelistas, álios autem Pastóres, et Doctóres ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

HYMNUS.

Cœlestis aulæ Príncipes,
Sacri duces exércitûs,
Bisséna mundi lúmina,
Olim futúri júdices :

Mersis gravi calígine,
Per vos dies renáscitur :
Quos vanus error lúserat,
Illustrat alma véritas.

Non vi, nec armis mílitum,
Fandi nec ullis ártibus,
Verbo sed irrísæ Crucis,
Christo rebelles súbditis.

Quibus gemébat súbditus,
Rumpuntur orbis víncula :
Jam gaudet, excusso jugo,
Liber Dei sub légibus.

Vulgata terris ómnibus
Per vos Dei mystéria :
Sic vestra terris ómnibus
Præclára facta pérsonant.

Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham. ℟. Quóniam Dii fortes terræ veheménter eleváti sunt. *Ps.* 46.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà, Antiph. sequens dicitur integra, ante et post Canticum, et sic in aliis Communibus.*]

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Vos qui secúti estis me, in regeneratióne cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos judicántes duódecim tribus Israel. *Matth.* 19.

Collecta ut in Proprio.

A.

[AD HORAS, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum Doxologia :*

UNI sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.]

Antiph. de Laudibus, quartâ prætermissâ ; quod semper observatur, in aliis Communibus, nisi aliter notetur.

AD PRIMAM.

Ant. 8. *G.* Jesus.

[*In Solemnibus-maj. et suprà, in* ℟. *br.* ℣. Qui es Apostolórum Magister, * et Dóminus. *Joan.* 13.]

Cetera, ut in Ord. Brev.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Prædicáte.

Capitulum. (2. *Cor.* 2.)

DEO grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odórem notítiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

[*In Solemnibus-minoribus et supra, ac per Octav. Annualium (nisi aliter notetur in* ℟℟℟. *brevibus additur* * Allelúia, allelúia. *Isque ritus servatur in quolibet Communi.*]

℟. *br.* In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ * verba eórum. * Exívit sonus eórum. Glória. In.

℣. Non sunt loquélæ neque sermónes, ℟. Quorum non audiantur voces eórum *Ps.* 18.

Collecta ut in Proprio, et sic ad Sextam et ad Nonam, quod observatur in omni alio Communi.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Quorum.

Capitulum. (2. *Cor.* 5.)

POSUIT in nobis Deus verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℟. *br.* Dóminus excelsus * Subjécit pópulos nobis. Dóminus. ℣. Elégit nobis * hæreditátem suam : * Subjécit pópulos nobis. Glória Patri. Dóminus excelsus. *Ps.* 46.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : ℟. Nimis confortátus est principátus eórum. *Ps.* 138.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Ecce.

Capitulum. (2. *Thess.* 2.)

STATE, et tenéte traditiónes quas didicistis sive per sermónem, sive per epístolam nostram. Ipse autem Dóminus noster Jesus Christus, et Deus, et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolatiónem æternam, et spem

bonam in grátia, exhortétur corda vestra, et confirmet in omni ópere et sermóne bono.

℟. *br*. Confitébimur tibi, Deus : * Invocábimus nomen tuum. Confitébimur. ℣. Narrábimus * mirabília tua : * Invocábimus. Glória Patri. Confitébimur. *Ps*. 74.

℣. Confitébimur tibi in séculum : ℟. In generatiónem et generatiónem annuntiábimus laudem tuam. *Ps*. 78.

AD II. VESPERAS.

Ant. 6. F. Injecérunt manus in Apóstolos, et posuérunt eos in custódia. *Act*. 5.

Ant. 2. D. Cæsis denuntiavérunt ne omnínò loquerentur in nómine Jesu. *Act*. 5.

Act. 4. E. Ibant gaudentes à conspectu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. *Act*. 5.

Ant. 1. g. Loquebantur verbum Dei cum fidúcia; et virtúte magnâ reddébant testimónium resurrectiónis Jesu Christi. *Act*. 4.

Ant. 3. a. Tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act*. 15.

Capitulum. (1. *Cor*. 4.)

Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit, tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, et ángelis, et homínibus.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà :*

Allelúia, allelúia ℣. Exulta cœlum, et sancti Apóstoli, quóniam judicávit Deus judícium vestrum. Allelúia. *Apoc*. 18.]

Tempore Septuagesimæ, loco Allelúia *et* ℣. *dicitur nonum* ℟. *Officii Nocturni :* Pater sancte, IV.]

HYMNUS.

Quem misit in terras Deus,
Ut morte nos servet suâ,
Amóris hic fidos sui
Vos éligit vicários.

Occisus Agnus à lupis,
Vos misit agnos ad lupos :
Mores ferínos éxuunt,
Agni repentè de lupis.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Vestris eam sudóribus,
Vestro piastis sánguine.

Hoc rore facta pínguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta surrexit seges!
Et ista nos seges sumus.

Quam si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere;
Frumenta nos cœléstibus
Matúra condes hórreis.

Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : ℟. Constítues eos príncipes super omnem terram. *Ps*. 44.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà, Antiphona sequens dicitur integra, ante et post Canticum; et sic in aliis Communibus.*]

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. In fundámentis civitátis sanctæ Jerúsalem nómina duódecim Apostolórum Agni : et lucerna ejus est Agnus. *Apoc.* 21.

Collecta, ut in Proprio.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Ant. 8. G. Fortitúdo símplicis via Dómini : justus in æternum non commovébitur. *Prov.* 10.

Ant. 4. E. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, et non pavébit; quóniam ipse est spes ejus. *Eccli.* 34.

Ant. 3. a. Qui audit Sapiéntiam, permanébit confídens; quóniam in tentatióne ámbulat cum eo, et in primis elígit eum. *Eccli.* 4.

Ant. 6. C. Timórem, et metum, et probatiónem indúcet super illum, donec credat ánimæ illíus; et firmábit illum. *Eccli.* 4.

Ant. 1. D. In tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit à malis; et non illidétur quasi in procella navis. *Eccli.* 33.

Capitulum. (*Josue* 1.)

Ecce præcípio tibi : Confortáre, et esto robustus. Noli metúere, et noli timére; quóniam tecum est Dóminus Deus tuus.

In Duplicib.-maj. et suprà:

℟. Cepérunt me inimíci mei gratis : dixi, Périi; vocem meam, Dómine, audisti : * Dixisti, Ne tímeas : † Judicasti causam ánimæ meæ, Redemptor vitæ meæ. ℣. Ego non solùm alligári, sed et mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu : Dixisti. Glória. † Judicasti. *Thren.* 3. *Act.* 21.

HYMNUS.

Ex quo, salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redemptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

Non jam crucis Christi pudet :
Quin surgit ingens glória
Deum fatéri mórtuum
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iste plenus Spíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus dexterâ,
Tibi, Redemptor, mílitat.

Parata spectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat :
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.

Unus tot armátas manus
Stupente lassat júdice;
Et tortus ipsis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.

Da Christe, tanti mílitis

Æquáre facta fórtia :
Da sustinére pro tuo
Quodcumque durum nómine.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Quo roborante, Mártyres
Victis triumphant hóstibus.
Amen.

℣. In Deo sperávi, ℟. Non timébo quid fáciat mihi caro. *Ps.* 55.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Ecce Deus salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo, quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. *Is.* 12.

Collecta, ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

[*In Solemn.-maj. et supr., ad Complet. Ant.* 3. *a.* Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris; sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus. *Joan.* 8.

In fine Hymni Doxol. Sit laus, v.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. C. Ego ad Dóminum aspíciam : expectábo Deum salvatórem meum. *Mich.* 7.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Deum patiéntiæ et solátii, *Veníte, adorémus. *Rom.* 15.
Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Felix morte tua, qui cruciátibus
Cœlo diffícilem rúmpere amas viam,
Et signáre cruóre
Quam Christo déderas fidem!
Pœnis victa quibus defíceret fides,
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas :
Cui non súfficit una,
Ambis innúmeras neces.
Te pro lege sua magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere :
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sústinet.
Et nos delícias, vana per ótia,
Gens infída Deo, quærimus ánxii :
Quid torpémus? inertes
Sanguis Mártyris éxcitat.
Semper máxima laus ingénito Patri :
Semper laus génito máxima Fílio :
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Omnis qui te colit, Dómine, vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3.

Ant. 8. G. Hæc est grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias, pátiens injustè. 1. *Petr.* 2.

Ant. 6. F. Qui sustinúerit in finem, hic salvus erit. *Marc.* 13.

℣. Cepérunt ánimam meam; irruérunt in me fortes : ℟. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine. *Ps.* 58.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Probávit me Dóminus quasi aurum quod per ignem transit : * Vestígia ejus secútus est pes meus; viam ejus custodívi, et non declinávi ex ea. ℣. Omnia detrimentum feci ad cognoscendum Christum, et societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus : * Vestígia. *Job.* 23. *Philipp.* 3.

℟. II. Certámen forte dedit illi Dóminus, * Ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est Sapiéntia. ℣. Confortátus est fide, dans glóriam Deo, * Ut vínceret. *Sap.* 10. *Rom.* 4.

℟. III. Custodívit illum Dóminus ab inimícis : * Descendit cum illo in fóveam, et † In vínculis non derelíquit illum. ℣. Erat Deus cum eo, et eripuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus : * Descendit. Glória. † In vínculis. *Sap.* 10. *Act.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 1. f. Etsi in præsenti témpore supplíciis hóminum erípiar, manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effúgiam, quamobrem fórtiter vitâ excedendo, exemplum forte relinquam. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. *d.* Prompto ánimo pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honestâ morte perfungar. 2. *Mach.* 6.

Ant. 8. c. E cœlo membra ista possídeo; sed propter Dei leges hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea receptúrum spero. 2. *Mach.* 7.

℣. Fortitúdinem meam ad te custódiam; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Factus es mihi adjútor, Dómine, et liberasti me * A rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me. ℣. Dóminus mihi ástitit, et confortávit me; et liberátus sum de ore leónis, * A rugiéntibus. *Eccli.* 51. 2. *Tim.* 4.

℟. V. Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifestè tu scis quia cùm à morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres; secundùm ánimam verò, propter timórem tuum, libenter hæc pátior. ℣. Gáudeo in passiónibus, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea : * Duros. 1. *Mach.* 6. *Coloss.* 1.

℟. VI. Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo; * Et salvum fáciet in regnum suum cœleste. ℣. In die tribulatiónis exultábo in Deo Jesu meo : super excelsa dedúcet me victor; * Et. Glória. * Et. 2. *Tim.* 4. *Habac.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. Scio ópera tua, et labórem, et patiéntiam tuam; et quia sustinuisti

propter nomen meum, et non defecisti. *Apoc.* 2.

Ant. 4. d. Scient omnes quia ego dilexi te : quóniam servasti verbum patiéntiæ meæ, et ego servábo te ab hora tentatiónis. *Apoc.* 3.

Ant. 3. c. Qui vícerit, et custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, sicut et ego accépi à Patre meo. *Apoc.* 2.

℣. In die tribulatiónis éruam te, ℟. Et honorificábis me. *Ps.* 49.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Qui volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam ; * Qui autem perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium, salvam fáciet eam. ℣. Erit tibi ánima tua in salútem, quia in me habuisti fidúciam, ait Dóminus. * Qui. *Marc.* 8. *Jer.* 39.

℟. VIII. Esto fidélis usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ ; * Qui vícerit, non lædétur à morte secunda. ℣. Usque ad mortem certa pro justítia, et Deus expugnábit pro te inimícos tuos : * Qui vícerit. *Apoc.* 2. *Eccli.* 4.

℟. IX. Qui vícerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei ; * Et foràs non egrediétur ámpliùs : et † Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitátis novæ Jerúsalem. ℣. Plantábo eum, et non turbábitur ámpliùs ; nec addent fílii iniquitátis, ut afflígant eum sicut prius, * Et foras. Glória. † Scribam. *Apoc.* 3. 2. *Reg.* 7.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam : ℟. Et exultábo mane misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

AD LAUDES.

Ant. 3. à. Dóminus mecum est, quasi bellátor fortis : idcircò qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt. *Jerem.* 20.

Ant. 1. f. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret : memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, quóniam éruis sustinentes te. *Eccli.* 51.

Ant. 2. D. Bonus Dóminus, et confortans in die tribulatiónis, et sciens sperantes in se. *Nahum* 1.

Ant. 4. A. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum, quia liberávit ánimam páuperis de manu malórum. *Jer.* 20.

Ant. 7. d. Eripuisti me de témpore iníquo, proptéreà confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. *Eccli.* 51.

Capitulum. (*Apoc.* 3.)

Qui vícerit, vestiétur vestiméntis albis ; et non delébo nomen ejus de libro vitæ : et confitébor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus.

HYMNUS.

Jam non te lácerant carnífìcum manus,
Inter qui récubas Cœlítuum choros :
Nunc pro cárcere cæco
Fulgentes hábitas domos.

Non jam vincla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber súperûm regna perámbulas :
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.

Nec te dira fames, nec sitis ámpliùs,
Nec probrósa premit te modò núditas :
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus et índuit.

Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet;
Confundisque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.

Semper máxima laus ingénito Patri :
Semper laus génito máxima Fílio :
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus. Amen.

℣. Adjútor meus, tibi psallam; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

Ad Benedictus, *Ant.* I. D. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. 2. *Tim.* 4.

COLLECTA. Orémus.

Adesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítiis gloriámur, nec minis injuste persequéntium, nec ullis perturbémur adversis; Per Dóminum nostrum.

ALIA COLLECTA. Orémus.

Da nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto *N.* Mártyre tuo, in tua fide et sinceritáte constántiam; ut in caritáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur; Per Dóminum.

Si sit summus Pontifex.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui beátum *N.* apostólici principátûs prærogatívâ conspícuum, martyrii corónâ illustriórem effecisti; da Ecclésiæ tuæ ejus patrocínio adjuvári, cujus labóribus exculta flóruit et sánguine crevit fœcundáta; Per Dóminum.

Si sit fundator alicujus Ecclesiæ.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui per beátum *N.* Mártyrem tuum atque Pontíficem (*vel* Presbyterum), in fidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuisti; da nobis ejus intercessióne, in fide stábiles, et à spe Evangélii quod prædicávit, immóbiles permanére; Per.

Si sit tantùm Pontifex.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis : da nobis in festivitáte beáti *N.* cum gratiárum actióne lætári, qui Filii tui Martyr et Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit; et quod prædicávit ore, confirmávit exemplo ; Per eumdem.

ALIA COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus grátia beátum *N.* Pontíficem tuum in Sacerdótium elégit, doctrína ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perseverandum confirmávit : da nobis ex ejus imitatióne pópulum christiánum et instrúere vivendi exemplo, et confirmáre patiendo ; Per.

Si sit Sacerdos tantùm.

COLLECTA. Orémus.

Deus, à quo constántiam fides, et virtútem sumit infírmitas : quæsumus, ut beáti *N.* Sacerdótis et Mártyris tui exemplo et précibus, quidquid in persecutiónibus sævum est, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confessióne superáre ; Per.

Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum Doxologia sequens :*

Sit laus Patri, laus Fílio ;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Quo roborante, Mártyres
Victis triumphant hóstibus.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 3. à. Dóminus.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in* ℟. *br.* ℣. Qui confortas * in die tribulatiónis. *Nahum.* 1.]

AD TERTIAM.

Ant. 1. f. Circumdedérunt me.

Capitulum. (*Is.* 41.)

Erunt quasi non sint, et véluti consúmptio, hómines bellantes adversùm te ; quia ego Dóminus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi : Ne tímeas, ego adjúvi te.

℟. *br.* In Deo salutáre meum, * Et glória mea. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, * et spes mea in Deo est, * Et glória mea. Glória. In. *Ps.* 61.

℣. Deus meus adjútor meus, et sperábo in eum : ℟. Protector meus, et cornu salútis meæ. *Ps.* 17.

Collecta, ut suprà ad Laudes ; et sic ad Sextam et ad Nonam :

AD SEXTAM.

Ant. 2. D Bonus Dóminus.

Capitulum. (2. *Tim.* 1.)

Patior, sed non confundor : scio enim cui crédidi, et certus sum quia potens est

depósitum meum serváre in illum diem.

℟. *br.* Si consistant adversùm me castra, * Non timébit cor meum. * Si. ℣. Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo : * Non. Glória. Si. *Ps.* 26.

℣. Dóminus mihi adjútor, ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 117.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Eripuisti me.

Capitulum. (*Tob.* 3.)

Post tempestátem tranquillum facis, Dómine, et post lacrymatiónem et fletum, exultatiónem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sécula.

℟. *br.* Factus es, Dómine, * Susceptor meus. Factus es. ℣. Et refúgium meum * in die tribulatiónis, * Susceptor. Glória Patri. Factus. *Ps.* 58.

℣. Tu, Dómine, adjuvisti me, ℟. Et consolátus es me. *Ps.* 85.

AD II. VESPERAS.

Ant. 8. G. Propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens ánimam suam. *Philipp.* 2.

Ant. 3. a. Patienter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. a. Divítias æstimans impropérium Christi, aspiciébat in remuneratiónem. *Hebr.* 11.

Ant. 5. C. Gloriosíssimam mortem magis quàm odíbilem vitam complectens, voluntárie præíbat ad supplícium. 2. *Mach.* 6.

Ant. 1. D. Hoc modo vità decessit, universæ genti memóriam mortis suæ ad exemplum virtútis et fortitúdinis derelinquens. 2. *Mach.* 6.

Capitulum. (*Jac.* 1.)

Beatus vir qui suffert tentatiónem; quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà :*

Allelúia, allelúia. ℣. Vincenti dabo édere de ligno vitæ quod est in paradíso Dei mei. Allelúia. *Apoc.* 2.

Tempore Septuagesimæ, loco Allelúia *et* ℣. *dicitur nonum Officii Nocturni.* ℟. Qui vícerit, XI.]

Hymnus, Ex quo, salus, *ut in I. Vesperis, p.* VIII.

℣. Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam ℟. de lápide pretióso. *Ps.* 20.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. *D.* Justum non derelíquit Deus, donec afferret illi poténtiam adversùs eos qui eum deprimébant; et dedit illi claritátem æternam. *Sapient.* 10.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 2. D. Venit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. *Joan.* 16.

Ant. 3. c. Injícient vobis manus suas, et persequentur, trahentes ad reges et præsides propter nomen meum. *Luc.* 21.

Ant. 4. *D.* Tradet autem frater fratrem in mortem; et insurgent fílii in parentes, et morte eos affícient. *Matth.* 10.

Ant. 1. D. Eritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit. *Matth.* 10.

Ant. 8. *G.* Dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. *Luc.* 21.

Capitulum. (1. *Petr.* 4.)

Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiescit.

In Duplicibus-majoribus, et supra:

℞. In nullo terreámini ab adversáriis; * Quia vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini. ℣. Confortámini, et non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces óperi vestro; * Quia. Glória Patri. * Quia. *Philipp.* 1. 2. *Paral.* 15.

HYMNUS.

Christi Martyribus débita nos decet
Virtútis mémores, prómere cántica;
Quos nec blandítiis, nec pótuit minis
Fallax víncere séculum.

Cœlestis Pátriæ mens ínhians bonis,
Mundi spernit opes flúxaque gáudia:
Vitæ quin étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.

Non vultus métuunt carníficum truces:
Fœtas supplíciis despíciunt manus:
Enses, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix edócuit fides.

O incredíbilem vim patiéntiæ!
Non, artus' láceros qui crúciat dolor,
Extorquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.

Ergo nunc própior, Christe, tibi sedet

Palmis turba nitens usque
viréntibus,
Victorumque gerens præ-
mia, nóbiles
Multo sánguine láureas.
Sit laus summa Patri, súm-
maque Filio :
Sit par, sancte, tibi glória,
Spíritus,
Cujus præsídio prælia sústi-
nent,
Contemptâ nece, Mártyres.
Amen.

℣. Viríliter ágite, et con-fortétur cor vestrum, ℟. Omnes qui sperátis in Dómino. *Ps.* 30.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Cùm vos óderint hómines, et exprobráverint propter Fílium hóminis, gaudéte et exultáte : ecce enim merces vestra multa est in cœlo. *Luc.* 6.

Collecta, ut infrà ad Laud.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium : Ant.* 2. A. Complebuntur dies luctûs tui, Sion : non óccidet ultrà sol tuus : pópulus tuus omnes justi. *Is.* 60.

In fine Hymni, Doxologia : Sit laus, XIX.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. E. Sérvient Deo servi ejus, et vidébunt fáciem ejus ; et nomen ejus in fróntibus eórum. *Apoc.* 22.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Dominum legítimè certantes coronantem, * Veníte, [illegible] rémus. 2. *Tim.* 2.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Fortes cadendo Márt[illegible]
Quos empta fuso sán[illegible]
Cœlestis ornat púrpur[illegible]
Junctis canámus vócib[illegible]
Acti procellis ómni[illegible]
Sui cruóris flúmine
Vehuntur, et Christo [illegible]
Portus beátos óccupan[illegible]
Sævit tyrannus, ál[illegible]
Temnunt minas, tem[illegible]
preces,
Deum minantem dur[illegible]
ment,
Dum munerantem [illegible]
gunt.
Quem lictor insánus[illegible]
Quem cæcus effundi[illegible]
ror,
Amor sacerdos pródig[illegible]
Christo cruórem c[illegible]
crat.
Et ille mixtus sángui[illegible]
Quem fudit in ligno D[illegible]
Fundéntibus placábile[illegible]
Oráre non cessat Deum[illegible]
Impléte vos omnes d[illegible]
Passo Deo quod défuit[illegible]
Per tot neces læso Patri[illegible]
Fit plena Christus hóst[illegible]
Sit laus Patri, laus [illegible]
Par sit tibi laus, Spír[illegible]
Quo roborante, Márty[illegible]
Victis triumphant hóst[illegible]
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. c. Convené[illegible] adversùm nos, ut nos di[illegible] dant : quómodò potéri[illegible]

subsístere, nisi tu, Deus, ádjuves nos? 1. *Mach.* 3.

Ant. 5. a. Séquimur te in toto corde, et timémus te, et quærimus fáciem tuam: érue nos, et da glóriam nómini tuo, Dómine. *Dan.* 3.

Ant. 8. G. Omnes qui ostendunt servis tuis mala, confundantur in omnipoténtia tua; et sciant quia tu es Dóminus Deus solus. *Dan.* 3.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne, ℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Nos stulti propter Christum: maledícimur, et benedícimus: * Persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus. ℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die; æstimáti sumus sicut oves occisiónis: * Persecutiónem pátimur. 1. *Cor.* 4. *Ps.* 43

℟. II. Quis nos separábit à caritáte Christi? Tribulátio? an angústia? an fames? an persecútio? an gládius? * Neque mors, neque vita póterit nos separáre à caritáte Dei. ℣. Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te, Dómine; * Neque mors. *Rom.* 8. *Ps.* 43.

℟. III. Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam suam glóriam in Christo Jesu, * Módicum passos ipse perfíciet: ipsi glória et impérium ✝ In sécula seculórum. ℣. Rex mundi defunctos nos pro suis légibus in æternæ vitæ resurrectióne suscitábit: * Módicum. Glória Patri. ✝ In sécula. 1. *Petr.* 5. 2. *Mach.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. b. In mortem trádimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. 2. *Cor.* 4.

Ant. 3. b. Paráti sumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7.

Ant. 6. F. Propítius sit nobis Deus: non est nobis útile relínquere legem et justítias Dei, ut eámus álterâ viâ. 1. *Mach.* 2.

℣. In Deo faciémus virtútem; ℟. Et ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos. *Ps.* 59.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Absit à nobis, ut relinquámus Dóminum, et serviámus diis aliénis: * Dómino Deo nostro serviémus, et obedientes érimus præceptis ejus. ℣. Et si sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra; nobis tamen unus Deus: * Dómino. *Josue* 24. 1. *Cor.* 8.

℟. V. Dóminus Deus aspíciet veritátem, et consolábitur in nobis. * Pótius est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, íterùm ab ipso resuscitandos.

B.

℣. Sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolátio nostra: * Pótius est. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 1.

℟. VI. Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, * In necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus. ℣. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles.* In. Glória Patri. * In. 2. *Cor.* 6. *Judith* 8.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Ruent in gládio, et in flamma, et in captivitáte; ut conflentur, et dealbentur usque ad tempus præfinítum. *Dan.* 11.

Ant. 4. A. Distenti sunt, non suscipientes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. *Hebr.* 11.

Ant. 8. c. Ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est! *Sap.* 5.

℣. Salus justórum à Dómino; ℟. Et protector eórum in témpore tribulatiónis. *Ps.* 36.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Ludíbria et vérbera experti, ínsuper et víncula et cárceres. * Lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt. ℣. Tradidérunt córpora sua, ne servírent, et ne adorárent omnem deum, excepto Deo suo: * Lapidáti sunt. *Hebr.* 11. *Dan.* 3.

℟. VIII. Vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui, et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: * Proptéreà lætámini, cœli, et qui habitátis in eis. ℣. Módico dolóre sustentáto, sub testamento ætérnæ vitæ effecti sunt: * Proptéreà. *Apoc.* 12. 2. *Mach.* 7.

℟. IX. Antíquus diérum judícium dedit sanctis Excelsi; * Et † Regnum obtinuérunt sancti. ℣. Per fidem operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes; * Et regnum. Glória Patri. † Regnum. *Dan.* 7. *Hebr.* 11.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Salvasti nos, Dómine, de affligéntibus nos; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. *Ps.* 43.

AD LAUDES

Ant. 8. G. Datum est béstiæ bellum fácere cum sanctis, et víncere eos. *Apoc.* 13.

Ant. 7. *d.* Elegérunt magis mori, et noluérunt infríngere legem Dei sanctam; et trucidáti sunt. 1. *Mach.* 1.

Ant. 1. f. Si coram homínibus tormenta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3.

Ant. 2. D. In paucis vexá-

ti, in multis bene disponentur; quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. *Sap.* 3.

Ant. 7. d. Tanquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocausti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respectus illórum. *Sap.* 3.

Capitulum. (*Jac.* 1.)

Omne gáudium existimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis: scientes quòd probátio fídei vestræ patiéntiam operátur; patiéntia autem opus perfectum habet.

HYMNUS.

Quam, Christe, signasti viam
Primus, profúso sánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem sequuntur mílites.

Fossus manus, fossus pedes,
Ovans ad astra tránsvolas;
Et membra trunci Mártyres
Addunt triumpho se tuo.

Omnes in ostro spléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accepta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.

Audíre si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat,
Audi tuos, qui sánguinem
Fudêre pro te, Mártyres.

Fac, si tyrannus déficit,
Ne blandiendo mólliùs
Frangat voluptas péctora,
Ipsis tyrannis sævior.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Quo roborante, Martyres
Victis triumphant hóstibus.
Amen.

℣. Multæ tribulatiónes justórum; ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Ps.* 33.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. *Matth.* 5.

COLLECTA. Orémus.

Deus, invisíbilis fortitúdo certántium, adesto, quæsumus, nobis supplicántibus; ut qui hodiernâ die sanctórum Mártyrum tuórum *N.* et *N.* gloriósum triumphum recólimus, eórum méritis et précibus contra spirituália nequítiæ muniámur; Per Dóminum nostrum.

ALIA COLLECTA. Orémus.

Omnípotens sempiterne Deus, qui in sanctórum tuórum córdibus flammam tuæ dilectiónis accendis: da méntibus nostris eamdem fídei caritatisque virtútem; ut Mártyrum tuórum *N.* et sociórum, quorum gaudémus victóriis, proficiámus exemplis; Per.

[Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum Doxologia :*

Sit laus Patri laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,

Quo roborante, Martyres,
Victis triumphant hóstibus.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Datum est béstiæ.
[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in* ℟. *br.* ℣. Qui legítimè certantes * corónas. 2. *Tim.* 2.]

AD TERTIAM.

Ant. 7. *d.* Elegérunt.

Capitulum. (*Sap.* 3.)

JUSTÓRUM ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, et æstimáta est afflíctio éxitus illórum; et quod à nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace.

℟. *br.* Custódit Dóminus * Animas sanctórum suórum. Custódit. ℣. De manu peccatóris * liberábit * Animas sanctórum suórum. Glória Patri. Custódit. *Ps.* 96.

℣. Dóminus loquétur pacem in plebem suam, ℟. Et super sanctos suos. *Ps.* 84.

AD SEXTAM.

Ant. 1. f. Si coram homínibus.

Capitulum. (2. *Cor.* 4.)

QUOD in præsenti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporália sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.

℟. *br.* Probasti nos, Deus, * Et eduxisti nos in refrigérium. Probasti. ℣. Igne nos examinasti * sicut examinátur argentum, * Et eduxisti. Glória Patri. Probasti. *Ps.* 65.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, ℟. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 89.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Tanquam aurum.

Capitulum. (*Isaiæ* 9.)

LÆTABUNTUR coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victóres captâ prædâ, quando dívidunt spólia.

℟. *br.* Qui séminant in lácrymis, * In exultatióne metent. Qui. ℣. Euntes ibant et flebant, * mittentes sémina sua; * In exultatióne metent. Glória Patri. Qui séminant.

℣. Venientes vénient cum exultatióne, ℟. Portantes manípulos suos. *Ps.* 125.

AD II. VESPERAS.

Ant. 2. D. Vidi ánimas interfectórum propter verbum Dei, et propter testimónium quod habébant. *Apoc.* 6.

Ant. 4. *D.* Stabant ante thronum in conspectu Agni; et palmæ in mánibus eórum. *Apoc.* 7.

Ant. 8. G. Venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. *Apoc.* 7.

Ant. 1. D. Ante thronum Dei sunt, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; et qui sedet in throno, habitábit super illos. *Apoc.* 7.

Ant. 3. a. Non esúrient, neque sítient ámpliùs; nec cadet super illos sol, neque ullus æstus. *Apoc.* 7.

Capitulum. (*Apoc.* 21.)

ABSTERGET Deus omnem lácrymam ab óculis eórum; et mors ultrà non erit: neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima ablérunt.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà :*

Allelúia, allelúia, ℣. In his secunda mors non habet potestátem, sed erunt Sacerdótes Dei et Christi, et regnábunt cum illo. Allelúia. *Apoc.* 20.

Tempore Septuagesimæ, loco Allelúia *et* ℣. *dicitur nonum.* ℟. *Offic. Nocturn.* Antíquus, XVIII.]

Hymnus, Christi Martyribus, *ut in I. Vesperis,* XV.

℣. In æternum exultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ; et dictum est illis ut requiéscerent, donec compleantur conservi eórum, qui interficiendi sunt sicut et illi. *Apoc.* 6.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE PONTIFICUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 3. a. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet. 1. *Reg.* 2.

Ant. 8. *G.* Elégi eum ex ómnibus mihi in sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, et adoléret mihi incensum. 1. *Reg.* 2.

Ant. 2. D. Ædificábo ei domum fidélem; et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. 1. *Reg.* 2.

Ant. 5. C. Erit ipsi pactum sacerdótii sempiternum, quia zelátus est pro Deo suo, et expiávit scelus filiórum Israel. *Num.* c. 25.

Ant. 1. f. Quemcumque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num.* 16.

Capitulum. (*Hebr.* 5.)

Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tanquam Aáron. Sic et Christus non semetipsum clarificávit ut póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te ; quemádmodùm et in álio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

[*In Duplicibus-majoribus, et supra :*

℟. Locútus es sanctis tuis, Dómine, et dixisti : Invéni servum meum, * Oleo sancto meo unxi eum : † Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus testimónium pérhibens, dixit : Invéni virum secundùm cor meum : * Oleo sancto meo unxi eum. Glória. † Manus. *Ps.* 88. *Act.* 13.]

HYMNUS.

Christe, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.

Ille non vano ténuit tremendam
Spíritu sedem, próprio nec ausu :
Sed sacrum jussus, Dómino vocante,
Sumpsit honórem.

Strénuum bello púgilem superni
Chrísmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, posuitque sanctam
Páscere gentem.

Fit gregis pastor, pater atque forma :
Lætus impendit sua, seque ; servus
Omnium, curis gravis, omnibusque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrasque pellit ;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

Fac ut illíus précibus juvémur,
Christe ; fac Patrem, paríterque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum. Amen.

℣. Beátus quem elegisti et assumpsisti : ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. f. Elégit ipsum Dóminus ab omni vivente offerre sacrifícium Deo, incensum et bonum odórem pro pópulo suo. *Eccli.* 45.

Collecta, ut infrà ad Laud.

[*In Solemnibus-maj. et supra, ad Complet. Ant.* 3. *à.* Die noctúque fugiébat somnus ab óculis meis pro grégibus tuis, Dómine. *Gen.* 31.

In fine Hymni, Doxologia : Supréme, XXVI.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 7.

G. Cùm vénerit Dóminus, et pulsáverit, beáti servi quos invénerit vigilantes. *Luc.* 12.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

CHRISTUM Pastórum príncipem, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

CHRISTE, decréto Patris institútus
Póntifex summo, tibi, qui fidéles
Quos legis, formas pópulis regendis
Ipse ministros:
HUNC juvat festo celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis abundans,
Flens et invítus, duce te, tremendum
Sumpsit honórem.
NÓVERAT quantis páteat periclis
Ille, qui summos ápices adeptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.
FÉCERAT fervens amor inquiétum:
Quò gregis cari pia cura poscit,
Advolat promptus: mora non euntem
Ulla retardat.
DUX iter, vitâ præeunte, monstrat:
Cómprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam bene olente Christi
Implet odóre.
LUX erat cæco, cólumen labanti,
Una spes lapso, místero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibusque
Omnia factus.
CHRISTE, Pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac ut ætern æ súbeant ópima
Páscua vitæ. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Vocávit eum Dóminus, et ait: Vidi afflictiónem pópuli mei: veni, et mittam te, ut edúcas pópulum meum. *Exod.* 3.

Ant. 1. g. Dixit ad Deum: Quis sum ego, ut vadam et edúcam fílios Israel? Qui dixit ei: Ego ero tecum. *Exod.* 3.

Ant. 8. G. Vade in hac fortitúdine tua, et liberábis Israel: scito quòd míserim te. *Judic.* 6.

℣. Pósui adjutórium in potente, ℟. Et exaltávi eléctum de plebe mea. *Ps.* 88.

Lectiones de Script. occurr.

℟. I. Rectórem te posuérunt? noli extolli: * Esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illórum habe. ℣. Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus, et óm-

nium minister: *Esto. *Eccli.* 32. *Marc.* 9.

℟. II. Speculatórem dedi te dómui Israel : * Audiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. ℣. In mente habe quáliter accéperis, et audíeris, et serva : * Audiens. *Ezech.* 33. *Apoc.* 3.

℟. III. Accéde ad altáre, et ímmola pro peccáto tuo : * Offer holocaustum, et † Deprecáre pro te et pro pópulo. ℣. Debet Póntifex quemádmodùm pro pópulo, ita étiam et pro semetipso offerre pro peccátis: *Offer. Glória Patri. † Deprecáre. *Levit.* 9. *Hebr.* 5.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. In lege Dómini congergatiónem judicávit, et in fide sua probátus est prophéta; et cógnitus est in verbis suis fidélis. *Eccli.* 46.

Ant. 3. a. Dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Dómini, et ut non exerrárent méntibus ; et hortabátur ne legem amovérent à corde suo. 2. *Mach.* 2.

Ant. 8. c. Apériet os suum, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium ejus et disciplínam. *Eccli.* 39.

℣. Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos; ℟. In columnâ nubis loquebátur ad eos. *Ps.* 98.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Audívit eum Dóminus et vocem ipsíus, et dedit illi præcepta et leges vitæ et disciplínæ, *Docére Jacob testamentum suum et judícia sua Israel. ℣. Hi est qui fuit in Ecclésia cu pátribus nostris, qui acce pit verba vitæ dare nobi * Docére Jacob. *Eccli.* 4 *Act.* 7.

℟. V. Pactum meum fu cum eo vitæ et pacis; et de ei timórem, et tímuit me * Lex veritátis fuit in o ejus; et iníquitas non est i venta in lábiis ejus. ℣. F délis erat in tota domo ej tanquam fámulus, in tes mónium eórum quæ dicen erant : * Lex. *Malach.* *Hebr.* 3.

℟. VI. In pace et in æqu táte ambulávit, et mult avertit ab iniquitáte : *Láb enim sacerdótis custódie sciéntiam, et legem requ rent ex ore ejus ; † Quia á gelus Dómini exercítuu est. ℣. Oportet Epíscopu amplecti eum, qui secu dùm doctrínam est, fidéle sermónem ; ut potens : exhortári in doctrína san *Lábia. Glória Patri. † Qu *Malach.* 2. *Tit.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. A. In omni ópe dedit confessiónem Sanc et Excelso in verbo glóri *Eccli.* 47.

Ant. 7. *d.* Erogávit pec nias multas : justítiam fidem conservávit genti su et exquisívit omni mod

exaltáre pópulum suum. 1. *Mach.* 14.

Ant. 1. *a.* Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli. c.* 39.

℣. Justítia ejus manet in séculum séculi : ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

Evangèlium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Quis est fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? * Beátus ille servus, quem cùm vénerit dóminus ejus, invénerit sic facientem. ℣. A Dómino suo præpósitus ómnibus, gubernábat* créditam sibi domum : * Beátus. *Matth.* 24. *Genes.* 39.

℟. VIII. Dóminus supra ómnia quæ póssidet, constítuet illum : * Omni autem cui multùm datum est, multùm quærétur ab eo; et cui commendavérunt multum, plus petent ab eo. ℣. In manu Dei potestas terræ, et útilem rectórem suscitábit in tempus super illam : * Omni. *Luc.* 12. *Eccli.* 10.

℟. IX. Euge, serve bone et fidélis; quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constítuam : * Intra in gáudium dómini tui. ℣. Super pópulum meum constítui te: sapiéntia et sciéntia data sunt tibi; et glóriam dabo tibi : * Intra. Glória. * Intra. *Matth.* 25. 2. *Paral.* 1.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Domus Aáron, benedícite Dómino. ℟. Domus Levi, benedícite Dómino. *Ps.* 134.

AD LAUDES.

Ant. 7. a. Qui intrat per óstium, pastor est óvium; huic ostiárius áperit; et oves vocem ejus áudiunt. *Joan. c.* 10.

Ant. 2. D. Próprias oves vocat nominátim, et edúcit eas, et ante eas vadit. *Joan.* 10.

Ant. 7. d. Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; aliénum autem non sequuntur, sed fúgiunt ab eo. *Joan.* 10.

Ant. 6. F. Si perdíderit unam ex illis, vadit ad illam donec invéniat eam; et cùm invénerit, impónit in húmeros suos gaudens. *Luc.* 15.

Ant. 8. G. Fur venit ut perdat; mercenárius videt lupum, et fugit : bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. *Joan.* 10.

Capitulum. (1. *Petr.* 5.)

Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontáneè secundùm Deum; neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè; neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex ánimo.

HYMNUS.

Jesu, Sacerdótum decus,
In hac die, quà glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adesto súpplicum.
Sui probátus præmium
Amóris, et pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere
Hos novit, et præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victumque præbet : áudiunt,
Sequuntur, et vivunt oves.
Quam sentit errantem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovíli réddere.
Arcet fremente béstias,
Lupi retundit ímpetus,
Dolosque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.
Offert frequentem víctimam
Cum plebe Pastor ínnocens;
Secumque devótum gregem
Pius Sacerdos ímmolat.
Supreme Christe Póntifex,
Jugis tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Elégit Dóminus servum suum, ℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps* 77.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Ego sum óstium : per me si quis introíerit, salvábitur, et ingrediétur, et egrediétur, et páscua invéniet. *Joan.* 10

Si sit summus Pontifex.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui beátum *N.* ad sedem Apóstoli tui Pe[...] evectum, et fidei firmitá[...] et vitæ integritáte illustr[...] effecisti, ejus méritis et i[...]tercessióne, tales Ecclé[...] tuæ próvide pastóres, [...] fidelibus tuis sinceræ d[...]trinæ præbeant aliment[...] et rectæ conversatiónis [...]nistrent exemplum; P[...]

Si sit fundator alicujus eccl[...]

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus ineffábili m[...]sericórdiâ beátus Póntif[...] *N.* in géntibus evangeliz[...] investigábiles divítias Chr[...]ti; da nobis ejus interc[...]sióne créscere in scién[...] tuâ; et in omni ópere bo[...] fructificantes, secundú[...] Evangélii veritátem cor[...]te ambuláre; Per eumde[...]

Si tantum sit Pontifex.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui pópulis tuis i[...]dulgentiâ cónsulis, et am[...] domináris; quique illis [...]gendis vicarios caritátis t[...] præficis ministros; da, qu[...]sumus, intercedente bea[...] *N.* Pontífice, Spíritum s[...]pientiæ, quibus praes[...] dedisti Ecclésiæ tuæ, ut [...] profectu sanctarum óviu[...] fiant gáudia æterna past[...]rum; Per.... in unitáte.

ALIA COLLECTA. Orémus.

Deus, fidélium lumen [...] Pastor animárum, qui be[...]tum *N.* Epíscopum in E[...]clésia posuisti, ut oves tu[...]

verbo pásceret, et informáret exemplo : da nobis ejus intercessióne, et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exemplo monstrávit ; Qui vivis.

[Ad Horas, *in Annual. et Solemnibus-maj. dicitur in fine Hymnorum Doxologia :*

Supreme Christe Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 7. a. Qui intrat per óstium.

[*In Solemn. maj. et suprà, in* ℟. *br.* ℣. Qui es pastor * magnus óvium. *Hebr.* 13.]

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Próprias oves.

Capitulum. (*Prov.* 27.)

Diligenter agnosce vultum pécoris tui, tuosque greges consídera ; non enim habébis júgiter potestátem ; sed coróna tribuétur in generatiónem et generatiónem.

℟. *br.* Deus protector meus, * In ipso sperávi. Deus. ℣. Qui subdit * pópulum meum sub me, * In. Glória. Deus. *Ps.* 143.

℣. Constitútus sum à Deo super montem sanctum ejus, ℟. Prædicans præceptum ejus. *Ps.* 2.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Oves.

Capitulum. (*Jerem.* 3.)

Introducam vos in Sion, et dabo vobis Pastóres juxta cor meum ; et pascent vos sciéntiâ et doctrínâ.

℟. *br.* Deduxit eos * In viam rectam. Deduxit eos. ℣. Ut irent * in civitátem habitatiónis. * In. Glória. Deduxit. *Ps.* 106.

℣. Abstulit sicut oves pópulum suum, ℟. Et deduxit eos in spe. *Ps.* 77.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Fur venit.

Capitulum. (*Act.* 20.)

Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam requisívit sánguine suo.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis sui. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum suárum * deduxit eos, * In. Glória. Pavit. *Ps.* 77.

℣. Nos pópulus tuus et oves páscuæ tuæ, ℟. Confitébimur tibi in séculum. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. a. Ecclésiæ factus sum ego minister secundùm dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei. *Coloss.* 1.

Ant. 4. E. Scitis quómodo nihil subtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, et docérem vos públicè, et per domos. *Act.* 20.

Ant. 1. D. Mundus sum à sánguine ómnium ; non enim subterfúgi quóminùs annuntiárem omne consilium Dei vobis. *Act.* 20.

Ant. 8. G. Nihil véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dúmmodò consummem cursum meum, et ministérium verbi quod accépi à Dómino Jesu. *Act.* 20.

Ant. 7. ç. Absit à me hoc peccátum in Dóminum, ut cessem oráre pro vobis; et docébo vos viam bonam et rectam. 1. *Reg.* 12.

Capitulum. (*Act.* 20.)

Nocte et die non cessávi, cum lácrymis monens unumquemque vestrûm : et nunc commendo vos Deo, et verbo grátiæ ipsíus, qui potens est ædificáre, et dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà :*

Allelúia, allelúia. ℣. Dedit illi Dóminus sacerdótium gentis, et beatificávit illum in glóriâ. Allelúia. *Eccli.* 45.

Tempore Septuagesimæ loco Allelúia *et* ℣. *dicitur nonum* ℟. *Officii Nocturni,* Euge, serve, xxv.]

Hymnus, Christe Pastórum, *ut in I. Vesperis,* xxii.

℣. Salvum fecit Dóminus Christum suum : ℟. Exáudiet illum de cœlo sancto suo. *Ps.* 19.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Sacerdótes tui induantur salútem : Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui: memento misericordiárum servi tui. 2. *Paral.* 6.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE DOCTORUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 4. E. A Deo profecta est sapiéntia : et in ore fidéli abundábit; et Dominátor dabit eam illi. *Eccli.* 15.

Ant. 5. C. Denudábit absconsa sua illi, et thesaurizábit super illum sciéntiam et intellectum justítiæ. *Eccli.* c. 4.

Ant. 8. G. Firmábitur in illo, et non flectétur; et continébit illum, et non confundétur; et exaltábit illum apud próximos suos. *Eccli.* 15.

Ant. 3. a. In médio Ecclésiæ apériet os ejus, et adimplébit illum Spíritu sapiéntiæ et intellectûs. *Eccli.* c. 15.

Ant. 1. D. Stolâ glóriæ véstiet illum; et nómine æterno hæreditábit illum. *Eccli.* 15.

Capitulum. (*Eccli.* 51.)

Animam meam direxi ad Sapiéntiam, et in agnitióne invéni eam : possédi cum ipsa cor ab inítio; propter hoc non derelinquar.

In Duplicibus-majoribus, et supra:

℟. Dóminus dat sapiéntiam sapiéntibus; et sciéntiam intelligéntibus disciplínam : * Ipse revélat profunda et abscóndita, et † Lux cum eo est. ℣. Spíritus ómnia scrutátur, étiam profunda Dei : * Ipse. Glória Patri. † Lux. *Dan.* 2. 1. *Cor.* c. 2.

HYMNUS.

O qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Christe, vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm bene súppetis!
Hi semper vígilant, ne quid adúlterum
Corrumpat fídei virgíneum decus :
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His custódibus íntegra.
Infames ábolent relíquias deûm :
Erróres ábigunt, crímina dédocent :
Christo restítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.
Patrum canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides :
Quæ sunt prisca, docent; quæ nova, súbruunt :
Servant depósitum Dei.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens corda doces sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine, ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Beátus qui excógitat vias sapiéntiæ in corde suo, vadens post illam quasi investigátor : protegétur sub tégmine illíus à fervóre, et in glória ejus requiescet. *Eccli.* 14.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, ad Completorium : Ant.* 3. *a.* Dedit illi Dóminus in præceptis suis potestátem docére Jacob testimónia, et in lege sua lucem dare Israel. *Eccli.* 45.

In fine Hymni Doxologia: Supréma, Christe, Véritas XXXIII.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. C. Qui vigiláverit propter sapiéntiam, citò secúrus erit; quóniam dignos se ipsa círcuit quærens, et in viis ostendit se illis hiláriter. *Sap.* 6.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Fontem sapiéntiæ Dóminum, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Jam nunc, quæ númeras
 tot tibi víndices,
Effer sidéreum, Relligio,
 caput :
Quot sunt mota tibi prælia,
 nóbiles
Tot nectis tibi láureas.

Cum per mille neces impiétas furit,
Oppónis válido péctore
 Mártyres :
Cùm per mille dolos décipit
 hæresis,
Doctóres tibi súscitas.

Quando sparsa lues úndique críminum,
Hi gliscens vítium prótinus
 ámputant :
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.

Firmant instábiles, et dúbios regunt :
Monstrant tuta procul líttora náufragis :
Nobis, qui véhimur cæca
 per æquora,
Lucent perpétuæ faces.

Quæ dixêre tuis cónsona
 sénsibus ;
Nostris illa, Deus, córdibus
 ímprimas :
Quos terris cólimus, quos
 séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.

Sit supréma tibi glória,
 Véritas,
Quæ per scripta Patrum,
 quando foris sonas,
Nullo vocis egens corda
 doces sono,
Et te méntibus ínseris
 Amen.

IN I.o NOCTURNO.

Ant. 3. a. Sapiéntia non est multis manifesta ; quibus autem cógnita est pérmanet usque ad conspectum Dei. *Eccli.* 6.

Ant. 4. E. Os prudentis quæritur in ecclésia, et verba illíus cogitábunt in córdibus suis. *Eccli.* 21.

Ant. 5. a. Sciéntia sapientis tanquam inundátio abundábit, et consílium illíus sicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, ℟. Et lingua ejus loquétur judícium. *Ps.* 36.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Sápiens apériet os suum in oratióne : * Si enim Dóminus magnus volúerit, Spíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis vestrûm índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo qui dat ómnibus afflucnter. * Si. *Eccli.* 39. *Jac.* 1.

℟. II. Ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ : * Ipse palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testamenti Dó-

mini gloriábitur. ℣. Multos filiórum Israel convertet ad Dóminum Deum ipsórum. * Ipse. *Eccli.* 39. *Luc.* 1.

℟. III. Omnis scriba doctus in regno cœlórum, * Símilis est hómini patrifamíliàs qui † Profert de thesauro suo nova et vétera. ℣. In corde prudentis requiescit sapiéntia, et indoctos quosque erúdiet. * Símilis. Glória. † Profert. *Matth.* 13. *Prov.* 14.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te ut evellas, et déstruas, et disperdas, et ædífices, et plantes. *Jerem.* 1.

Ant. 8. G. Ne retíneas verbum in témpore salútis : in lingua enim sapiéntia dignóscitur; et sensus, et sciéntia, et doctrína in verbo sensáti. *Eccli.* 4.

Ant. 2. D. Depósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. 1. *Tim.* 6.

℣. Deus, docuisti me à juventúte mea : ℟. Pronuntiábo mirabília tua. *Ps.* 70.

Lectiones, ut in Proprio,

℟. IV. Qui habet sermónem meum, loquátur sermónem meum verè. * Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi málleus cónterens petram? ℣. Si quis volúerit voluntátem fácere ejus qui misit me, cognoscet de doctrína, utrùm ex Deo sit. * Numquid non. *Jerem.* 23. *Joan.* 7.

℟. V. Ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ómnia quæ præcépero illi :* qui autem verba ejus audíre nolúerit, ego ultor existam. ℣. Qui à semetipso lóquitur, glóriam própriam quærit : qui quærit glóriam ejus qui misit eum, hic verax est. * Qui. *Deut.* 18. *Joan.* 7.

℟. VI. Dabo te, dicit Dóminus, in murum æreum, fortem :* Et bellábunt adversùm te, et † Non prævalébunt; quia ego tecum sum. ℣. Exurgent viri loquentes perversa, ut abdúcant discípulos post se : * Et bellábunt. Glória Patri. † Non. *Jerem.* 15. *Act.* 20.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. f. Propósui sapiéntiam addúcere mihí ad convivendum; sciens quóniam mecum communicábit de bonis. *Sap.* 8.

Ant. 7. d. Quæsívi sapiéntiam palàm in oratióne mea; et efflóruit tanquam præcox uva. *Eccli.* 51.

Ant. 1. f. Inventi sunt sermónes tui, Dómine; et comédi eos : et factum est mihi verbum tuum in lætítiam cordis mei. *Jerem.* 15.

℣. Scrutábor legem tuam, Dómine; * Et custódiam

illam in toto corde meo. *Ps.* 118.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Super salútem et spéciem dilexi sapiéntiam : * Et propósui pro luce habére illam : venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. ℣. Quæ desursum est sapiéntia, pudíca est, pacífica, plena misericórdià et frúctibus bonis; * Et propósui pro luce. *Sap.* 7. *Jac.* 3.

℟. VIII. Optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me Spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. ℣. Exístimo ómnia detrimentum esse propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei; * Et divítias nihil esse. *Sap.* 1. *Philip.* 3.

℟. IX. Sapiéntia bonórum ómnium mater est; quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico : infinítus enim thesaurus est; * Quo qui usi sunt, † Partícipes facti sunt amicítiæ Dei. ℣. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; * Quo qui usi sunt. Glória Patri. † Partícipes. *Sap.* 7. *Luc.* 6.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totà die salutáre tuum. *Ps.* 70.

AD LAUDES.

Ant. 2. D. Dóminus dedit mihi linguam erudítam; ut sciam sustentáre eum qui lassus est, verbo. *Is.* 50.

Ant. 6. F. Sermo meus non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis; sed in ostensióne Spiritûs, et virtútis. 1. *Cor.* 2.

Ant. 3. c. Auxílio adjútus Dei sto, testíficans minóri atque majóri, nihil extra dicens quàm ea quæ Prophétæ locúti sunt. *Act.* 26.

Ant. 4. f. Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. 1. *Cor.* 2.

Ant. 5. a. Si nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam; caritátem autem non habúero, nihil sum. 1. *Cor.* 13.

Capitulum. (*Sap.* 7.)

Mihi dedit Deus dícere ex senténtia, et præsúmere digna horum quæ mihi dantur; quóniam ipse sapiéntiæ dux est, et sapiéntium emendátor : in manu enim illíus et nos, et sermónes nostri, et omnis sapiéntia, et óperum sciéntia et disciplína.

HYMNUS.

Vos succensa Deo spléndida lúmina :
Vos sal, nos hómines quo sápimus Deum;

Ævum, puri ánimo, móri-
bus íntegri,
Quo cóndimur in álte-
rum.

Per vos Rellígio, tútaque
Véritas,
Per vos virgíneis fulget ho-
nóribus :
Per vos Christus amat pán-
dere dívites
Thesauros sapiéntiæ.

Vestris unda fluit pura ca-
nálibus ;
Christi floret ager ; munda
nitet seges :
Lac aptum púeris, et sólidum
viris
Cauti sufficitis cibum.

Hi sunt, summe Deus,
qui tibi mílitant ;
Hi sunt, qui stábiles ædífi-
cant dómos :
Unâ docta cohors arma te-
net manu,
Muros cónstruit álterâ.

Vicistis stygias vos quibus
hæreses,
Hæc nos accípimus tela
supérstites :
His pugnámus adhuc, nec
dúbio éxitu ;
His armis quoque vínci-
mus.

Sit supréma tibi glória,
Véritas,
Quæ per scripta Patrum,
quando foris sonas,
Nullo vocis egens corda
doces sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna ; ℟. Ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Sapiéntia et fortitúdo Dómini sunt : tibi, Deus, confíteor, teque laudo ; quia sapiéntiam et fortitúdinem dedisti mihi. *Dan. c.* 2.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens, æterne Deus, qui Ecclésiæ tuæ fílios, sicut non cessas erudíre, ita non désinis adjuváre : da fidélibus tuis intercessióne béati *N.* quem eis ætername salútis ministrum tribuisti, ut te miserante, sciéntiam recta faciendi, et virtútem cápiant exequendi ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

ALIA COLLECTA Orémus.

Excita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo beátus *N.* servívit ; ut eódem nos replente, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod dócuit ; Per... in unitáte ejusdem Spíritûs.

[Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus dicitur in fine Hymnorum Doxologia:*

Suprema, Christe, Véri-
tas,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spí-
ritu,
In sempiterna sécula.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Dóminus.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in* ℟ *br.*

℣. Qui es fons * sapiéntiæ. *Eccli.* 1.]

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Sermo meus.

Capitulum. (1. *Cor.* 12.)

Unicuíque datur manifestátio Spíritûs ad utilitátem: álii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ: álii autem sermo sciéntiæ secundùm eumdem Spíritum.

℟. *br.* Da mihi intellectum, * Et scrutábor legem tuam. Da mihi. ℣. Státue servo tuo * elóquium tuum, Dómine, * Et. Glória Patri. Da mihi. *Ps.* 118.

℣. Os meum loquétur sapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Ps.* 48.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Auxílio.

Capitulum. (1. *Tim.* 6.)

Si quis áliter docet, et non acquiescit sanis sermónibus Dómini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundùm pietátem est doctrínæ, superbus est, nihil sciens.

℟. *br.* Viam veritátis elégi, * Judícia tua non sum oblítus. Viam. ℣. Adhæsi * testimóniis tuis, Dómine: * Judícia. Glória Patri. Viam.

℣. A judíciis tuis non declinávi; ℟. Quia tu legem posuisti mihi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Si nóverim.

Capitulum. (1. *Tim.* 1.)

Finis præcepti est cáritas de corde puro, et consciéntiâ bonâ, et fide non fictâ: à quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vanilóquium, volentes esse legis doctóres, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

℟. *br.* Veritátem tuam * Et salutáre tuum dixi. Veritátem ℣. Non abscondi misericórdiam tuam, * et veritátem tuam; * Et salutáre. Glória Patri. Veritátem. *Ps.* 39.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui: ℟. In via testimoniórum tuórum delectátus sum. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. f. Fuit gratus Deo, erudítus omni sapiéntiâ; et erat potens in verbis et in opéribus suis. *Act.* 7.

Ant. 5. C. Juxta manum Dei sui bonam super se, parávit cor suum, ut investigáret legem Dómini, et fáceret, et docéret. 1. *Esdr.* 7.

Ant. 8. c. Postquàm se ampliùs dedit ad diligéntiam lectiónis legis et Prophetárum, vóluit et ipse scríbere

quæ ad doctrínam et sapiéntiam pértinent. *Prolog. Eccli.*

Ant. 3. a. Cùm esset sapientíssimus, dócuit pópulum : quæsívit verba utília, et conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. *Eccles.* 12.

Ant. 4. E. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes; et laudem ejus enuntiábit Ecclésia. *Eccli.* 39.

Capitulum. (*Prov.* 3.)

Beatus homo qui invénit sapiéntiam, et qui áffluit prudéntiâ : mélior est acquisítio ejus negotiatióne argenti et auri primi; et puríssimi fructus ejus : pretiósior est cunctis ópibus; et ómnia quæ desiderantur, huic non valent comparári.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà :*

Allelúia, allelúia. ℣. Qui fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. Allelúia. *Matth.* 6.

Tempore Septuagesimæ loco Allelúia *et* ℣. *dicitur nonum* ℟. *Officii Nocturni,* Sapiéntia, XXXII.]

Hymnus, O qui perpétuus, *ut in I. Vesperis,* XXIX.

℣. Beátus vir qui dispónet sermónes suos in judício : ℟. In æternum non commovébitur. *Ps.* 111.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan. c.* 12.

Collecta, ut suprà ad Laud.

COMMUNE PRESBYTERORUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 7. a. Locútus est Dóminus : Sanctificábor in iis qui appropinquant mihi : et in conspectu omnis pópuli glorificábor. *Levit.* 10.

Ant. 3. a. Ingredientur tabernáculum fœderis, ut sérviant mihi pro Israel, et orent pro eis, ne sit in pópulo plaga. *Num.* 18.

Ant. 4. D. Holocausta eórum, et víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. *Is.* 56.

Ant. 5. C. Invocábunt nomen meum super fílios Israel, et ego benedícam eis. *Num.* 6.

Ant. 1. g. Inebriábo ánimam Sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis meis adimplébitur. *Jer.* 31.

Capitulum. (*Num.* 16.)

Notum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, et sanctos

applicábit sibi; et quos elégerit, appropinquábunt ei.

[*In Duplicibus-majoribus, et suprà.*

℟. Sacerdótes sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus. * Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo suo, nec accédet ad ministérium. ℣. Sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. * Qui. Gloria. * Qui. *Levit.* 21. *Tit.* 2.]

HYMNUS.

Quid reluctátur, sibi quem ministrum.
Christus elégit? Tremor undè tantus?
Scílicet magnum timet imminentis
Pondus honóris.

Colla submittit, Dómino jubenti
Cedit: en sacris pius astat aris;
Sumit et curas, neque jam recúsat
Ferre labóres.

Providus cunctis, sibi parcus uni,
Páuperes, ægros, ope sublevábat:
Comis in cunctos ánimus, suprémis
Gratus et imis.

Campus ut ridens dómini virescit
Dum vigil plantat, rigat et minister!
Ut, Deus, largo tríbuis rigáta
Créscere fructu!

Quam docet verbo, stábilit sevéris
Móribus legem: gemit, orat, urget,
Usquedúm fingens, páriat suórum
Péctore Christum.

Quid venenóso, nóvitas profána
Tentet afflátu violáre mentes?
Excubat vindex fídei Sacerdos
Arcet et hostem.

Quæ tuis formas pópulis ministros,
Laus, tibi, jugis, déitas suprema:
Fac ut in Clero sua prima virtus,
Christe, resurgat. Amen.

℣. Stabit in loco sancto Dómini, ℟. Innocens mánibus et mundo corde. *Ps.* 23.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Quasi thus ardens in igne, in ascensu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amictum. *Eccli.* 58.

Collecta, ut infra ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, ad Completorium: Ant.* 6. *C.* Flebam super eo qui afflictus erat, et compatiebátur ánima mea páuperi. *Job* 30.

In fine Hymni, Doxologia: Jesu Sacerdos, XL.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 1. D. Nocte et die non cessávi cum lácrymis monens unumquemque. *Act.* 20.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Sacerdotem in æternum Jesum Christum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 6.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

O tua dignum pietáte munus!
Christe, cùm per te légitur Sácerdos
Ille, qui primum decus et ministris
Reddit et aris.

Quam pavens, sanctus, procul à tumultu,
Cùm dapes Christi meditátur Agni,
In quibus manat sacer incruento
Fúnere sanguis!

Thure fumantes quis hic inter aras?
Quanta majestas sedet ore sancto!
Nec minùs fervent calefacta puris
Péctora flammis.

Nec sacrum durus sedet ad tribúnal:
Sublévat tristes miseráta casus,
Cáritas, clemens, aliisque mater,
Dum sibi judex.

Quas relaxávit, luit ipse noxæ
Innocens pœnas; aliéna culpa
Hunc reum fecit; piat acta largo
Non sua fletu.

Luminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus veneréur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. à. Hæc dicit Dóminus: Elégi eum mihi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum. 1. *Reg.* 2.

Ant. 1. g. Implévi eum Spíritu Dei, sapiéntiâ et intelligéntiâ, et sciéntiâ in omni ópere. *Exod.* 31.

Ant. 7. d. Juxta cor meum et ánimam meam fáciet; et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. 1. *Reg.* 2.

℣. Servábo illi misericórdiam meam, ℟. Et testaméntum meum fidéle ipsi. *Ps.* 88.

Lectiones de Script. occur.

℟. I. Dóminum elegisti, ut sit tibi Deus, et ámbules in viis ejus, et custódias cæremónias illíus, et * Dóminus elégit te, ut sis ei, et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam. ℣. Noli neglígere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi, cum impositióne mánuum. * Dóminus. *Deut.* 26. 1. *Tim.* 4.

℟. II. Quia sanctus es Dómino Deo tuo, te elégit Dóminus. * Et scies quia Dóminus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidélis,

custódiens pactum et misericórdiam diligéntibus se. ℣. Vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple. * Et scies. *Deut.* 7. 2. *Tim.* 4.

℟. III. Prædica verbum, insta opportúnè, importúnè : * Argue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. ℣. Discurre, festína, súscita amícum tuum : ne déderis somnum óculis tuis. * Argue. Glória. * Argue. 2. *Tim.* 4. *Prov.* 6.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 5. C. De sacerdótibus non interíbit vir à fácie mea, qui ófferat holocautómata, et incendat sacrifícium. *Jerem.* 33.

Ant. 2. D. Exorábit pro peccátis, et continébit se ab illis, et in oratióne diérum exaudiétur. *Eccli.* 4.

Ant. 8. c. Rogante pro eis Sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Levit.* 4.

℣. Exáudiet illum de cœlo sancto suo : ℟. In potentátibus salus déxteræ ejus. *Ps.* 19.

Lectiones ut in Proprio.

℟. IV. Oblátio justi impinguat altáre, * Et odor suavitátis est in conspectu Altíssimi. ℣. Multùm enim valet deprecátio justi assídua, * Et. *Eccli.* 35. *Jac.* 5.

℟. V. Accédens ad altáre, * Immolávit holocausti víctimam pro peccáto pópuli, et extendens manus ad pópulum, benedixit ei. ℣. Fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, * Immolávit. *Levit.* 9. *Luc.* 12.

℟. VI. Obtulit holacaustum Dómino : et * Clamávit ad Dóminum pro Israel, et † Exaudívit eum Dóminus. ℣. Plúrimam hóstiam óbtulit, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo. * Clamávit. Glória. † Exaudívit. 1. *Reg.* 7. *Hebr.* 11.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. A. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israel. 3. *Reg.* 19.

Ant. 7. ç. Quis infirmátur, et ego non infirmor? quis scandalizátur, et ego non uror? 2. *Cor.* 11.

Ant. 1. f. Annuntiábam ut pœniténtiam ágerent, et converterentur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciente. *Act.* 25.

℣. Vidi prævaricantes, et tabescébam ; ℟. Quia elóquia tua non custodiérunt. *Ps.* 118.

Evang. et Homil. ut in Prop.

℟. VII. Operátus est bónum, et rectum, et verum coram Dómino Deo suo, * In universa cultúra domûs Dómini juxta legem et cæremónias. ℣. Fidélis erat in tota domo Dei tanquam fá-

mulus.* In. 2. *Par.* 13. *Heb.* 3.

℟. VIII. Mónita salútis dabat eis, et consolabátur eos : * Esurientes alébat, nudisque vestimenta præbébat, et mórtuis sepultúram sollícitus exhibébat. ℣. In opéribus bonis testimónium habens, tribulatiónem patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecútus est. * Esurientes. *Tob.* 1. 1. *Tim.* 5.

℟. IX. Avertit iram meam à fíliis Israel; * Quia zelo meo commótus est contra eos, ut non ipse delérem fílios Israel in zelo meo : † Ecce do ei pacem fœderis mei. ℣. Justítiæ quæ per fidem est, hæres est institútus.* Quia. Glória Patri. † Ecce. *Num.* 25. *Heb.* 11.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino; ℟. Laudáte et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Ant. 7. a. Vir Dei es tu, et verbum Dómini in ore tuo verum est. 3. *Reg.* 17.

Ant. 2. D. Ecce docuisti multos : et manus lassas roborasti : vacillantes confirmavérunt sermónes tui. *Job* 4.

Ant. 6. F. Scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini. *Eccli.* 48.

Ant. 7. d. Tu assecútus es doctrínam, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam. 2. *Tim.* 3.

Ant. 8. G. Beátus ille servus, quem, cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit sic faciéntem : super ómnia bona sua constítuet eum. *Matt.* 24.

Capitulum. (1. *Tim.* 5.)

Qui bene præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur; máxime qui labórant in verbo et doctrína.

HYMNUS.

Quam Deo gratus venit hic Minister,
Qui nihil mundi maculátus aurâ,
Mille virtútum præeunte cœtu
Scandit ad aras!

Quos docet nondùm stábiles alumnos
Firmat exemplis : potióra dictis
(Instar accensæ facis) anteíbunt
Facta magistri.

Hos alit verbis : alit hos et escis :
Nil suum dicit: sibi vindicáre
Páuperes credit, quasi commodáti
Pródigus auri.

Quippe véstigat, meditátus altâ
Mente, thesauros, sibi quos latrónum
Nulla vis tollat, neque dente vermis
Rodat iníquo.

Hunc cadens vidit, réperit renascens

Sol humi strátum, lácrymis
madentem :
Intimæ menti Deus incubábat
Intimus hospes.
Prosit ut cunctis sua, seque tradit :
Nulla lex illi nisi lex amóris :
Cáritas nullos renuébat audax
Ferre labóres.
Luminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus veneréтur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis. Amen.

℣. Sacerdótes ejus índuam salutári; ℟. Et sancti ejus exultatióne exultábunt. *Ps.* 131.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Euge, serve bone et fidélis; quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constítuam; intra in gáudium dómini tui. *Matth.* 25.

COLLECTA. Orémus.

Domine Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut sacerdótio tibi fungerétur, à pópulo segregasti : ejus nos intercessióne à peccatóribus ségrega; ut, secundùm vocatiónem nostram, gens sancta, et regále sacerdótium coram te efficiámur; Per.

ALIA COLLECTA. Orémus.

Deus, qui in Ecclésiæ tuæ decus et subsídium, beátum *N.* verendo sacerdótii ministério decorasti : præsta ut, per quem pópulus tuus Evangélii verbum, et Domínici córporis sacramentum suscépit, ejus patrocínio dignos utriusque fructus percípiat; Per eumdem.

[Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum Doxologia :*

Jesu, Sacerdos máxime,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spiritu
In sempiterna sécula. Am.]

AD PRIMAM.

Ant. 7. a. Vir Dei.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in ℟. brevi,*

℣. Qui es Sacerdos * in æternum. *Ps.* 109.]

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Ecce.

Capitulum. (1. *Tim.* 4.)

Attende tibi, et doctrínæ : insta in illis; hoc enim fáciens, et teipsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt.

℟. *br.* Veritatem tuam * Et salutáre tuum dixi. Veritátem. ℣. Non abscondi * misericórdiam tuam. * Et salutáre. Glória Patri. Veritátem. *Ps.* 39.

℣. Ecce lábia mea non prohibébo, ℟. Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F Scriptus es.

Capitulum. (1. *Tim.* 1.)

GRATIAS ago ei, qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério.

℟. *br.* Tribuat tibi * Secundùm cor tuum. Tríbuat. ℣. Impleat Dóminus * omnes petitiónes tuas, * Secundùm. Glória. Tríbuat. *Ps.* 19.

℣. Memor sit omnis sacrifícii tui; ℟. Et holocaustum tuum pingue fiat. *Ps.* 19.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Beátus.

Capitulum. (1. *Tim.* 3.)

QUI bene ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, et multam fidúciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

℟. *br.* Hic accípiet * Benedictiónem à Dómino. Hic. ℣. Et misericórdiam à Deo salutári suo; * Benedictiónem. Glória. Hic. *Ps.* 13.

℣. Beátus quem elegisti, et assumpsisti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. a. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam. *Matth.* 24.

Ant. 4. E. De omni corde suo laudávit Dóminum: et dedit in celebratiónibus decus. *Eccli.* 47.

Ant. 1. D. Obtulit holocausta super altáre; odoratusque est Dóminus odórem suavitátis. *Gen.* 8.

Ant. 6. F. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit, et ábstulit omnem iníquum et malum: sancta glorificávit. 1. *Mach.* 14.

Ant. 7. d. Cógnitus est in verbis suis fidélis: et invocávit Dóminum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes úndique, in oblatióne Agni inviolàti. *Eccli.* 46.

Capitulum. (*Eccli.* 45.)

BEATIFICAVIT illum Deus, in glórià, et circumcinxit eum zonâ glóriæ, et índuit eum stolam glóriæ, et coronávit eum in vasis virtútis.

[*In Solemn. minor. et suprà:* Allelúia, allelúia. ℣. Agnóvit eum Dóminus in benedictiónibus suis, et dedit illi hæreditátem. Allelúia. *Eccli.* 44.

Tempore Septuagesim. loco Allelúia *et* ℣. *dicitur nonum* ℟. *Officii Nocturni,* Avertit, XXXIX.]

HYMNUS.

QUANTIS micas honóribus,
Cœlo Sacerdos áddite
Cùm, præmiórum pródigus
Totum tibi dat se Deus!

PARTIS labóre plúrimo
Quot clarus es virtútibus,
Tot fulgurantem glórià
Ornant corónæ vérticem.

QUOS parturisti Númini

Te filii nunc ámbiunt:
Tuóque lætis cántibus
Certant triumpho pláudere.
CHRISTUS tuum fit præmium,
Quem consecrasti víctimâ;
Dehinc, aperto Númine,
Te pascet escâ Cœlitum.
ADHUC Sacerdos, hóstiam
Gratam Deo, nos dévove;
Undisque mersos náufragis,
Duc ad salútis líttora.
JESU, Sacerdos máxime.
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ: ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Ps.* 25.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. *Joan.* 12.

Collecta ut supra ad Laud.

COMMUNE SS. ABBATUM MONACHORUM, CŒNOBITARUM, ET ANACHORETARUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 2. D. Quid prodest hómini, si mundum universum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentum patiátur? *Matth.* 16.

Ant. 8. c. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus; et habébis thesaurum in cœlo. *Matth.* 19.

Ant. 6. F. Nemo est qui relíquerit domum, aut agros propter me, qui non accípiat cénties tantùm in témpore hoc, et in século futúro vitam æternam. *Marc.* 10.

Ant. 3. b. Salva ánimam tuam: noli respícere post tergum; salvum te fac, ne péreas. *Genes.* 19.

Ant. 7. c. Séquere me, et dimitte mórtuos sepelíre mórtuos suos. *Matth.* 8.

Capitulum. (2. *Cor.* 6.)

EXITE de médio eórum, et separámini, dicit Dóminus, et immundum ne tetigéritis: et ego recípiam vos; et ero vobis in patrem, et vos éritis mihi in fílios.

In Duplicibus-majoribus, et supra:

℟. Susceptor meus es tu, Dómine, et in verbum tuum supersperávi: * Declináte à me, maligni, et † Scrutábor mandáta Dei mei. ℣. Magister, sequar te quocumque

ieris. * Declináte à me. Glória Patri. † Scrutábor. *Ps.* 118. *Matth.* 8.

HYMNUS.

Felíces némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio secli
Mores læderet íntegros.

Ut te possídeant, quem sítiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléstia cógitant.

Nudi, prompti, álacres, liberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles ócius ádvolant:
Ut vastum mare tranent,
Prudentes onus éxuunt.

Æternas ut opes, cértaque gáudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confísi melióribus.

Illis summa fuit glória, déspici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis summa voluptas,
Longo supplício mori.

Fac nos, summe Deus; quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relictà,
Immortália quærere.

Æternus sit honos ingénito Patri:
Sit par unígenæ glória Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

Si sit Abbas, ℣. Potens in terra erit semen ejus: ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Ps.* 111.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Egrédere de cognatióne tua, et de domo patris tui; et veni in terram quam monstrábo tibi: faciamque te in gentem magnam, et benedícam tibi. *Genes.* 12.

Collecta, ut infrà ad Laud.

Si non sit Abbas, ℣. In umbra alárum tuárum sperábo, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 56.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. *D.* Reliquisti parentes tuos: plenam mercédem recípias à Dómino Deo, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. *Ruth* 2.

Collecta, ut infrà ad Laud.

[*In Solemn.-major. et supra, ad Complet.: Ant.* 4. c. Qui hábitant in deserto, secúri dórmient in sáltibus: et ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem. *Ezec.* 34.

In fine Hymni, Doxología: Sit laus, XLVIII.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 2. A. Habitábit in solitúdine judícium; et erit opus justítiæ pax, et cultus justítiæ siléntium, et secúritas usque in sempiternum. *Is.* 32.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Remuneratorem inquiren-

tibus se, Deum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Felíces, *ut suprà.*

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. g. Omnis ex vobis qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. *Luc.* 14.

Ant. 7. c. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam : fácite vobis thesaurum non deficientem in cœlis. *Luc.* 12.

Ant. 8. G. Nolíte quærere quid manducétis, aut quid bibátis : quærite primùm regnum Dei, et justítiam ejus; et hæc ómnia adjicientur vobis. *Luc.* 12.

℣. Non est inópia timéntibus Dóminum : ℟. Dívites eguérunt et esuriérunt. *Ps.* 33.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Fúgite de médio Babylónis, et salvet unusquisque ánimam suam; * Quóniam tempus ultiónis est à Dómino. ℣. Exíte de illa, pópulus meus, ut ne partícipes sitis delictórum ejus, et de plagis ejus non accipiátis; * Quóniam. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

℟. II. Vade, pópule meus, intra in cubícula tua, abscóndere módicùm, * Donec pertránseat indignátio. ℣. Veníte seorsum in desertum locum, et requiéscite, * Donec. *Is.* 26. *Marc.* 6.

℟. III. Exeámus ad Jesum extra castra, impropérium ejus portantes : * Non enim habémus hic manentem civitátem, sed futúram inquírimus. ℣. Peregríni sumus coram te, Deus : dies nostri quasi umbra super terram. * Non. Glória Patri. * Non. *Hebr.* 13. 1. *Paral.* 29.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 3. c. Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te. *Matth.* 19.

Ant. 7. c. Esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et laborámus operantes mánibus nostris. 1. *Cor.* 4.

Ant. 2. D. Non defícimus; sed licèt is qui foris est, noster homo corrumpátur; tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem. 2. *Cor.* 4.

℣. Rédimit Dóminus de intéritu vitam tuam : ℟. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Omnis qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet : * Ego ígitur sic curro, non quasi in incertum : sic pugno, non quasi áerem vérberans; sed castígo corpus meum, et in servitútem rédigo. ℣. A juventúte mea investigábam sapiéntiam : colluctáta est ánima mea in illa, et in faciendo eam confirmátus sum. * Ego. 1. *Cor.* 9. *Eccli.* 51.

℟. V. Non secundùm car-

nem ambulámus, sed secundùm spíritum; quóniam sapiéntia carnis inimíca est Deo: * Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt. ℣. Excelsus Deus et hábitans cum contríto et húmili spíritu; ut vivíficet spíritum humílium, et vivíficet cor contritórum. * Qui. *Rom.* 8. *Is.* 57.

℟. VI. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta; * Ut invéniar in illo habens justítiam quæ ex fide est, configurátus morti ejus. ℣. Elégi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum; * Ut. Glória. * Ut. *Philipp.* 3. *Ps.* 83.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 4. E. Omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne. *Act.* 1.

Ant. 5. F. Possessiónes et substántias vendébant, et dividébant illa ómnibus, prout cuíque opus erat. *Act.* 11.

Ant. 6. *C.* Plorábant, et jejunábant, et orábant in conspectu Dómini. *Baruch* 1.

℣. Flévimus, cùm recordarémur Sion: ℟. Quómodò cantábimus in terra aliéna? *Ps.* 136.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Sapiéntia dirèxit ópera eórum: * Iter fecérunt per deserta quæ non habitabantur; et in locis desertis fixérunt casas. ℣. Circuiérunt in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, afflicti; quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errantes, et in cavernis terræ. * Iter. *Sap.* 11. *Hebr.* 11.

℟. VIII. Multitúdinis erat cor unum, et ánima una: nec quisquam áliquid suum esse dicébat; sed * Erant illis ómnia commúnia. ℣. Ecce quàm bonum et quàm jucundum habitáre fratres in unum! * Erant. *Act.* 4. *Ps.* 132.

℟. IX. Pars Dómini pópulus ejus: invénit eum in terra deserta, circumduxit, et dócuit, atque portávit in húmeris suis; * Et constítuit super excelsam terram. ℣. Confitentes quia peregríni et hóspites sunt super terram, pátriam meliórem áppetunt: ídeò parávit illis civitátem; * Et. Glória. * Et. *Deut.* 32. *Hebr.* 11.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícite, sancti, et húmiles corde, Dómino: ℟. Laudáte, et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Ant. 7. d. Perféctio tua, Dómine, et doctrína tua viro sancto tuo, qui dixit patri suo et matri suæ: Néscio vos; et frátribus suis: Ignóro vos. *Deut.* 33.

Ant 1. *g.* Non sedi in

concílio ludéntium : solus sedébam, quóniam comminatióne replesti me. *Jerem.* c. 15.

Ant. 3. b. Exui me stolâ pacis, índui autem me sacco obsecratiónis; et venit mihi gáudium à Sancto. *Baruch* 4.

Ant. 4. a. Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Galat.* 6.

Ant. 8. G. In voce laudis immolábo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salúte Dómino. *Jonæ* 2.

Capitulum. (*Isaiæ* 51.)

Consolabitur Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas ejus : et ponet desertum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox laudis.

Pro S. Abbate, Monacho, et Cœnobita.

HYMNUS.

O pulchras ácies, cástraque fórtia,
Quæ spes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege sub una,
Uno sub duce mílitant.

Heu! quantis rápiunt astra labóribus!
Pulsant perpétuis quéstibus æthera :
Per jejúnia longa
Vires córporis átterunt.

Votis unánimes, vi quoque flétuum
Instant, et sócias ingéminant preces,
Et concórdibus armis
Vim cœlo simul ínferunt.

Hæc vis grata Deo : sic amat óptimus
Vinci per lácrymas, per gémitus, Pater :
Sic duris reserátur
Cœlum conditiónibus.

Fervent quando diecussa tumúltibus,
Altum turba silet : cétera dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa siléntia.

Exercet vígiles contínuus labor;
Incumbunt óperi non résides manus;
Tellus culta colónis
Victum suppéditat suis.

Quin regína suî mens quoque súbditur,
Rectorisque studet nútibus óbsequi :
Nil servat sibi juris,
Capto libérior jugo.

Æternus sit honos ingénito Patri :
Sit par unígenæ glória Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

Pro S. Anachoreta et Solitario,

HYMNUS.

Quid tu, relictis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? quid tu vides,
Solusque tecum cógitas?

Mentis volátu líbero,

Percurris æternas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.
Præsens choris cœlésti-
bus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo Númini,
Totus colendo tu vacas.
Quam pura, qui te díli-
gunt,
O Chríste, libant gáudia!
Te propter antris ábditos
Sinu recondis in tuo.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Cadúca qui linquéntibus,
Se pródigus dat præmium;
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si sit Abbas, ℣. Veníte, fílii, audíte me: ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Ps.* 33.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. *D.* Ecce ego et púeri mei, quos dedit mihi Dóminus in signum et in portentum Israel à Dómino exercítuum, qui hábitat in monte Sion. *Is.* 8.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus múnere beátus *N.* Abbas Christum páuperem sequi, et húmilem corde usque in finem perseverávit imitári: da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingressis, ut nec retrò respíciant, nec in via hæreant; sed ad te sine offensióne currentes, vitam æternam apprehendant; Per eumdem.

ALIA COLLECTA. Orémus.

Da nobis, quæsumus, Deus noster, beáti Abbátis *N.* intercessiónibus sublevári; ut per quem servis tuis perfectiónis evangélicæ documenta donasti, per eum nobis subsídia perpétuæ salútis impendas; Per.

Si non sit Abbas, ℣. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es spes mea, ℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Ps.* 141.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea. Bonus est Dóminus ánimæ quærenti illum. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. *Thren.* 3.

COLLECTA. Orémus.

Omnipotens, sempiterne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exemplo et intercessióne beáti *N.* cujus hódie tránsitum celebrámus, temporália ómnia despícere, et ad æterna totâ mentis intentiónè festináre; Per Dóminum.

ALIA COLLECLA. Orémus.

Quæréntium te, Dómine, Salvátor et custos, qui beáto *N.* ne párticeps esset coinquinatiónis, renuntiáre século, et sub alas tuas confúgere tribuisti: ejus intercessióne da pópulo tuo diabólica vitáre contágia, et te solum Dóminum purà mente sectári; Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

[Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus*

dicitur in fine Hymnorum Doxologia :

Sit laus Patri, laus Fílio,
Cadúca qui linquéntibus,
Se pródigus dat præmium;
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Perféctio.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in* ℟. *br.*

℣. Qui es remunerátor * inquiréntibus te. *Hebr.* 11.]

AD TERTIAM.

Ant. 1. *g.* Non sedi.

Capitulum. (1. *Joan.* 2.)

Si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo; quóniam omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, et concupiscéntia oculórum et supérbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscéntia ejus: qui autem facit voluntátem Dei, manet in æternum.

℟. *br.* Elongávi fúgiens: * Mansi in solitúdine. Elongávi. ℣. Quóniam vidi iniquitátem * et contradictiónem in civitáte, * Mansi. Glória. Elongávi. *Ps.* 54.

℣. Confíge timóre tuo carnes meas: ℟. A judíciis enim tuis tímui. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 3. b. Exui me.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

Omnis disciplína in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris; póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ.

℟. *br.* Propter verba labiórum tuórum * Ego custodívi vias duras. Propter. ℣. Pérfice gressus meos * in sémitis tuis. * Ego. Glória Patri. Propter. *Ps.* 16.

℣. Induébar cilício: ℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Ps.* 34

AD NONAM.

Ant. 8. *G.* In voce laudis.

Capitulum. (*Eccli.* 51.)

Vidéte óculis vestris quia módicùm laborávi, et invéni mihi multam réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argenti, et copiósum aurum possidéte in ea. Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus; et non confundémini in laude ipsíus.

℟. *br.* Sépties in die * Laudem dixi tibi. Sépties in die. ℣. Super judícia * justítiæ tuæ, * Laudem. Glória Patri. Sépties. *Ps.* 118.

℣. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, ℟. In loco peregrinatiónis meæ. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 2. D. Sumus húmiles in universa terra, Dómine: sed in ánimo contríto et spíritu humilitátis suscipiá-

mur; quóniam non est confúsio confidéntibus in te. *Dan.* 3.

Ant. 8. G. Non derelínquimur, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes; ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. 2. *Cor.* 4.

Ant. 6. F. Quasi morientes, et ecce vívimus; quasi tristes, semper autem gaudentes; tanquam nihil habentes, et ómnia possidentes. 2. *Cor.* 6.

Ant. 7. d. Omnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, misericordes, modesti, húmiles. 1. *Petr.* 3.

Ant. 4. *D.* Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui repromísit) et considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis et bonórum óperum. *Hebr.* 10.

Capitulum. (*Deut.* 7.)

Dominus Deus ipse est fortis et fidélis, custódiens pactum et misericórdiam diligéntibus se, et his qui custódiunt præcepta ejus in mille generatiónes.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà :*

Allelúia, allelúia. ℣. In loco solitúdinis, Dóminus eum dócuit, et custodívit quasi pupillam óculi sui. Allelúia. *Deut.* 32.

Tempore Septuagesimæ loco Allelúia *et* ℣. *dicitur nonum* ℟. *Officii Nocturni.* Pars Dómini, XLV.]

Hymnus, Felíces, XLIII.

Si sit Abbas, ℣. Justus ut palma florébit : ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Ps.* 91.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Atténdite ad patrem vestrum, qui sequímini quod justum est, et quæritis Dóminum; quia unum vocávi eum, et benedixi ei, et multiplicávi eum. *Is.* 51.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

Si non sit Abbas, ℣. Plantáti in domo Dómini, florébunt; ℟. Ut annúntient quóniam rectus Dóminus. *Ps.* 91.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. E. Scimus quóniam, si terrestris domus nostra dissolvátur, ædificatiónem ex Deo habémus ætérnam in cœlis : nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo est, superíndui cupientes. 2. *Cor.* 5.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE JUSTORUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 7. a. Dicébat Jesus ad omnes : Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, et tollat crucem suam quotídie, et sequátur me. *Luc.* 9.

Ant. 2. D. Dico vobis : Nisi abundáverit justítia vestra plusquàm Scribárum et Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth.* 5.

Ant. 6. *C.* Nisi conversi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth. c.* 18.

Ant. 8. G. Non omnis qui dicit mihi : Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum; sed qui facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum. *Matth.* 7.

Ant. 4. *D.* Conténdite intráre per angustam portam ; quia multi, dico vobis, quærent intráre, et non póterunt. *Luc.* 13.

Capitulum. (*Eccli.* 2.)

Qui timétis Dóminum, crédite illi ; et non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, speráte in illum ; et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, [d]ilígite illum ; et illuminab[un]tur corda vestra.

In Duplicibus-majori[bus] et suprà :

℟. Qui timent Dómin[um] non erunt incredíbiles [ver]bo illíus; et * Qui dílig[unt] illum, conservábunt v[ias] illíus. ℣. Plenitúdo legi[s] diléctio. * Qui. Glóri[a] Qui. *Eccli.* 2. *Rom.* 13.

HYMNUS.

Summi pusillus grex Pat[ris]
Timóre mentem sólvi[t]
Sui paternus vos amor
Vult esse regni cómpot[es].

En regnat inter Cœli[tes]
Qui vixit olim século
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, et sciens p[...]

Angusta pœniténtiæ
Ingressus, et viam cruci[s]
Per dura Christum præ[...]
Per damna non timet se[...]

Carnem terit jejúniis;
Linguam domat siléntio
In páuperum, parcus si[bi]
Abscondit et spargit sin[u].

Sapóre verbi páscitur
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil
Mens celsa versátur polo.

Hac surgit ad cœlum v[ia]
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíriti[i]
Ad te veníre sémitâ.
Amen.

℣. Sperent in te qui novérunt nomen tuum; ℟. Quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine. *Ps.* 9.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Qui confídunt in Dómino, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiescent illi; quóniam donum et pax est electis ejus. *Sap.* c. 3.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, ad Completorium : Ant.* 2. A. Vigiláte, et estóte paráti ; quia quâ nescítis horâ Fílius hóminis ventúrus est. *Matth.* 24.

In fine Hymni Doxologia : Æterna, LIV.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. C. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectántibus te. *Is.* 64.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

DILIGENTEM justos Dóminum, * Veníte, adorémus *Ps.* 145.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

NON parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura :
Sunt incruenta, quæ suos
Habent triumphos, prælia.

NON iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines :
Crudélis et durus sibi
Se morte lentâ cónficit.

SI lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori
Hoc supplet omne cáritas.

CORPUS subégit cástitas,
Et líberam mentem fides :
Amor supernis ígnibus
Totam litávit hóstiam.

VENIS apertis ómnibus
Qui vellet ultro erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.

DA, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori :
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.

ÆTERNA justórum quies,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Qui vult vitam dilígere, et dies vidére bonos, declínet à malo, et fáciat bonum. 1. *Petr.* 3.

Ant. 4. D. Cùm ingressus fúeris sémitas æquitátis, non arctabuntur gressus tui; et currens, non habébis offendículum. *Prov.* 4.

Ant. 7. d. Inhabitábis cum justítia, et próteget te in sempiternum; et in die agnitiónis invénies firmamentum. *Eccli.* 27.

℣. In nómine tuo exultábunt justi, Dómine, ℟. Et in justítia tua exaltabuntur. *Ps.* 88.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Tóllite jugum meum super vos, et díscite à me quia mitis sum et húmilis corde : * Et inveniétis réquiem animábus vestris ; jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Interrogáte quæ sit via bona, et ambuláte in ea : * Et inveniétis. *Matth.* 11. *Jerem.* 6.

℟. II. Nihil dúlcius, quàm respícere in mandátis Dómini. * Glória magna est sequi Dóminum. ℣. Si quis mihi ministrat, me sequátur ; et ubi sum ego, illìc et minister meus erit. * Glória magna. *Eccli.* 23. *Joan.* 12.

℟. III. Omnis qui venit ad me, et audit sermónes meos, et facit eos, ostendam vobis cui símilis sit : * Símilis est hómini ædificanti domum, qui † Fodit in altum, et pósuit fundamentum super petram. ℣. Beátus homo, cui donátum est habére timórem Dei : qui tenet illum, cui assimilábitur ? * Símilis est. Glória. † Fodit. *Luc.* 6. *Eccli.* 25.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 8. G. Turris fortíssima nomen Dómini : ad ipsum currit justus, et exaltábitur. *Prov.* 18.

Ant. 6. F. Deridétur justi simplícitas : lampas contempta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus statútum. *Job* 12.

Ant. 5. a. Benedíctio Dei in mercédem justi festínat ; et in hora velóci processus illíus fructíficat. *Eccli.* 11.

℣. Gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, ℟. Quóniam tu benedíces justo. *Ps.* 5.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Quàm magnus qui invénit sapiéntiam et sciéntiam ! sed * Non est super timentem Dóminum. ℣. Mundémus nos ab omni inquinamento carnis et spíritûs, perficientes sanctificatiónem in timóre Dei : * Non est. *Eccli.* 25. 2. *Cor.* 7.

℟. V. Si quis emundáverit se, * Erit vas in honórem sanctificátum, et útile Dómino, ad omne opus bonum parátum. ℣. Sápiens cor abstinébit se à peccátis, et in opéribus justítiæ successus habébit. * Erit vas. 2. *Tim.* 2. *Eccli.* 3.

℟. VI. Beátus qui inventus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesauris : * Qui probátus est in illo, et perfectus est, † Erit illi glória æterna. ℣. Probátio vestræ fídei multò pretiósior auro. * Qui. Glória. † Erit. *Eccli.* 31. 1. *Petr.* 1.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 8. G. Qui sperant in Dómino, mutábunt fortitúdinem : current, et non laborábunt ; ambulábunt, et non defícient. *Is.* 40.

Ant. 2. D. Tenébit justus viam suam, et mundis má-

nibus addet fortitúdinem. *Job* 17.

Ant. 3. a. Qui fidúciam habet meî, hæreditábit terram, et possidébit montem sanctum meum. *Is.* 57.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus; ℟. Et non respexit in vanitátes et insánias falsas. *Ps.* 39.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum; ut, cùm vénerit, confestim apériant ei. ℣. Qui vigiláverint ad illum, justítias quasi lumen accendent. * Et vos. *Luc.* 12. *Eccli.* 32.

℟. VIII. Ego in justítia apparébo conspéctui tuo, Dómine: * Satiábor, cùm appárúerit glória tua. ℣. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cógnitus sum. * Satiábor. *Ps.* 16. 1. *Cor.* 13.

℟. IX. Sapiéntia justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei; et * Dedit illi sciéntiam sanctórum: † Honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. ℣. Regnum Dei justítia est, et pax in Spíritu sancto: qui in hoc servit Christo, placet Deo.* Dedit. Glória. † Honestávit. *Sap.* 10. *Rom.* 14.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícite, servi Dómini, Dómino: ℟. Laudáte et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Ant. 1. f. Ante Dóminum qui elégit me, vílior fiam plusquàm factus sum; et ero húmilis in óculis meis. 2. *Reg.* 6.

Ant. 2. c. Semper quasi tumentes super me fluctus tímui Deum, et pondus ejus ferre non pótui. *Job* 31.

Ant. 4. d. A mandátis labiórum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus. *Job* 23.

Ant. 5. a. Ambulávit pes meus iter rectum: zelátus sum bonum; et non confundar. *Eccli.* 51.

Ant. 3. *à.* Donec súperest hálitus in me, non loquentur lábia mea iniquitátem, nec lingua mea meditábitur mendácium. *Job* 27.

Capitulum. (2. *Cor.* 1.)

Gloria nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ, quòd in simplicitáte cordis et sinceritáte Dei, et non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversáti súmus in hoc mundo.

HYMNUS.

Qui te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámplius
Suspírat, oblítus suî.

Quid ergo gaudes nectere

Tristes moras amántibus?
Terris retardas éxules,
Cives polo quos déstinas.
Hinc fervet in dies amor:
In vota toti díffluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.
Vix iste tardi córporis
Pondus molestum sústinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo se júngere.
Æterna justórum quies,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Proba me, Deus, et vide si via iniquitátis in me est; ℟. Et deduc me in via ætérna. *Ps.* 138.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Qui facit veritátem, venit ad lucem, ut manifesténtur ópera ejus: quia in Deo sunt facta. *Joan.* 3.

ORATIO.

Fac, quæsumus, Dómine Deus noster, intercedente beáto *N.* pópulum tuum in tua dilectióne ambuláre; quia perpétua est et plena felícitas, si bonórum ómnium serviámus auctóri; Per.

[Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus dicitur in fine Hymnorum, Doxologia:*

Æterna Justórum quies,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.]

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Ante Dóminum.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, in* ℟. *br.*

℣. Qui propè es ómnibus* invocántibus te. *Ps.* 144.]

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Semper.

Capitulum. (*Philip.* 2.)

Cum metu et tremóre vestram salútem operámini; Deus est enim qui operátur in vobis et velle et perfícere, pro bona voluntáte.

℟. *br.* Convertantur mihi * Timentes te, Dómine. Convertantur. ℣. Et qui novérunt * testimónia tua, * Timentes te, Dómine. Glória. Convertantur mihi.

℣. Párticeps ego sum ómnium timéntium te, ℟. Et custodiéntium mandáta tua. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 4. d. A mandátis.

Capitulum. (*Jac.* 1.)

Qui perspéxerit in legem perfectam libertátis, et permánserit in ea, non audítor obliviósus factus, sed factor óperis; hic beátus in facto suo erit.

℟. *br.* Lucerna pédibus meis * Verbum tuum, Dómine. Lucerna pédibus meis. ℣. Et lumen * sémitis meis, * Verbum. Glória. Lucerna.

℣. Servávi mandáta tua et testimónia tua ; ℟. Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 3. *a.* Donec súperest·

Capitulum. (*Eccli.* 15.)

Justitia longè abest à supérbià et dolo : viri mendáces non erunt illíus mémores ; et viri veráces invenientur in illa, et successum habébunt usque ad inspectiónem Dei.

℟. *br.* Justítia tua, Dómine, * Justítia in æternum. Justítia. ℣. Et lex tua, * véritas. * Justítia. Glória Patri. Justítia tua.

℣. Ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque ; ℟. Quia in judíciis tuis supersperávi. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 6. F. Ecce verè Israélita, in quo dolus non est. *Joan.* 1.

Ant. 4. f. Erat vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et secédens à malo. *Job* 1.

Ant. 1. D. Custodívit ánimam suam, et memor fuit Dómini in toto corde suo. *Tob.* 1.

Ant. 3. a. Non prætériit de universis mandátis, nec unum quidem verbum quod jússerat Dóminus. *Josue* 11.

Ant. 5. C. Immóbilis in Dei timóre permansit, agens grátias Deo ómnibus diebus vitæ suæ. *Tob.* 2.

Capitulum. (*Galat.* 6.)

Fratres, quæ semináverit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem : qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet et vitam æternam.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà* :

Allelúia, allelúia. ℣. Timenti Dóminum benè erit in extrémis, et in die defunctiónis suæ benedicétur. Allelúia. *Eccli.* 1.

Tempore Septuagesimæ, loco Allelúia *et* ℣. *dicitur nonum* ℟. *Officii Nocturni*, Sapiéntia, LIII.]

Hymnus, Summi pusillus grex, *ut in I. Vesperis, suprà, p.* L.

℣. Innocens mánibus et mundo corde, hic accípiet benedictiónem à Dómino ; ℟. Et misericórdiam à Deo salutári suo. *Ps.* 23.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Tu fecisti, Dómine, cum servo tuo misericórdiam magnam, sicut ambulávit in conspectu tuo in veritáte, et justítia, et recto corde tecum. 3. *Reg.* 3.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE VIRGINUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 3. a. Quid Dómini bonum est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electórum, et vinum gérminans vírgines? *Zach.* 9.

Ant. 6. F. Laudábunt, et cónfluent ad bona Dómini; et ultrà non esúrient: tunc lætábitur virgo in choro. *Jerem.* 31.

Ant. 5. a. Non dicat: Ecce ego lignum áridum; quia hæc dicit Dóminus: Qui tenúerint fœdus meum, dabo eis in domo mea locum. *Is.* 56.

Ant. 1. D. Dabo eis nomen mélius à fíliis et filiábus: nomen sempitérnum dabo eis, quod non períbit. *Is.* 56.

Ant. 7. a. Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. *Matth.* c. 19.

Capitulum. (1. *Cor.* 7.)

UNUSQUISQUE próprium donum habet ex Deo: álius quidem sic, álius verò sic. Dico autem non nuptis, et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant.

In Duplicibus-majoribus, et supra;

℟. Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? membra vestra templum sunt Spíritûs sancti qui in vobis est. * Glorificáte, et † Portáte Deum in córpore vestro. ℣. Ponam tabernáculum meum in médio vestrî: ambulábo inter vos, et ero Deus vester. * Glorificáte. Glória Patri. † Portáte. 1. *Cor.* 6. *Levit.* 26.

Si sit Martyr,

HYMNUS.

FESTIS læta sonent sídera cánticus:
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici: dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

VESTRIS illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

SED quid cogis, amor? fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem:
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præclárae sítiens necis.

SIC quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,

Et per damna sui córporis íntegram
Testári Dómino fidem.
PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Amborumque sacro máxima Flámini,
Per quem magnánimæ prælia sústinent,
Spreto fúnere, Vírgines. Amen.

℣. Deus præcinxit me virtúte, ℟. Et pósuit immaculátam viam meam. *Ps.* 17.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspectù ejus. 1. *Cor.* 1.

Collecta, ut infrà ad Laud.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

Vos ô virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite láudibus.

HÆC est sacra dies, óbvia quà suo
Cum plena rútilans lámpade júngitur
Sponso, stansque throno próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

SOLO digna Deo cónjuge, réspuit
Mortáles thálamos: ut semel óbligat
Sese fida suo, quem bene déperit,
Ultro se Deus óbligat.

PURUM ne máculent pectus ímagines,
In se tota sui córporis ímmemor
Mens sese récipit; nil óculi vident,
Surdis nil sonat áuribus.

ÆGRO vix sua sunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam sibi præripit,
Unus fit Deus ómnia.

FAC, ò Christe, tuæ Vírginis æmulos
Hàc nos ire tibi, quâ gráditur vià:
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris
Fac soli tibi vívere.

DA te, summe Pater, tóllere láudibus:
Da te, Christe, sequi, láurea Vírginum:
Fac incensa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora. Amen.

℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: ℟. Obliviscere pópulum tuum, et domum patris tui. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Complácuit Dómino in te: et gaudébit super te Deus tuus. *Is.* 62.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, ad Completorium:* *Ant.* 2. A. Ego dilecto meo; et ad me convérsio ejus. *Cant.* 7.

In fine Hymni Doxologia: Æterne, LXII.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. E. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, immaculáta mea. *Cant. c.* 5.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

AGNUM quem sequuntur Vírgines, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14.

Ps. 94. Veníte, 150.

Si sit Martyr,

HYMNUS.

VIRGINUM robur, Deus, atque custos:
Sexus imbellis, médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!

PRO tuis arís animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus:
Non suos sentit, memor ô! tuórum,
Christe, dolórum.

NON graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem:
Quin sacri crescit magis obstinátus
Ardor amóris.

SPONSA dilecto placitúra Sponso,
Déspicit ruptum laniáta corpus:
Est suus truncis honor et venustas,
Est sua membris.

OMNIS à recto fluit ille splendor:
Christe, sic olim cruce tensus altâ,
Obsequens Patri, lácerus placébas
Hórridus artus.

SUMMA laus Patri, genitóque Verbo;
Et tibi compar, utriusque Nexus:
Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

CŒLESTIS aula pánditur:
En Sponsus; omnes óbviæ
Exíte sponso vírgini,
Exíte, sponsæ Vírgines.

HÆC nuptiális est dies,
Quæ, longa post suspíria
Dat ómnibus, dat síngulis
Jam pléniùs frui Deo.

QUÆ casta vobis gáudia
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens voluptas éffluit?

HUNC propter unum víluit
Superba regum púrpura:
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?

O VIRGINALES núptiæ,
Per quas caro fit spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!

SIT laus Patri, laus Fílio:
Sit par tibi laus, Spíritus,

Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Oleum effúsum nomen tuum; ideò adolescéntulæ dilexérunt te. *Cant.* 1.

Ant. 3. c. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. *Cant.* 1.

Ant. 5. a. Exultábimus et lætábimur in te; recti díligunt te. *Cant.* 1.

℣. Deus meus, impollúta via ejus: ℟. Protector est ómnium sperántium in se. *Ps.* 17.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Súscipe me, Dómine, secundùm elóquium tuum, et vivam: * Non confundas me ab expectatióne mea. ℣. Ut Deo vivam, in fide vivo Fílii Dei qui dilexit me. * Non. *Ps.* 118. *Galat.* 2.

℟. II. Lex tua, Dómine, meditátio mea est: * Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, ut non confundar. ℣. Secundùm expectatiónem et spem meam, magnificábitur Christus in córpore meo. * Fiat. *Ps.* 118. *Philipp.* 1.

℟. III. Ecce qui elongant se à te, Dómine, períbunt: * Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. ℣. Qui adhæret *Dómino, unus spíritus est.* * Mihi. Glória Patri. * Mihi. *Ps.* 72. 1. *Cor.* 6.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. *G.* In caritáte perpétua dilexi te; ídeò attraxi te, míserans. *Jerem.* c. 31.

Ant. 4. f. Ingressus sum pactum tecum, et facta es mihi. *Ezech.* 16.

Ant. 7. b. Cave nequando obliviscáris pacti Dómini Dei tui, quod pépigit tecum, quia Dóminus Deus tuus, Deus æmulátor. *Deut.* 4.

℣. Concupiscet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps.* 44.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Sponsábo te mihi in sempiternum: * Et sponsábo te in justítia et judício, et in misericórdia, et in miseratiónibus. ℣. Sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. * Et sponsábo. *Os.* 2. 1. *Tim.* 6.

℟. V. Scient quia ego dilexi te: * Tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. ℣. Dedi corónam decóris in cápite tuo: et profecisti in regnum; quia perfecta eras in decóre meo. * Tene. *Apoc.* 3. *Ezech.* c. 16.

℟. VI. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum; * Quia † Fortis est ut mors diléctio. ℣. Neque ins-

tántia, neque fortitúdo, neque creatúra ália póterit separáre à caritáte Dei; * Quia fortis est. † Glória Patri. Fortis est. *Cant.* 8. *Rom.* 8.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 6. F. Grátia cum ómnibus qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum in incorruptióne. *Ephes.* 6.

Ant. 3. *a.* Incorrúptio facit esse próximum Deo. *Sap.* 6.

Ant. 1. a. Omnis ponderátio non est digna continentis ánimæ. *Eccli.* 26.

℣. Beáti immaculáti in via, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! * Immortális est enim memória illíus: quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. ℣. Relígio munda apud Deum et Patrem hæc est, Immaculátum se custodíre ab hoc século. * Immortális. *Sap.* 4. *Jac.* 1.

℟. VIII. Felix est stérilis: * Et incoinquináta habébit fructum in respectióne animárum sanctárum. ℣. Deus reddet iis qui secundùm patiéntiam boni óperis incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam.* Et. *Sap.* 3. *Rom.* 2.

℟. IX. Dabitur illi sors in templo Dei acceptíssima: * *Bonórum* enim labórum gloriósus est fructus, et quæ non cóncidat radix sapiéntiæ. ℣. Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt. * Bonórum. * Glória. * Bonórum. *Sap.* 3. *Matth.* 5.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Cantábo tibi, Dómine: ℟. Psallam, et intélligam in via immaculáta. *Ps.* 100.

AD LAUDES.

Ant. 1. g. Dilectus meus descendit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut lília cólligat. *Cant.* 6.

Ant. 5. a. Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimittam. *Cant.* c. 3.

Ant. 2. D. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6.

Ant. 6. *C.* Dilectus meus ordinávit in me caritátem: fulcíte me flóribus, stipáte me malis. *Cant.* 2.

Ant. 3. a. Sub umbra illíus quem desideráveram, sedi; et fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2.

Capitulum. (*Sap.* 8.)

Ut scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapiéntiæ, scire cujus esset hoc donum, ádii Dóminum.

Si sit Martyr,

HYMNUS.

Quid sacram, Virgo generósa Martyr,

Ambiunt frontem dúplices
corónæ?
Nempe non unum gémino
reportas
Hoste triumphum.
Mollior fregit neque te
voluptas;
Impotens flexit neque te ty-
rannus;
Tu graves pœnas, pariter-
que blandos
Vincis amóres.
Liliis Sponsus récubat,
rosisque:
Tu, tuo semper bene fida
Sponso,
Et rosas martyr, simul et
dedisti
Lília virgo.
Summa laus Patri, genitó-
que Verbo;
Et tibi compar, utriusque
Nexus:
Fac tibi semper placeámus
uni
Móribus æquis. Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætérnum erit: ℟. Non confundentur in témpore malo. *Ps.* 36.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Factus est Dóminus firmaméntum meum: liberávit me, quia complácui ei: secundùm mundítiam manuum meárum reddet mihi. 2. *Reg.* 22.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti: concéde propítius, ut qui beátæ *N.* Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur; Per.

ALIA COLLECTA. Orémus.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus múnere beáta *N.* virginitátis et martyrii palmam adepta est: da nobis ejus précibus, ita córporis ac mentis serváre puritátem, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur; Per.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

Non vana dilectum gregem
Pavére mundi gáudia,
Nec pura fallax péctora
Imágo lusit séculi.
Sed hæc tuárum própria
Sunt, Christe, sponsárum
bona,
Te semper, et tecum tuis
In te potíri gáudiis.
Castis vicissim tu tibi
In córdibus thorum struis;
Interque flammas íntimo
Amans quiescis in sinu.
Hic unus est sponsis amor,
Unusque tecum spíritus;
Beasque sponsus síngulas,
In teque transformas, Deus.
Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.
Sit laus Patri, laus Fílio:
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.
Amen.

℣. Sitívit in te ánima

mea : ℟. Quàm multiplíciter tibi caro mea ! *Ps.* 62.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. G. Exultábit ánima mea in Deo meo; quia índuit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. *Is.* 61.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituisti ; concéde, ut qui fidélis sponsæ tuæ *N.* puritátem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequámur exemplo ; Per.

ALIA COLLECTA. Orémus.

Fideles tuos, quæsumus, Dómine, intercedente beátâ *N.* vírgine tuâ, córpore et mente purífica; ut tuâ inspiratióne compuncti, nóxias delectatiónes vitáre præváleant ; atque ut eárum non capiantur illécebris, tuâ semper suavitáte pascantur; Per.

Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum, Doxologia ;*

Æterne Sponse Vírginum,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Dilectus meus.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà in* ℟. *br.*

℣. Qui es Agnus * que sequuntur Vírgines. *Ap* 14.]

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Invéni.

Capitulum. (1. *Cor.* 7.)

De virgínibus præcept Dómini non hábeo ; con lium autem do, tanqu misericórdiam consecútu Dómino, ut sim fidélis.

℟. *br.* Lætétur mons Sio * Exultent fíliæ Judæ. Læ tur. ℣. Propter judícia tu Dómine, * Exultent fil Judæ. Glória Patri. Læ tur. *Ps.* 47.

℣. Audívit, et lætata Sion ; ℟. Et exultavérunt liæ Judæ. *Ps.* 96.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Ego.

Capitulum. (1. *Cor.* 7.)

Mulier innupta, et vir cógitat quæ Dómini sun ut sit sancta córpore et sp ritu : quæ autem, nupta c cógitat quæ sunt mund quómodò pláceat viro.

℟. *br.* Quid mihi est cœlo ? * Et à te quid vol super terram ? Quid. Deus cordis mei, * et p mea Deus in æternum. * Glória Patri. Quid. *Ps.* 7

℣. Concupiscit, et déf ánima mea in átria Dómin ℟. Cor meum et caro m exultavérunt in Deum v vum. *Ps.* 83.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Sub umbra.

Capitulum. (2. *Cor.* 11.)

ÆMULOR vos Dei æmulatióne : despondi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. *br.* Afferentur Regi vírgines * In lætítia et exultatióne. Afferentur Regi vírgines. ℣. Adducentur * in templum Regis, * In lætítia. Glória. Afferentur.

℣. Delectavérunt te filiæ regum, ℟. In honóre tuo. *Ps.* 44.

AD II. VESPERAS.

Ant. 4. *D.* Vírgines accipientes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. *Matth.* 25.

Ant. 3. a. Prudentes accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus, et ornavérunt lámpades suas. *Matth. c.* 25.

Ant. 7. d. Médiâ nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. *Matth.* 25.

Ant. 2. D. Venit sponsus; et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25.

Ant. 1. D. Vírgines sequuntur Agnum quócumque íerit : sine mácula enim sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14.

Capitulum. (*Apoc.* 19.)

REGNAVIT Dóminus Deus noster omnípotens : gaudeámus, et exultémus, et demus glóriam ei; quia venérunt núptiæ Agni, et uxor ejus præparávit se.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà :*]

Allelúia, alleluia. ℣. Cantábant Vírgines quasi Cánticum novum ante sedem Dei et Agni. Alleluia. *Apoc.* 14.

Tempore Septuagesimæ, loco Allelúia *et* ℣. *dicitur nonum* ℟. *Officii Nocturni.* Dábitur, p. LX.]

Si sit Martyr, Hymnus, Festis læta sonent, *ut in primis Vesperis,* LVI.

℣. Conféssio et pulchritúdo in conspectu Dei : ℟. Sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus. *Ps.* 95.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Casta generátio in perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

O VIRGO, pectus cui sacrum,
Amóris expers ímprobi,
Intùs suis ardóribus
Sanctus perussit Spíritus!

NON te voluptas dúlcibus
Fallax venénis mólliit,
Solas amantem pérsequi
Cœlestis Agni núptias.

SIC ille natus Vírgine
Suo decóre céperat,

Ut ejus ardens ígnibus
Mundána cuncta témneres.
Beáta cui nunc, Cœlitûm
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponsi potíri gáudiis.
ÆTERNE sponse Vírginum,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Vírgines laudent nomen Dómini : ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. In resurrectióne neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22.

Collecta, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE SANCTARUM MULIERUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 6. F. Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, tu scis quòd nunquam lætáta sit ancilla tua nisi in te, Dómine Deus. *Esther.* 14.

Ant. 2. D. Ad te, Dómine, óculos meos dírigo : tu scis quia mundam servávi ánimam meam ab omni concupiscéntia. *Tob.* 3.

Ant. 8. c. Nunquam cum ludéntibus míscui me; neque cum his qui in levitáte ámbulant, partícipem me præbui. *Tob.* 3.

Ant. 3. a. Dómine Pater, omne desidérium averte à me, et ánimæ irreverenti et infrunítæ ne tradas me. *Eccli.* 23.

Ant. 5. C. Adjuva me ancillam tuam, nullum áliud auxílium habentem, nisi te, Dómine, qui nosti quia óderim glóriam iniquórum. *Esther.* 14.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

RELINQUET homo patrem, et matrem suam, et adhærébit uxóri suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclésia. Verúmtamen et vos singuli unusquisque uxórem suam sicut seipsum díligat; uxor autem tímeat virum suum.

In Duplicibus-majoribus, et suprà :

℟. Virum, Dómine, cum timóre tuo, non cum libídine mea consensi suscípere: * Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sécula. ℣. Non vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem. * Sit. Glória. Patri * Sit. *Tob.* 3. 1. *Thess.* c. 4.

HYMNUS.

AD núptias Agni Pater

Matres et innuptas vocat :
O te beátam, cui thorus
Interque sponsas sors datur!
LEX nuptiárum cáritas
Dos magna, paupertas, tibi,
Calcáre falláces opes,
Cadúca corde spérnere.
TE multus oblectat labor,
Fusæque jejúnam preces :
Te pœnitentem lácrymæ,
Te cura páuperum juvat.
QUACUMQUE confixam sibi,
Per probra sponsam, per cruces
Trahit Magister; et sequi
Despecta gaudes, et pati.
BEATA quæ sponso Deo
Castis adhæret vínculis :
Sic corpus unum póssumus,
Sic unus esse spíritus.
Hoc præstet almo cum Patre,
Natóque nobis, Spíritus,
Qui trinus ac unus Deus
Regnat per omne séculum. Amen.

Si sit Martyr, ℣. Factus es spes mea, Dómine : ℟. Turris fortitúdinis à fácie inimíci. *Ps.* 60.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. *D.* Deus cœlórum, exaudi me deprecantem, et de tua misericórdia præsumentem; ut gentes agnoscant quia tu es Deus, et non est álius præter te. *Judith.* 9.

Collecta, ut infrà ad Laudes.

Si non sit Martyr, ℣. Averte óculos meos, ne vídeant vanitátem : ℟. In via tua vivífica me. *Ps.* 118.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. A. Exultávit cor meum in Dómino, et dilatátum est os meum; quia lætáta sum in salutári tuo. 1. *Reg.* 2.

Collecta, ut infra ad Laud.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium : Ant.* 2. A. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non extinguétur in nocte lucerna ejus. *Prov.* 31.

In fine Hymni, Doxologia : Divína, LXIX.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 1. D. Indue te decóre sempiternæ glóriæ; Deus enim ostendet splendórem suum in te. *Baruch* 5.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

DEUM in quo sperant sanctæ mulíeres, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 3.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

ADESTE, sanctæ Cónjuges;
En illa fortis Fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Inter triumphat Cœlites.
Blandos ut hostes vínceret,
Hanc fortitúdo véstiit :
Ut prosit intuéntibus,
Cœlestis ornávit decor.
NON vana pompa séculi
Sensus fefellit, nec malis
Gliscens voluptas ártibus
Viríle pectus mólliit.
NON illa luxu véstium,
Non crine torto spléndiuit :
Cultu nitens sed símplice,

Puris placébat móribus.
Se sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit:
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amittat decus
Pascenda cœlesti cibo,
Sacris studébat lítteris;
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curam domûs.
Divina Proles Féminæ,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, et cum electis féminis gráditur. *Eccli.* 1.

Ant. 2. D. Sápiens múlier ædíficat domum: múlier gratiósa invéniet glóriam. *Prov.* 14.

Ant. 3. à. Pars bona, múlier bona: in parte timéntium Deum dábitur. *Eccli.* 26.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus; ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. *Ps.* 36.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus: * Confídit in ea cor viri sui: reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. ℣. Vir imágo et glória Dei est: múlier autem glória viri est. * Confídit in ea. *Prov.* 31. 1. *Cor.* 11.

℟. II. Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum: * Disciplína illíus datum Dei est. ℣. Quæ fílios aut nepótes habet, discat domum suam régere; hoc enim acceptum est coram Deo. * Disciplína illíus. *Eccli.* 26. 1. *Tim.* 5.

℟. III. Grátia super grátiam, múlier sancta et pudoráta: * Fundamenta ætérna supra petram sólidam, mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ. ℣. Venérunt flúmina et flavérunt venti, et irruérunt in domum, et non cécidit; fundáta enim erat super petram. * Fundamenta. Glória Patri. * Fundamenta. *Eccli.* 26. *Matth.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 4. E. Deprecabátur Dóminum; dicens: Dómine mi, qui rex noster es solus, ádjuva me, cujus præter te nullus est auxiliátor álius. *Esther* 14.

Ant. 5. a. Ostende quóniam non derelínquis præsuméntes de te; et præsuméntes de se, et de sua virtúte gloriántes humílias. *Judith* 6.

Ant. 6. F. In consílium eórum non véniat ánima mea, et in cœtu illórum non sit glória mea. *Genes.* 49.

℣. Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam: ℟. Qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspectu oculórum meórum. *Ps.* 100.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Misericórdia tua, Dómine, ante óculos meos est; et *Complácui in veritáte tuà : non sedi cum concílio vanitátis. ℣. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte? * Complácui in veritáte. *Ps.* 25. 2. *Cor.* 6.

℟. V. Dilexi, Dómine, mandáta tua super aurum et topázion; * Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar : omnem viam iníquam ódio hábui. ℣. Non in abundántia cujusquam vita ejus est ex his quæ póssidet: *Proptéreà. *Ps.* 118. *Luc.* 12.

℟. VI. Ego in Dómino sperávi : * Exultábo et lætábor in misericórdia tua : † Quóniam respexisti humilitátem meam, salvasti de necessitátibus ánimam meam. ℣. Ubi Spíritus Dómini, ibi libertas. * Exultábo. Glória Patri. † Quóniam. *Ps.* 30. 2. *Cor.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith* 15.

Ant. 8. G. Benedicta es à Dómino; scit enim omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. *Ruth* 3.

Ant. 5. C. Gaudébit super te Dóminus in lætítia, silébit in dilectióne sua, exultábit super te in laude. *Soph.* 3.

℣. Benedícat te Dóminus ex Sion; ℟. Et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ. *Ps.* 127.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu supergressa es universas. * Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. ℣. In incorruptibilitáte modesti spíritûs, qui est in conspectu Dei lócuples, sanctæ mulíeres ornábant se. * Fallax grátia. *Prov.* 31. 1. *Petr.* 3.

℟. VIII. Fecisti viríliter, et confortátum est cor tuum, eo quòd castitátem amáveris; * Ideò et manus Dómini confortávit te, et ídeò eris benedicta in æternum. ℣. O múlier, magna est fides tua : * Ideò. *Judith* 15. *Matth.* c. 15.

℟. IX. Omnia quæ locúta es, vera sunt; et non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio : * Nunc ergo † Ora pro nobis, quóniam múlier sancta es, et timens Deum. ℣. Fides tua te salvam fecit. * Nunc. Glória. † Ora. *Judith* 8. *Luc.* 7.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Glorificábo nomen tuum in æternum, ℟. Quia misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 85.

AD LAUDES.

Ant. 1. a. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in

ornamentum domûs ejus. *Eccli.* 26.

Ant. 2. D. Múlier fortis oblectat virum suum; et annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26.

Ant. 3. c. Múlier sensáta, et tácita : non est immutátio erudítæ ánimæ. *Eccli.* 26.

Ant. 4. d. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. *Prov.* 31.

Ant. 5. a. Non discedébat de templo, jejúniis et obsecratiónibus sérviens nocte ac die. *Luc.* 2.

Capitulum. (1 *Petr.* 3.)

MULIERES súbditæ sint viris suis; ut et si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifíant, considerantes in timóre castam conversatiónem vestram.

HYMNUS.

ARDET Deo quæ Fémina
Latére frustrà cógitat :
Quot índigos hæc súblevat,
Tot próditur præcónibus.

PRODESSE quærit ómnibus,
Curis honestis ánxia ;
Patróna custos vírginum,
Secunda mater órphanis.

PANNIS latentem vílibus
Christum fovébat hóspitem :
Quas dura subtraxit sibi,
Opes refundit pródiga.

PACEM domi, pacem foris
Alto colit siléntio :
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.

DIVINA proles Féminæ,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Am.

Si sit Martyr, ℣. Adhæsit ánima mea post te, Deus meus : ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ; et exaudíta est orátio mea. *Eccli.* 51.

COLLECTA. Orémus.

DEUS cujus grátiâ virtus in infirmitáte perfícitur : largíre nobis beátæ *N.* Mártyris tuæ passiónem recoléntibus, ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat; Per Dóminum.

Si non sit Martyr, ℣. Humiliábam ánimam meam, ℟. Et orátio mea in sinu meo convertétur. *Ps.* 34.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Orátio humiliantis se nubes penetrábit; et non discédet, donec Altíssimus aspíciat. *Eccli.* 35.

COLLECTA. Orémus.

TUORUM corda fidélium, Deus miserátor, illustra : et beátæ *N.* précibus ac méritis, fac nos terréna despícere, et amáre cœléstia; Per.

Si sit Vidua,

COLLECTA. Orémus.

DEUS, in quem sperat omnis ánima quæ longè à te

éxulans in terris se verè víduam sentit ac desolátam : tríbue nobis, quæsumus, ut exemplo beátæ *N.* nocte ac die obsecratiónibus et oratiónibus instantes, cœléstium consolatiónum mereámur esse partícipes; Per.

Ad Horas, *in Annualibus et Solemnibus-majoribus, dicitur in fine Hymnorum, Doxologia:*

Divina Proles Féminæ,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Sicut sol.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà in* ℟. *br.*

℣. Qui es Pater orphanórum, et Judex Viduárum. *Ps.* 67.]

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Múlier fortis.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

Mulieres viris suis súbditæ sint, sicut Dómino; quóniam vir caput est mulíeris, sicut Christus caput est Ecclésiæ, ipse salvátor córporis ejus.

℟. *br.* Doce me fácere voluntátem tuam, * Quia Deus meus es tu. Doce me. ℣. Spíritus tuus bonus * dedúcet me, * Quia. Glória Patri. Doce me. *Ps.* 142.

℣. Ab omni via mala prohíbui pedes meos; ℟. Ut custódiam verba tua. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Múlier.

Capitulum. (1. *Tim.* 2.)

Mulier in siléntio discat cum omni subjectióne. Docére autem mulíeri non permitto, neque dominári in virum, sed esse in siléntio.

℟. *br.* Custódiam vias meas, * Ut non delínquam in lingua mea. Custódiam. ℣. Pósui ori meo * custódiam, * Ut non. Glória Patri. Custódiam. *Ps.* 38.

℣. Apud me orátio Deo vitæ meæ. ℟. Dicam Deo: Susceptor meus es. *Ps.* 41.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Non discedébat.

Capitulum. (1. *Tim.* 2.)

Volo oráre mulíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia et sobrietáte ornantes se, et non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ, sed quod decet mulíeres, promittentes pietátem per ópera bona.

℟. *br.* Expectávi Dóminum, * Et inténdit mihi. Expectávi. ℣. Et exaudívit * preces meas, * Et inténdit. Glória. Expectávi. *Ps.* 39.

℣. Veníte, et vidéte ópera Dei, ℟. Qui pósuit ánimam meam ad vitam. *Ps.* 65.

AD II. VESPERAS.

Ant. 2. D. In ancilla sua

adimplévit Dóminus misericórdiam suam. *Judith* 13.

Ant. 4. E. Erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valde; nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. *Judith* 8.

Ant. 7. ç. Considerávit sémitas domûs suæ, et panem otiósa non comédit. *Prov.* 31.

Ant. 1. D. Fílios educávit, hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecúta est. 1. *Tim.* 5.

Ant. 6. F. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt : vir ejus, et laudávit eam. *Prov.* 31.

Capitulum. (1. *Tim.* 2.)

Mulier salvábitur per filiórum generatiónem, si permánserit in fide, et dilectióne, et sanctificatióne cum sobrietáte.

[*In Solemnibus-minoribus et suprà:*

Allelúia, allelúia. ℣. Ego sum, ego sum, quæ Dómino canam : psallam Dómino Deo Israel. Allelúia. *Judic.* 5.

Tempore Septuagesim. loco Allelúia *et* ℣. *dicitur* ℟. IX. *Officii Noct.* Omnia, LXVII.]

HYMNUS.

O jam beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!

Per quos gradus cœlum petit,
Hàc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ Cónjuges.

Insignis et nos Feminæ
Sequi decet vestigia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exemplum viris.

Queis arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus et nos ígnibus;
Eoque, quo te vis coli,
Amóre fac mens te colat.

Divina Proles Féminæ,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

Si sit Martyr, ℣. Vídeant qui odérunt me, et confundantur; ℟. Quóniam, tu Dómine, adjuvisti me. *Ps.* 85.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Confitébor nómini tuo, Dómine; quóniam adjútor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum à perditióne. *Eccli.* 51.

Collecta, ut suprà ad Laud.

Si non sit Martyr, ℣. Anima mea Dómino vivet; ℟. Et semen meum sérviet ipsi. *Ps.* 21.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Fortitúdo et decor indumentum ejus : date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31.

Collecta ut suprà ad Laudes.

OFFICIUM B. MARIÆ V. IN SABBATO.

In Adventu. Semi-Duplex.

Ommittitur hoc Officium, si occurrat festum Duplex minus aut suprà, et tunc fit tantùm Commemoratio consueta de B. Virgine Deum pariturâ, juxtà rubricam positam in Proprio de Tempore, 177.

IN I. VESPERIS.

Super Psalmos de Feria, sola

Ant. 1. g. Creávit Dóminus novum super terram : fémina circúmdabit virum, *Jerem.* 31.

Capitulum. (*Is.* 7.)

DABIT Dóminus ipse vobis signum : Ecce virgo concípiet et páriet Fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

HYMNUS.

AVE maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo
Fœlix cœli porta.
SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
MONSTRA te esse matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
VIRGO singuláris
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.
VITAM præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætémur.
SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto;
Tribus honor unus. Amen.

℣. Dóminus dabit benignitátem : ℟. Et terra nostra dabit fructum suum. *Ps.* 84.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ; Dícite fíliæ Sion : Ecce salvátor tuus venit. *Is.* 62.

Collecta, Deus, qui de beátæ, *infrà ad Laudes.*

De Semiduplici occurrente aut concurrente fit Commemoratio; deinde de Adventu.

De Simplici verò occurrente, fit Commemoratio post Commem. de Adventu.

AD COMPLETORIUM, *ut in Ordin. Brev. pro Tempore*

Advent. 166, *præter Hymnum sequent.*

HYMNUS.

Virgo, Dei génitrix, quem totus non capit orbis.
In tua se clausit víscera, factus homo.
Hinc méritò dicent te sécula cuncta beátam :
Hinc pópuli matrem te dominamque colunt.
Suscipe, quos pia plebs tibi péndere certat, honóres :
Annue, sollícitâ quam prece poscit, opem.
Glória magna Patri; compar sit glória Nato ;
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus. Amen.

AD NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Filium Dei ex María nascitúrum, * Veníte, adorémus *Luc.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

Hymnis alta sacris Templa resultent ;
Vestros, ô súperi, júngite cantus :
Cœli dives adest múnere Virgo,
Extolli módulis digna supernis.
Hæc augusta novi fœderis arca,
Antíquo mélius, manna recondit ;
Lex perfecta latet corde sub imo,
Suprémi dígito scripta Tonantis.
Sanctum te, Génitrix, flamen obumbrans,
Quo non intériùs te litat igne!
Astans virgínei péctoris hospes
Urit tecta suis hóspita flammis.
At quæ, Virgo, tibi glória surgit!
Æterni sóboles diva parentis,
En illapsa tuam cœlitus alvum,
Mollis membra sibi córporis aptat.
Divinæ sóboli, qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri :
Cujus Virgo parens, glória Nato :
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

Psalmi de Feria, et sic ad omnes Horas.

Ant. 1. F. Ingressus Angelus ad Maríam, dixit : Ave, grátiâ plena, Dóminus tecum, benedicta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

Ant. 3. c. Turbáta est in sermóne ejus, et ait Angelus ei : Ne tímeas, María, invenisti enim grátiam apud Deum. *Luc.* 1.

Ant. 2. D. Ecce concípies in útero, et páries filium, et vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Sit nomen ejus benedictum in sécula; ℟. Ante

solem pérmanet nomen ejus. *Ps.* 71.

Absolutio et Benedictiones *ut in Ordin. Brev. pro Offic. B. M. V.* 151, 153.

LECTIO I.

De Script. occurr. tribus in unam junctis.

Post I Lect. ℟. Dixit María ad Angelum : Quómodò fiet istud ? et respondens Angelus dixit ei : * Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. ℣. Vidébis et áfflues, et mirábitur, et dilatábitur cor tuum. * Spíritus. *Luc.* 1. *Is.* 60.

LECTIO II.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Hom. 4, de Laudibus Virg. Mart.)

Non est dúbium, quidquid in láudibus Matris proférimus, ad Fílium pertinére; et rursùm, cùm Fílium honorámus, à glória Matris non recédimus. Nam si juxta Salomónem, Fílius sápiens glória est patris; quantò magis glориósum est matrem ipsíus éffici sapiéntiæ? Sed quid ego tento in ejus láudibus, quam laudábilem prædicant Prophétæ, pérhibet Angelus, narrat Evangelista? Aitítaque: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi ? Quid est virtus Altíssimi obumbrábit tibi ? Fortasse propter hoc máximè dictum est, quia res nimírum in sacramento erat, et quod sola per se Trínitas in sola et cum sola Vírgine vóluit operári, soli datum est nosse, cui soli datum est experíri.

℟. Ex te egrediétur qui sit dominátor in Israel, * Et egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. ℣. Quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. * Et. *Mich.* 5. *Luc.* 1.

Si occurrat Festum Semiduplex, omissâ Lectione sequenti, tertia Lect. erit de fest. duabus in unam junctis.

LECTIO III.

Ideoque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. Quod est dícere : Quóniam non de hómine, sed de Spíritu sancto concípies, concípies autem Altíssimi virtútem, hoc est Fílium Dei: Ideòque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. Id est, non solùm qui de sinu Patris in úterum tuum véniens obumbrábit tibi, sed étiam id quod de tua substántia sociábit sibi, ex hoc jam vocábitur Fílius Dei, quemádmodùm et is qui à Patre est ante sécula génitus, tuus quoque ámodò reputábitur fílius. Sic autem et quod natum est ex ipso Patre, erit tuus, et quod uascétur ex te erit ejus ; ut tamen non sint

duo filii, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit; jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusque erit filius.

℟. Dixit María ad Angelum: * Ecce ancilla Dómini: Fiat mihi † Secundùm verbum tuum. ℣. Quæ ego sum ut contradícam Dómino meo? * Ecce. Glória. † Secundùm. *Luc.* 1. *Judith.* 12.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Replébitur majestáte ejus omnis terra. ℟. Fiat fiat. *Ps.* 71.

AD LAUDES.

Ant. 4. D. María invénta est in útero habens de Spíritu sancto. *Matth.* 1

Ant. 1. D. Quod in ea natum est, de Spíritu sancto est. *Matth.* 1.

Ant. 3. a. Páriet Filium, et vocábunt nomen ejus Emmánuel. *Matth.* 1.

Ant. 5. F. Ipse salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. *Matth.* 1.

Ant. 6. a. Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Capitulum. (*Sophon.* 3.)

Dominus Deus tuus in médio tuî fortis, ipse salvábit: gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, exultábit super te in laude.

HYMNUS.

Dic, Virgo, quæ vis tráxerit
Patri coævum Fílium,
E Patris æterno sinu,
Mortális in ventris sinum?
Ad hos honórum tu gradus.
Non virginália hic pudor,
Non éxtulit tantùm fides,
Nec igne fervens cháritas;
Sed, quæ sibi nunquam placet,
Deo placens modéstia:
Quà tu tibi fis vílior,
Hâc digna fis mater Dei.
Quam celsa! quæ se déprimens,
Altum Tonantem déprimit!
In te, sui jam non memor,
Descendit è cœlo Deus.
Sit laus Patri; laus Fílio,
Par sit tibi laus Spíritus,
Per quem sacra se Fílius
Infúdit alvo Virginis. Amen.

℣. Exultábo, et lætábor in misericórdia tua: ℟. Quóniam respexisti humilitátem meam. *Ps.* 30.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Beáta, quæ credidisti, quóniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti: præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem.

De Semiduplici, si occurrat, fit Commemoratio, *deinde de*

Adventu. De Simplici autem fit Commemorat. ultimo loco.

AD HORAS, *in fine Hymnorum Doxologia :*

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 4. E. María.

In ℟. *br.* Qui ventúrus es* in mundum. *Joan.* 6.

AD TERTIAM.

Ant. 1. D. Quod in ea.

Capitulum. (*Is.* 11.)

EGREDIETUR virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascendet; et requiescet super eum spíritus Dómini.

℟. *br.* Propè timentes eum* Salutáre ipsíus. Propè. ℣. Ut inhábitet glória * in terra nostra. * Salutáre. Glória. Propè. *Ps.* 84.

℣. Lætentur cœli et exultet terra, ℟. A facie Dómini quia venit. *Ps.* 95.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Páriet.

Capitulum. (*Apoc.* 21.)

ECCE tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. *br.* Quid est homo, * Quòd memor es ejus? Quid est ℣. Aut Fílius hóminis * quóniam vísitas eum? * Quòd memor. Glória. Quid est. *Ps.* 8.

℣. Dóminus virtútum nobiscum; ℟. Susceptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Benedicta tu.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

PRÆCEPIT, et dixit mihi Creátor ómnium, et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

℟. *br.* Benedicentur in ipso * Omnes tribus terræ. Benedicentur. ℣. Omnes gentes * magnificábunt eum. * Omnes. Glória. Benedicentur. *Ps.* 71.

℣. O Dómine, benè prosperáre; ℟. Benedictus qui venit in nómine Dómini. *Ps.* 117.

Vesperæ de Dominica sequenti cum Commemoratione consueta de B. Mariâ Virgine Deum paritura, 177.

OFFICIUM B. M. V. IN SABBATO.

A CIRCUMCISIONE DOMINI AD PRÆSENTATIONEM EXCLUSIVE.

DUPLEX-MINUS.

Si occurrat Festum superioris gradûs, fit tantùm Commemorat. consueta de B. M. V. Deipara, juxta Rubricam positam in Proprio de Temp.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria, et sic in toto Officio.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. (*Galat.* 4.)

UBI venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

HYMNUS.

STUPETE, cœlestes Chori;
Qui cuncta pascit ac fovet,
Cibus perennis cœlitum,
Nunc lactis índiget cibo.

VERBUM Patris factum caro,
Mortális in matris sinu,
Labris puer tenéllulis
Materna sugit úbera.

ADBLANDIENS Mater, sinu
Fovet vicissim Fílium:
Auctóris et sese silens
Mirátur altrícem sui.

O VIRGO, fac tuâ prece
Nobis tuus sit Fílius
Lac dulce, si parvi sumus,
Fortisque, si grandes, cibus.

QUI natus es de Vírgine,
Jesu tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Confiteantur tibi, Deus, pópuli omnes; ℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Vidébunt gentes justum tuum, et vocábitur tibi nomen novum, quia complácuit Dómino in te. *Ps.* 62.

Collecta, ut infrà ad Laud.

De Duplici minori et infrà, fit Commem.

AD COMPLETORIUM, *ut in Ordinario cum Hymno* Mundi salus.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM de María natum, Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Ps. 94. Veníte, 150.

Hymnus, Stupéte, cœlestes *ut suprà*.

Ant. 4. D. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israel Salvátor. *Is.* 45.

Ant. 6. F. Quis mihi det te fratrem meum, sugentem úbera matris! *Cant.* 8.

Ant. 3. A. Ergo-ne credíbile est ut hábitet Deus cum homínibus super terram? 2. *Paral.* 6.

℣. Homo natus est in ea, ℟. Et ipse fundávit eam altíssimus. *Ps.* 86.

Absolutio et Bened. *de B. M. V. ut in Ordin.* 151 *et* 153.

Lectio I de Script. occurr. tribus in unam junctis.

Post I Lect. Péperit María Fílium suum primogénitum: * Et pannis eum involvit, et reclinávit eum in præsépio. ℣. Párvulus natus est nobis, et fílius datus est nobis. * Et. *Luc.* 2. *Is.* 9.

LECTIO II.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(In Nativ. B. M. V.)

Intuere, ô homo, consílium Dei, agnosce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cœlesti rore áream rigatúrus, totum vellus priùs infúdit: redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Ut quid hoc? fortè ut excusarétur Eva per fíliam, et queréla viri adversùs féminam deinceps sopirétur. Ne díxeris ultrà, ô Adam, Múlier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vétito: dic pótius; Múlier quam dedisti mihi, me cibávit fructu benedicto. Altiùs ergo intueámini, quanto devotiónis affectu à nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María; ut proindè si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre.

℟. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, in médio templi tui: * Hic est Deus, Deus noster in æternum. ℣. De María natus est Jesus qui vocátur Christus. * Hic est. *Ps.* 47. *Matth.* 1.

Lectio III de Festo occurr.

Post III Lect. ℟. Puer crescébat, et confortabátur plenus sapiéntiâ, et grátia Dei erat in illo. * Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. ℣. Deus in terris visus est, et cum homínibus conversátus est. * Et Mater. Glória. * Et Mater. *Luc* 2. *Baruch* 3.

Te Deum.

℣ *Sacerd.* Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum. ℟. Quanta fecit ánimæ meæ. *Ps.* 65.

AD LAUDES.

Ant. 5. a. Audiétur vox gáudii, et vox lætítiæ, vox sponsi, et vox sponsæ. *Jerem.* 33.

Ant. 7. d. Vox dilecti mei: Soror mea, amíca mea, columba mea, immaculáta mea. *Cant.* 5.

Ant. 4. A. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. *Cant.* 2.

Ant. 1. F. Totus desiderábilis : talis est dilectus meus, et ipse est amícus meus. *Cant.* 5.

Ant. 2. D. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 2.

Capitulum. (*Cant.* 6.)

Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitríci suæ : vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt.

HYMNUS.

Castæ parentis úbera,
O Christe, qui gaudens premis?
Divinitátis hóspitam
Quid lacte carnem récreas?
Agnosco, Jesu, quid velis;
Summo Parenti scílicet
Pleno vigentem róbore
Ardes paráre víctimam.
Venas remixtum per sacras
Mox sanguis istud lac erit,
Fususque per plagas cruor
Orbis piábit crímina.
O Virgo, quæ tuis, Deum
Foves in ulnis Fílium,
Hunc nos sub imis nos quoque
Gestáre dona córdibus.
Fac sanguis ille púrior
De lacte concrétus tuo,
Certæ tuis cliéntibus
Sit fons salútis éfficax.
Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Concupiscet Rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum. *Ps.* 44.

Ad Benedictus, Ant. 8. G. Vocábunt te civitátem Dómini : Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, et Deus tuus in glóriam tuam. *Is.* 60.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri prǽmia præstitísti : tríbue, quǽsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

Fit Commem. de Festo occurrente.

Ad Horas, *in fine Hymnorum Doxologia.*

Qui natus es de Vírgine
Jesu tibi sit glória,
Cum Patre cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 5. a. Audiétur.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matth.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 7. c. Vox dilecti mei.

Capitulum. (*Cant.* 2.)

En dilectus meus lóquitur mihi : Surge, própera amíca mea, columba mea, formósa mea, et veni.

℟. *br.* Anima mea * Exul-

tábit in Dómino. Anima. ℣. Et delectábitur super salutári suo; * Exultábit. Glória. Anima. *Ps.* 34.

℣ Defécit caro mea, et cor meum; ℟. Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in ætérnum. *Ps.* 72.

AD SEXTAM.

Ant. 4. A. Læva ejus.

Capitulum. (*Cant.* 2.)

Sub umbra illíus quem desideráveram sedi; et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introduxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem.

℟. *br.* Delectatiónes in déxtera tua * Usque in finem Delectatiónes. ℣. Adimplebis me lætítia * Cum vultu tuo, Dómine. * Usque. Glória. Delectatiónes. *Ps.* 15.

℣. Adhæsit ánima mea post te: ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 15.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Dilectus meus.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

Ego Mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.

℟. *br.* Sitívit ánima mea in te. * Quàm multiplíciter tibi caro mea Sitívit. ℣. Lábiis exultatiónis * laudábit os meum: * Quàm multiplíciter. Glória Patri. Sitívit. *Ps.* 62.

℣. Desíderat ánima mea ad te, Deus; ℟. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum. *Ps.* 41.

Vesperæ *de Dominica sequenti, cum Commem. consueta de Virg. Deipara, ut in Proprio de Tempore,* 282.

OFFICIUM B. M. V. IN SABBATO.

A PRÆSENTATIONE DOMINI AD QUINQUAGESIMAM.

SEMIDUPLEX.

IN I. VESPERIS.

Super Psalmos de Feria, sola

Ant. 1. a. Magna eris, et nomen tuum nominábitur in universa terra. *Judith* 10.

Capitulum. (*Genes.* 3.)

Ait Dóminus Deus ad serpentem: Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum, et semen illíus: ipsa cónteret caput tuum.

Hymnus, Ave, maris stella, *ut suprà*, LXXI.

℣. Deus operátus est salútem in médio terræ : ℟. Tu confregísti cápita dracónis. *Ps.* 73.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Benedictus Dóminus qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Judith* 13.

Collecta ut infrà ad Laudes.

De Semiduplici aut Simplici occurrente fit Commemoratio.

Ad Completorium, *ut in Psalterio et in Ordinario.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Jesum de María natum,* Veníte, adorémus. *Matt.* 1. *Ps.* 94. Venite, 150.

HYMNUS.

O quam glorífică luce coruscas,
Stirpis Davídicæ régia proles;
Sublímis résidens, virgo María,
Supra Cœlígenas ætheris omnes!
Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viscéribus casta dedisti :
Humános Deus hinc índuit artus.
Quem cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc rite genu fléctitur omne,
A quo, te précibus subveniente,
Ætérni pétimus gáudia regni.
Divinæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

Psalmi de Sabbato, sub tribus Antiphonis sequentibus.

Ant. 4. A. Benedicta tu inter mulíeres; et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Ant. 8. G. Benedicentur in te et sémine tuo cunctæ tribus terræ. *Genes.* 28.

Ant. 3. a. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel. *Judith* 13.

℣. Gloriósa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Ps.* 86.

Absolutio et Benedictiones *ut in Ordin. Brev. pro Officiis Beatæ Mariæ Virginis* 151 *et* 153.

Lectio prima, de Scriptura occurrente, è tribus fit una.

Post I Lect. ℟. Manus Dómini confortávit te, * Et ídeò eris benedicta in ætérnum. ℣. Beáta quæ credidisti, quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. * Et ídeò. *Judith* 15. *Luc.* 1.

LECTIO II.

Sermo sancti Procli Epíscopi.

(Homil. de Nat. Dom. nostri J. C.)

SACRA Deípara María illibátæ Virginitátis purus est ille thesaurus, decusque et ornamentum; hæc spirítális secundi Adam paradísus; hæc thálamus in quo Verbum humánam carnem sibi desponsávit. Hæc animátus natúræ rubus quem divíni partûs ignis non combussit; hæc verè levis illa nubes quæ super Cherubim sedentem in córpore suo gestávit. Hæc vellus mundíssimum cœlesti plúviâ madens, ex quo Pastor ovem índuit.

℟. Benedicta es tu fília à Dómino Deo Excelso, * Præ ómnibus muliéribus super terram. ℣. Invenisti grátiam apud Deum.* Præ. *Judith* 13. *Luc.* 1.

Si occurrat Semiduplex aut Simplex, omissâ Lectione sequenti, tertia Lectio erit de Festo.

LECTIO III.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(De 12 Prærogat. B. M. V.)

QUID ad Maríam accédere trépidet humána fragílitas? Nihil austérum in ea, nihil terríbile : tota suávis est. Revolve diligéntiùs Evangélicæ históriæ sériem universam : et si quid fortè increpatórium, si quid durum, si quod dénique signum vel ténuis indignatiónis occúrrerit in María, de cétero suspectam hábeas, et accédere vereáris. Quòd si (ut verè sunt) plena magis ómnia pietátis et grátiæ, plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent invéneris; age grátias ei, qui talem tibi mediatrícem beniníssimâ miseratióne provídit, in qua nihil possit esse suspectum. Omnibus misericórdiæ signum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant universi, captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Magnificáte Dóminum mecum, et exaltémus nomen ejus in idipsum. * Quia fecit mihi. Glória. * Quia. *Luc.* 1. *Ps.* 33.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Annuntiáte inter gentes glóriam ejus; ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.

AD LAUDES.

Ant. 1. a. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu supergressa es universas. *Prov.* 31.

Ant. 3. a. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15.

Ant. 6. F. Beáti omnes qui gaudent super pace tua. *Tob.* 13.

Ant. 7. d. Lætáberis in fíliis tuis, quóniam omnes benedicentur, et convertentur ad Dóminum. *Tob.* 13.

Ant. 2. D. Beáti servi tui, qui stant coram te semper, et áudiunt sapiéntiam tuam. 3. *Reg.* 10.

Capitulum. (2. *Paral.* 9.)

Quia díligit Deus Israel, et vult serváre eum in ætérnum, idcircò pósuit te super eum.

HYMNUS.

Nunc auróra, novæ núntia
lucis,
Tristes orbe procul díssipat
umbras :
O quàm lucídior, nocte sepultis
Portans ipsa diem, Virgo réfulges!

O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis :
Te si terra dedit munus
olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?

Inter perpétuos Núminis
haustus,
O Regína, tibi sánguine
junctum
Ne dedisce genus : nostra
fuisti,
Summi facta Parens, Virgo,
Tonantis.

Divinæ Sóboli qui dare
matrem
In terris vóluit, glória Patri :
Cujus Virgo Parens, glória
nato :
Quo fœcunda, tibi glória,
Flamen. Amen.

℣. Magna est glória ejus,
℟. In salutári tuo, Dómine. *Ps.* 20.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Benedictus Dóminus, quia nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13.

COLLECTA. Orémus.

Concede nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis et córporis sanitáte gaudére ; et gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítiâ, et ætérnâ pérfrui lætítiâ ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Ad Horas, *in fine Hymnorum, Doxologia :*

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Multæ.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matth.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Tu glória.

Capitulum. (*Judith.* 13.)

Non pepercisti ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui; sed subvenisti ruínæ ante conspectum Dei nostri.

℟. *br.* Tríbuat tibi Dóminus * secundùm cor tuum. Tríbuat. ℣. Et omne consílium tuum confirmet. * Secundùm. Glória. Tríbuat *Ps.* 19.

℣. Benedixit fíliis tuis in te, ℟. Qui pósuit fines tuos pacem. *Ps.* 147.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Beáti omnes.

Capitulum. (*Tob.* 13.)

Benedictus Dóminus qui exaltávit eam, et sit regnum ejus in sécula seculórum super eam.

℟. *br.* Thronus ejus sicut sol * in conspectu meo. Thronus. ℣. Et sicut luna perfecta in æternum * in conspectu. Glória. Thronus. *Ps.* 88.

℣. Hæc réquies mea in séculum séculi : ℟. Hic habitábo quóniam elégi eam. *Ps.* 131.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Beáti.

Capitulum. (*Prov.* 8.)

Beatus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et observat ad postes óstii mei : Qui me invénerit, inveniet vitam, et háuriet salútem à Dómino.

℟. *br.* Veníte fílii, * audíte me. Veníte. ℣. Timórem Dómini * docébo vos. * Audíte. Glória. Veníte. *Ps.* 33.

℣. Os meum loquétur sapiéntiam; ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam *Ps.* 48.

Vesperæ *de Dominica sequenti.*

Pro Commem. B. M. V.

Ant. Sérviant tibi pópuli, et incurventur ante te : et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur. *Gen.* 27.

℣. Corónat te Dóminus in misericórdia et miseratiónibus : ℟. Replet in bonis desidérium tuum. *Ps.* 102.

Collecta, Concéde, *ut suprà.*

OFFICIUM PARVUM B. MARIÆ V.

[EXTRA CHORUM DICITUR AD LIBITUM.]

In Ecclesiis in quibus solet dici, dicitur in Feriis, extrà Tempus Paschale.

Singulæ Horæ hujus Officii dicuntur hoc modo : Vesperæ et Completorium ante Vesperas Officii diei; Officium verò Nocturnum cum celeris Horis post Laudes Officii diei.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.
Ps. 94. Veníte, 150.

HYMNUS.

O quam glorificâ luce coruscas,
Stirpis Davídicæ régia proles;
Sublímis résidens, virgo María,
Supra Cœlígenas ætheris omnes!
Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viscéribus casta dedisti :
Humános Deus hinc índuit artus.
Quem cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu fléctitur omne;
A quo, te précibus subveniente,
Æterni pétimus gáudia regni.
Divinæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri :
Cujus Virgo parens, glória Nato :
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

In Festis beatæ Mariæ dicuntur in Nocturnis novem sequentes Psalmi, cum Antiphonis propriis.

In Officio autem parvo dicuntur tantùm tres Psalmi, secundùm ordinem Feriarum, ut infrà notatur.

IN I.º NOCTURNO.

Feriâ II et V,

Ant. sola 1. a. Ave.

PSALMUS 8.

Domine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam et stellas quæ tu fundasti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ et honóre coronasti eum, * et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves et boves universas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, * et pisces maris, qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

PSALMUS 18.

Cœli enarrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum: * in sole pósuit tabernáculum suum.

Et ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo, * exultávit ut gigas ad currendam viam.

A summo cœlo egréssio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus; * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidele, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum, * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit?* ab occultis meis munda me, et ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint domináti, * tunc immaculátus ero, et emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei, * et meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redemptor meus.

PSALMUS 44.

Eructavit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea * cálamus scribæ velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum: diffúsa est grátia

in lábiis tuis: * proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ et pulchritúdine tuâ intende, * próspere procéde,

Et regna propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam; * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem; * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia à vestimentis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui:

Et concupiscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus; et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs: * in fímbriis áureis, circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia et exultatióne; * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in ætérnum, * et in séculum séculi.

Ant. Ave, grátiâ plena; Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus *Luc.* I.

℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; ℟. Et concupiscet rex decórem tuum. *Ps.* 44.

Pater noster, *etc.*

Lectiones infrà, post III. Noct.

IN II.° NOCTURNO.

Feriâ III et VI,

Ant. sola 8. c. Ecce.

PSALMUS 45.

Deus noster refúgium et virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt

aquæ eórum; * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam; mota est terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram, * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confringet arma, * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus; * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 84.

Benedixisti, Dómine, terram tuam, * avertisti captivitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ: * operuisti ómnia peccáta eórum.

Mitigasti omnem iram tuam, * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster; * et averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis; * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu conversus vivificábis nos; * et plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam,

Et super sanctos suos, * et in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timentes eum salutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: * justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * et justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * et ponet in via gressus suos.

PSALMUS 86.

Fundamenta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo et homo natus est in ea, * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Ecce concípies in útero, et páries fílium ; et vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus : ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

Pater noster, *etc.*

Lectiones infrà.

IN III.° NOCTURNO.

Feria IV et Sabbato

Ant. sola 2. D. Quod nascétur.

PSALMUS 95.

Cantate Dómino, cánticum novum ; * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus ; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis ; * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia ; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspectu ejus ; * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam et honórem : * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus ; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra ; * dícite in géntibus, quia Dominus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli, et exultet terra ; commoveátur mare et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

PSALMUS 96.

Dominus regnávit, exultet terra, * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu ejus : * justítia et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcé-

det, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant sculptília, * et qui gloriantur in simulácris suis.

Adoráte eum, * omnes Angeli ejus.

Audívit, et lætáta est Sion: * et exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

PSALMUS 97.

CANTATE Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino, in cíthara, * in cíthara et voce psalmi.

In tubis ductílibus et voce tubæ córneæ, * jubiláte in conspectu regis Dómini.

Moveátur mare, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Descendet sicut plúvia in vellus: ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Pater noster, *etc.*

ABSOLUTIO.

(Judith. 13.)

NOBISCUM sit Deus, qui in ancilla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel.

Bened. Deus, à quo missus est Angelus Gábriel ad Vírginem Maríam, mittat nobis

Ps. 71. Deus, judícium tuum regi da, 49; *Divisio Ps*, 71. Reges Tharsis, 49; *Ps.* 116. Laudáte Dóminum omnes, 135; *sub Ant.* 2. D. Fílius Dei factus est ei ex sémine David secundùm carnem. *Rom.* 1.

Capitulum. (*Isai.* 11.)

Egredietur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascendet, et requiescet super eum Spíritus Dómini.

℟. *br.* Semen ejus * In æternum manébit. Semen. ℣. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, * In. Glória Patri. Semen. *Ps.* 88.

℣. Dominábitur à mari usque ad mare, ℟. Et usque ad términos orbis terrárum. *Ps.* 71.

COLLECTA. Oremus.

Protege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; et beátæ Maríæ semper vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóstibus et perículis redde secúros; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

AD TERTIAM.

Hymnus, Memento, *suprà.* *Psalm.* 115. Crédidi propter, 101; *Ps.* 119. Ad Dóminum, 63; *Ps.* 120. Levávi, 44; *sub Ant.* 4. d. De María natus est Jesus, qui vocátur Christus. *Matth.* 1.

Capitulum. (*Isaiæ* 7.)

Dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce virgo concípiet, et páriet fílium; et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℟. *br.* Deus in médio ejus; * Non commovébitur. Deus. ℣. Adjuvábit eam * mane dilúculo: * Non commovébitur. Glória. Deus. *Ps.* 45.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præstitisti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit et regnat.

AD SEXTAM.

Hymnus, Memento, *suprà.* *Ps.* 122. Ad te levávi, 83; *Ps.* 123. Nisi quia, 44; *Ps.* 124. Qui confídunt, 83; *sub Ant.* 7. d. Péperit fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes. *Apoc.* 12.

Capitulum. (*Mich.* 5.)

Ex te egrediétur qui sit dominátor in Israel; et egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis.

℟. *br.* Homo * Natus est in ea. Homo. ℣. Et ipse fundávit eam * Altíssimus: * Natus. Glória Patri. Homo. *Is.* 86.

℣. Ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo. ℟. Exultávit ut gigas ad currendam viam. *Ps.* 18.

COLLECTA. Orémus.

Concede, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eumdem.

AD NONAM.

Hymnus, Memento, *suprà*.

Ps. 125. In convertendo, 44; *Ps.* Beáti omnes, 142; *Ps.* 132. Ecce quàm bonum, 64, *sub Ant.* 1. *g*. Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. *Luc.* 11.

Capitulum. (*Galat.* 4.)

Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliére, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. *br*. Misericórdia et véritas * Obviavérunt sibi. Misericórdia. ℣. Justítia et pax * osculátæ sunt, * Obviavérunt sibi. Glória Patri. Misericórdia.

℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84.

COLLECTA. Orémus.

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignosce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eumdem.

AD VESPERAS.

Ant. sola 3. c. In me ancillâ.

PSALMUS 109.

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: * Tu es Sacerdos in ætemum secundùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet; * proptéreà exaltábit caput.

PSALMUS 112.

Laudate, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini bene-

dictum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cœlo et in terra?

Súscitans à terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

PSALMUS 121.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem;

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israel, ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * et abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri * quæsívi bona tibi.

PSALMUS 126.

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite, postquàm sedéritis, qui manducátis panem dolóris, cùm déderit diléctis suis somnum.

Ecce hæréditas Dómini, fílii; * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu poténtis, * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in porta.

PSALMUS 147.

Lauda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * et ádipe frumenti sátiat te;

Qui emíttit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus;

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit ?

Emittet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. In me ancillâ suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suam quam promísit dómui Israel. *Judith* 13.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

Qui créavit me, requiévit in tabernáculo meo : et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre, et in electis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum.

HYMNUS.

Ave, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus
Spirítui sancto ;
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino : ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

COLLECTA. Orémus.

Cordibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde ; et intercedente sanctíssimâ Dei genitríce Maríâ, córpora nostra castitáte, et mentes nostras humilitáte et caritáte sanctífica ; Per eumdem.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos. ℣. Deus, in adjutórium.

Ps. Sæpè expugnavérunt, 121 ; De profundis, 84 ; Dómine, non est exaltátum, 84 ; *sub sola Ant.* 5. a. In omni

gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel. *Judith* 13.

HYMNUS.

VIRGO Dei génitrix, quem totus non capit orbis,
In tua se clausit víscera, factus homo.
HINC méritò dicent te sécula cuncta beátam:
Hinc pópuli matrem te dominamque colunt.
SUSCIPE, quos pia plebs tibi péndere certat, honóres:
Annue, sollícità quam prece poscit, opem.
GLORIA magna Patri: compar sit glória Nato:
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus.
Amen.

Capitulum. (*Judith* 13.)

NOMEN tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabuntur. Vultum. ℣. Omnes dívites * plebis * Deprecabuntur. Glória Patri. Vultum.

℣. Mémores erunt nóminis tui ℟. In omni generatióne et generatiónem. *Ps.* 44.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 4. E. Memoráre diérum humilitátis tuæ; et ínvoca Dóminum, et lóquere Regi pro nobis, et líbera nos de morte. *Esther* 15.

COLLECTA. Orémus.

BEATÆ et gloriósæ semperque vírginis Maríæ, quæsumus, Dómine, intercéssio gloriósa nos prótegat, et ad vitam perdúcat æternam; Per Dóminum.

PROSA DE BEATA AD DEVOTIONEM.

INVIOLATA, íntegra et casta es, María:
Quæ es effécta fúlgida cœli porta.
O mater alma Christi caríssima:
Súscipe pia laudum præcónia.
Nostra ut pura péctora sint et córpora.
Te nunc flágitant devóta corda et ora.
Tua per precáta dulcísona,
Nobis concédas véniam per sécula.
O benigna! O benigna! O benigna!
Quæ sola invioláta permansisti.

℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84.

COLLECTA. Orémus.

FAMULÓRUM tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignosce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eumdem.

COMMUNE PATRONORUM.

PRO APOSTOLO.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 18. Cœli enárrant, *cum sua divisione*, 48; *Ps.* 43; Deus, áuribus nostris, *cum sua divis.*, 115; *Ps.* 44. Eructávit cor meum, 137.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios.

(Cap. 4.)

Sic nos exístimet homo ut ministros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hìc jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die : sed neque meipsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum; sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dominus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadusque véniat Dominus, qui et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium; et tunc laus erit unicuíque à Deo.

LECTIO II.

Hæc autem, fratres, transfigurávi in me et Apollo, propter vos; ut in nobis discátis, ne suprà quàm scriptum est, unus adversùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriáris quasi non accéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis : sine nobis regnátis; et útinam regnétis, ut et nos vobiscum regnémus! Puto enim quòd Deus nos Apostolos novíssimos ostendit tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus.

LECTIO III.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et

sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operantes mánibus nostris. Maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo; sed ut fílios meos caríssimos móneo. Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 46. Omnes gentes, pláudite, 40; *Ps.* 63. Exáudi Deus, oratiónem meam, 128; *Ps.* 74. Confitébimur tibi, Deus, 129.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 86. Fundamenta ejus in móntibus, 140; *Ps.* Cantáte Dómino........ omnis terra, 39; *Ps.* 98. Dóminus regnávit, irascantur pópuli, 41.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Isaiæ 52.)

Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicantis pacem, * annuntiántis bonum!

Prædicantis salútem, * dicentis Sion: Regnábit Deus tuus.

Vox speculatórum tuórum: * levavérunt vocem, simul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cum convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte et laudáte simul, desérta Jerúsalem; * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum, * in óculis ómnium géntium:

Et vidébunt omnes fines terræ, * salutáre Dei nostri.

AD VESPERAS.

Psalm. 109. Dixit Dóminus, 21; *Ps.* 112. Laudáte, púeri, 23; *Ps.* 115. Crédidi propter, 101; *Ps.* 125. In convertendo, 44; *Ps.* 138. Dómine, probasti me, 121.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 6.)

In illo témpore; éxiit Jesus in montem oráre, et erat pernoctans in oratióne Dei: et cùm dies factus esset, vocávit discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos et Apóstolos nominávit. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Comm. in Matth. cap. 10. L. 1.)

Benignus et clemens Dóminus ac magister non ínvidet servis atque discípulis virtútes suas. Et sicut ipse curáverat omnem languórem et infirmitátem, Apóstolis quoque suis tríbuit potestátem, ut curárent omnem languórem et omnem infirmitátem in plebe. Sed multa distántia est inter habére, et tribúere; donáre, et accípere. Iste quodcumque agit, potestáte Dómini agit: illi si quid fáciunt, imbecillitátem suam, et virtútem Dómini confiténtur, dicentes: In nómine Jesu surge et ámbula.

LECTIO VIII.

Duodecim autem Apostolórum nómina sunt hæc. Ordinem Apostolórum et méritum uniuscujusque illíus fuit distribúere, qui cordis arcána rimátur. Primus scríbitur Simon cognoménto Petrus, ad distinctiónem altérius Simónis qui appellátur Cananæus de vico Cana Galilææ, ubi aquam Dóminus vertit in vinum. Jacóbum quoque appellat Zebedæi; quia et álius séquitur Jacóbus Alphæi. Et Apostolórum pária jugaque consóciat. Jungit Petrum et Andréam fratres, non tam carne quàm spíritu; Jacóbum et Joannem, qui patrem córporis relinquentes verum patrem secúti sunt; Philippum et Bartholomæum, Thomam quoque et Matthæum publicánum. Céteri Evangelistæ in conjunctióne nóminum primum ponunt Matthæum, et pósteà Thomam; nec publicáni nomen adscríbunt, ne antíquæ conversatiónis recordantes sugilláre Evangelistam viderentur. Ipse verò et post Thomam se ponit, et publicánum appellat; ut ubi abundávit iníquitas, superabundet et grátia.

LECTIO IX.

Hos duódecim misit Jesus, præcípiens eis: In viam géntium ne abiéritis, et in civitátes Samaritanórum non

intravéritis; sed pótiùs ite ad oves quæ periérunt domûs Israel. Non est contrárius locus iste ei præcepto quod pósteà dícitur : Euntes, docéte omnes gentes, baptizantes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti; quia hoc ante resurrectiónem, illud post resurrectiónem præceptum est. Et oportébat primùm adventum Christi nuntiáre Judæis, ne justam habérent accusatiónem, dicentes, ideò se Dóminum rejecisse, quia ad gentes et Samaritános míserit. Juxta tropológiam verò præcípitur nobis, qui Christi censémur nómine, ne in via géntium et hæreticórum ambulémus erróre; ut quorum relígio separáta est, separarétur et vita.

PRO UNO MARTYRE.

DIE FESTO.

IN I.º NOCTURNO.

Ps. 3. Dómine, quid multiplicáti sunt, 3; *Ps.* 12. Usquequò, Dómine, oblivísceris, 65; *Ps.* 16. Exaudi, Dómine, justítiam meam, *cum sua divis.* 131.

LECTIO I.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

(Cap. 4.)

Deus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illuxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesaurum istum in vasis fictílibus; ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur : aporiámur, sed non destitúimur : persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur : dejícimur, sed non perímus; semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

LECTIO II.

Semper enim nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum; ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habentes autem eumdem spíritum fídei, sicut scriptum est : Crédidi, propter quod locútus sum; et nos crédimus, propter

quod et lóquimur : scientes quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit, et constítuet vobiscum. Omnia enim propter vos; ut grátia abundans, per multos in gratiárum actióne abundet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus : sed licèt is qui foris est noster homo corrumpátur; tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem.

LECTIO III.

(Cap. 5.)

Id enim quod in præsenti est momentáneum, et leve tribulatiónis nostræ supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis; non contemplántibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporália sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. Scimus enim, quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo est superíndui cupientes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti, eo quòd nólumus expoliári, sed supervestíri; ut absorbeátur quod mortále est, à vita.

IN II.º NOCTURNO.

Ps. 20. Dómine, in virtúte tua, 80; *Ps.* 55. Miserére meî..... quóniam conculcávit, 125; *Ps.* 61. Nonne Deo subjécta erit ánima, 128.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Sem. 311, in nat. S. Cypriani Martyris.)

Istum nobis festum diem pássio beatíssimi Mártyris fecit, cujus nos victóriæ celébritas in istum locum devotíssimos congregávit. Sed celebrátio solemnitátis Mártyrum imitátio debet esse virtútum. Fácile est honórem Mártyris celebráre; magnum est fidem atque patiéntiam Mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus; hoc sic celebrémus, ut illud pótius diligámus. Quid laudámus in fide Mártyris? Quia usque ad mortem pro veritáte certávit, et ídeò vicit. Blandientem mundum contempsit, sævienti non cessit; ídeò victor ad Deum accessit.

LECTIO V.

Abundant in isto seculo erróres et terróres : beatíssimus Martyr erróres sapiéntiâ, terróres patiéntiâ superávit. Magnum est quod fecit : secútus Agnum, leónem

vicit. Quando persecútor sæviébat, leo fremébat; sed quia Agnus sursùm attendebátur, leo deorsùm calcabátur. Cogitáte, fratres, quale fuit mitti hómines per orbem terrárum prædicáre hóminem mórtuum resurrexisse, in cœlum ascendisse, et pro ista prædicatióne pérpeti ómnia quæ insániens mundus inferret, damna, exília, víncula, tormenta, flammas, béstias, cruces, mortes.

LECTIO VI.

Alius moriebátur, ut álius honorarétur; álius occidebátur, ut álius colerétur. Nunquid hoc fácerent, nisi flagrántià caritátis de consciéntia veritátis? Prædicavérunt mórtuum quem sciébant vivum. Sciébant pro qua vita contémnerent vitam: sciébant pro qua felicitáte ferrent transitóriam infelicitátem, pro quibus præmiis ista damna contémnerent. Fides eórum cum toto mundo non appenderétur. Audíerant: Quid prodest hómini, si totum mundum lucrétur, ánimæ autem suæ detrimentum patiátur?

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 63. Exáudi, Deus, oratiónem meam, 128; *Ps.* 69. Deus, in adjutórium meum intende, 100; *Ps.* 85. Inclína, Dómine, *cum sua divisione*, 145.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii s[ecúndùm] Matthæum.

(Cap. 10.)

In illo témpore: Dixit Je[sus] discípulis suis: Non est dis[cí]pulus super magistrum, n[ec] servus super dómin[um] suum. Et réliqua.

Homília sancti Cypriá[ni] Epíscopi et Mártyris.

(Epist. 56, quæ est de exh[ortatione] ad martyrium ad Thibari[tanos].)

Gaudere nos in persecuti[o]nibus vóluit Dóminus; qu[ia] tunc dantur corónæ fide[i], tunc probantur mílites D[ei], tunc Martyribus patent cœ[li]. Neque enim sic nomen m[i]lítiæ dédimus, ut pace[m] tantùmmodò cogitáre, et r[e]cusáre milítiam debeámu[s], quando in ipsa milítia pr[i]mus ambuláverit Dómin[us] humilitátis et tolerántiæ passiónis magister, ut qu[od] fíeri dócuit, prior fáceret; quod pati hortátur, pri[us] pro nobis ipse paterétur. S[it] ante óculos, fratres dilect[is]simi, quod qui omne jud[i]cium à Patre solus accépi[t] et qui ventúrus est et jud[i]catúrus, jam judícii sui cognitiónis futúræ senten[tiam] protúlerit, prænún[tians] et contestans confe[s]súrum se coram Patre su[o] confitentes, et negatúru[m] negantes.

LECTIO VIII.

(Longè post præced.)

EQUE áliquis persecutiónis
:tu sic terreátur, ut non
ıngélicis exhortatiónibus
præceptis, ac mónitis cœ-
tibus, ad ómnia inveniá-
r armátus. Iráscitur ad-
rsárius et minátur, sed est
i possit de ejus mánibus
eráre. Ille metuendus est,
jus iram nemo potest evá-
re, ipso præmonente et
cente : Ne timuéritis eos
i occídunt corpus, áni-
ım autem non possunt oc-
lere; magìs autem metúite
m qui potest et corpus et
imam occídere in gehen-
m. Et íterum : Qui amat
imam suam, perdet illam;
qui odit ánimam suam in
o século, in vitam æternam
nservábit illam. Ecce agon
blímis et magnus, et coró-
: cœlestis præmio glorió-
s. Præliantes nos spectat
:us, spectant Angeli ejus,
ectat et Christus. Quanta
: glóriæ dígnitas, quanta
ícitas, præsente Deo cón-
edi, et Christo júdice co-
nári!

LECTIO IX.

RMEMUR víribus totis, et
rémur ad agónem mente
corruptâ, fide íntegrâ,
rtúte devótâ. Armat nos
ɔóstolus, dicens : Indúite
ma Dei, ut possítis resís-
re in die nequíssimo. Induámus lorícam justítiæ, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus et tutum. Calceáti sint evangélico magistério, et armáti pedes; ut cùm serpens calcári à nobis cœperit, mordére et supplantáre non possit. Portémus scutum fídei, quo protegente, quidquid jaculátur inimícus possit extíngui. Accipiámus ad tegumentum cápitis gáleam salutárem, ut muniantur aures, ne áudiant edicta ferália. Muniantur óculi, ne vídeant detestanda simulácra : muniátur frons, ut signum Dei incólume servétur : muniátur os, ut Dóminum suum Christum victrix lingua fateátur. Armémus et déxteram gládio spiritáli, ut sacrifícia funesta fórtiter réspuat, et Eucharístiæ memor, quæ Dómini corpus accépit, ipsum complectátur, pósteà à Dómino sumptúra præmium cœléstium coronárum.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Eccli. 51.)

CONFITEBOR tibi, Dómine rex,* et collaudábo te Deum salvatórem meum.

Confitébor nómini tuo : * quóniam adjútor et protector factus es mihi;

Et liberasti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, et à lábiis ope-

rántium mendácium, * et in conspectu astántium factus es mihi adjútor;

Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, * et in témpore superbórum sine adjutório.

Laudábo nómen tuum assíduè, et collaudábo illud in confessióne, * et exaudíta est orátio mea.

Et liberasti me de perditióne, * et eripuisti me de témpore iníquo.

Proptéreà confitébor, et laudem dicam tibi, * et benedícam nómini Dómini.

AD VESPERAS.

Psalm. 109. Dixit Dóminus, 21; *Ps.* 111. Beátus vir, 22; *Ps.* 115. Crédidi propter, 101; *Ps.* 120. Ad Dóminum, cùm tribulárer, 63; *Ps.* 120. Levávi óculos, 44.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 16.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 131, in Nat. Martyrum.)

Illa Evangélicâ tubâ quando ait Dóminus, qui amat ánimam suam, perdet illam, et qui perdíderit illam; propter me, invéniet eam, accensi sunt mártyres, et vicérunt; quia non de se, sed de Dómino præsumpsérunt. Duóbus modis intélligi potest quod dictum est. Qui amat ánimam suam, perdet illam. Si amas illam, perdis eam. Et álio modo: Noli amáre, ne perdas. Prior modus istum habet sensum: Si amas, perde illam. Hic sémina illam, et in cœlo metes illam. Agrícola si non tríticum pérdidit in sémine, non amat in messe. Alius modus sic habet: Noli amáre illam, ne perdas illam. Videntur sibi amáre ánimas suas, qui timent mori. Animas suas Mártyres si sic amassent, procul dúbio perdidissent. Quid enim prodesset tenére ánimam in hac vita, et pérdere in futúra?

LECTIO VIII.

Sed quia Christum non negavérunt, transiérunt de hoc mundo ad Patrem. Quæsié-

runt Christum, confitendo tenuérunt; moriendo magno lucro perdidérunt ánimas suas, fœnum perdentes, corónam promerentes, et vitam sine fine tenentes. Fit dénique, imò factum est in eis quod Dóminus subsequenter adjunxit : Et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui perdíderit, inquit, propter me; tota causa ibi est. Qui perdíderit, non quomodocumque, non quâlibet causâ, sed propter me. Illi enim in prophetía jam dixérunt Mártyres : Propter te mortificámur totâ die. Proptérea Mártyrem non facit pœna, sed causa.

LECTIO IX.

Quando Dóminus passus est, tres cruces causa discrévit. Inter duos latrónes crucifixus erat. Si pœna interrogarétur, símilis erat Christus latrónibus. Sed si intérrogat quis crucem : Quare crucifixus est Christus? respondet nobis : Propter vos. Dicant ergo illi et Mártyres : Et nos mórtui sumus propter te. Ipse propter nos, nos autem propter illum : sed ipse propter nos, ut conferret nobis benefícium; nos autem propter illum, non ad impertiendum illi benefícium. Proinde nobis in utróque consultum est. Et quod manat ex illo, venit ad nos; et quod fit propter illum, redit ad nos. Ipse est enim de quo dicit ánima quæ lætátur in Dómino : Dixi Dómino, Deus meus es tu; quóniam bonórum meórum non eges. Quid est enim bonórum meórum, nisi à te datórum? Et quómodò eget áliquo bono, à quo datur omne bonum?

PRO PLURIBUS MARTYRIBUS.

DIE FESTO.

IN I. NOCTURNO.

Ps. 5. Verba mea, 73; *Ps.* 31. Beáti quorum, 66; *Ps.* 80. Exultáte, Deo, 92.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Románes.

(Cap. 8.)

Fratres; Debitóres sumus non carni, ut secundùm carnem vivámus. Si enim secundùm carnem vixéritis, moriémini : si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicumque enim Spíritu Dei aguntur, ii sunt fílii Dei. Non enim accepistis spíritum servitútis íterùm in timóre; sed accepistis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus : Abba, Pater. Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus fílii Dei. Si autem fílii, et hærédes : hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi; si tamen compátimur ut et conglorificémur. Exístimo enim quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expectat.

LECTIO II.

Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit : et quos vocávit, hos et justificávit; quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum : quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit adversùs electos Dei? Deus qui justíficat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imò qui et resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis.

LECTIO III.

Quis ergo nos separábit à caritáte Christi? Tribulátio

an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius? Sicut scriptum est : Quia propter te mortificámur totâ die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque fútura, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 33. Benedícam, *cum sua divis.*, 99; *Ps.* 45. Deus noster refúgium, 139; *Ps.* 60. Exaudi, Deus, deprecatiónem, 108.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 335, in Nat. Mart.)

Quoniam dies sanctórum Mártyrum est, unde pótiùs áliquid delectet nos dícere, nisi de glória ipsórum? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò antè beátum Paulum Apóstolum prædicantem : Quis nos separábit à caritáte Christi? Ista vox est Mártyrum. Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? sicut scriptum est : Propter te morte affícimur totâ die, deputáti sumus ut oves occisiónis : sed in his ómnibus superámus per eum qui dilexit nos. Hæc est vox Mártyrum, ómnia toleráre, et de se nihil præsúmere; illum dilígere qui glorificátur in suis : ut qui gloriátur in Dómino gloriétur.

LECTIO V.

Noverant et illud quod nos cantávimus paulò antè : Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. Si justi in Dómino lætantur, injusti non novérunt lætári nisi in século. Sed ipsa est prima ácies debellanda. Primò vincendæ sunt delectatiónes, et pósteà dolóres. Quómodò potest superáre mundum sævientem, qui non potest superáre blandientem? Blandítur hic mundus pollicendo honóres, divítias, voluptátes : minátur hic mundus intentando dolóres, egestátes, humilitátes. Qui non contemnit quod pollicétur, quómodò superáre potest quod minátur?

LECTIO VI.

Habent delectatiónem suam divítiæ, quis nésciat? Sed plus habet delectatiónis justítia. Delectáre divítiis cum justítia. Ubi autem talis artículus tentatiónis incíderit, ut duo hæc véniant in tentatiónem, divítiæ et justítia,

et non possis habére utrumque : sed si míseris manum ad divítias, necesse est ut amittas justítiam; si míseris manum ad justítiam, péreant divítiæ. Modò élige, modò pugna; modò videámus si non sine causa cantasti : Lætámini in Dómino, et exultáte, justi; modò videámus si non sine causa audisti : Quis nos separábit à caritáte Christi? Et quidem prætermísit ómnia quibus blandítur mundus, et te vóluit commemoráre cui blandítur mundus. Quare? quia certámina Mártyrum pronuntiábat : illa útique certámina, ubi vicérunt persecutiónem, famem, sitim, egestátem, ignomíniam; ad extrémum, timórem mortis, et hostem sævíssimum.

IN III.o NOCTURNO.

Ps. 65. Jubiláte Deo, 7; *Ps.* 78. Deus, venérunt gentes, 66; *Ps.* 96. Dóminus regnávit, 41.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam

(Cap. 6.)

In illo témpore; Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri; et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 1 Off. cap. 15 et 16.)

Non potest quis præmium accípere, nisi legítimè certáverit : nec est gloriósa victória, nisi ubi fúerint laborlósa certámina. Nonne injustus est, qui antè quærat præmium, quàm certámen fúerit absolútum? Ideòque Dóminus in Evangélio ait : Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum : beáti estis, cùm vobis maledícent hómines, et persequentur, et dicent omne malum adversùm vos propter justítiam : gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælo. Futúram, non præsentem, in cælo, non in terra, mercédem promísit esse reddendam. Quid álibi possis quod álibi debétur? Quid præprópere corónam éxigis, ántequàm vincas? Quid detérgere púlverem, quid requiéscere cupis? Quid epulári gestis, ántequàm stádium solvátur? Adhuc pópulus spectat, adhuc athlétæ in scámmate sunt; et tu jam ótium petis?

LECTIO VIII.

Sed fortè dicas : Cur ímpii lætantur? cur luxuriantur? cur étiam ipsi non mecum labórant? Quóniam qui non subscrípserint ad corónam,

non tenentur ad labórem certáminis ? qui in stádium non descénderint, non se perfundunt óleo, non oblíniunt púlvere. Quos manet glória, expectat injúria. Unguentáti spectáre solent, non decertáre, non solem, æstus, púlverem, imbresque pérpeti. Dicant ergo et ipsis athlétæ : Veníte, nobíscum laboráte. Sed respondébunt spectatóres : Nos hic ínterim de vobis judicámus ; vos autem sine nobis corónæ, si vicéritis, glóriam vindicábitis.

LECTIO IX.

Isti ígitur qui in delíciis, qui in luxúria, rapínis, quæstibus, honóribus, stúdia posuérunt sua, spectatóres magis sunt quàm præliatóres. Habent lucrum labóris, fructum virtútis non habent. Fovent ótium, astútiâ et improbitáte ággerant divitiárum acervos ; sed exolvent, seram licèt, nequítiæ suæ pœnam. Perfectórum est coróna. Expecta ut véniat quod perfectum est, quando non per spéciem in ænígmate, sed fácie ad fáciem formam ipsam redopertæ veritátis possis agnóscere.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Judith 5.)

Qui sponte obtulistis de Israel ánimas vestras ad perículum, * benedícite Dómino.

Nova bella elégit Dóminus, et portas hóstium ipse subvertit : * Clypeus et hasta si apparúerint in míllibus Israel.

Cor meum díligit príncipes Israel : * qui própriâ voluntáte obstulistis vos discrímini, benedícite Dómino.

Qui sedétis in judício, * qui ambulátis in via, loquímini.

Ubi collísi sunt currus, et hóstium suffocátus est exércitus ; * ibi narrentur justítiæ Dómini ; et cleméntia in fortes Israel.

Tunc descendit pópulus Dómini ad portas, * et obtínuit principátum.

Salvátæ sunt relíquiæ pópuli ; * Dóminus in fórtibus dimicávit.

Venérunt reges et pugnavérunt, et tamen nihil tulére prædantes : * de cœlo dimicátum est contrà eos.

Sic péreant omnes inimíci tui, Dómine : * qui autem díligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ità rútilent.

AD VESPERAS.

Psalm 109. Dixit Dóminus, 21 ; *Ps.* 115. Crédidi, propter, 101 ; *Ps.* 123. Nisi quia, 44 ; *Ps.* 124. Qui confídunt, 83 ; *Ps.* 125. In convertendo, 44.

DIE OCTAVA.

IN III.º NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 21.)

In illo témpore, dixit Jesus discípulis suis : Cùm audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri : oportet primùm hæc fieri ; sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 35, in Evang.)

Mors justórum bonis in adjutórium est, malis in testimónium ; ut inde perversi sine excusatióne péreant ; unde electi exemplum cápiunt ut vivant. Sed audítis tot terróribus, turbári póterant infirmórum corda ; atque ídeò consolátio adjúngitur, cùm prótinus subinfertur : Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodùm respondeátis, ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Ac si apertè membris suis infirmántibus dicat : Nolíte terréri, nolíte pertiméscere ; vos ad certámen accéditis, sed ego prælior ; vos verba éditis, sed ego sum qui loquor.

LECTIO VIII.

(Post pauca.)

Quia dura sunt quæ prædicuntur de afflictióne mortis, prótinùs consolátio súbditur de gáudio resurrectiónis, cùm dícitur : Capillus de cápite vestro non períbit. Scimus, fratres, quia caro incísa dolet, capillus incísus non dolet. Ait ergo Martyribus suis : Capillus de cápite vestro non períbit ; vidélicet apertè dicens : Cur timétis ne péreat quod incísum dolet, quando et illud in vobis períre non potest quod incísum non dolet? Séquitur : In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. Idcirco posséssio ánimæ in virtúte patiéntiæ pónitur ; quia radix ómnium custosque virtútum patiéntia est. Per patiéntiam verò possidémus ánimas nostras ; quia dum nobis ipsis dominári díscimus, hoc ipsum incípimus possidére quod sumus.

LECTIO IX.

Servate ergo, fratres, in mente patiéntiam ; eamque, cùm res éxigit, exercéte in operatióne. Nullum vestrûm ad ódium próximi contumeliósa verba commóveant, nulla peritura rárum rerum damna perturbent. Si enim

fixâ mente mansúra damna pertiméscitis, damna rerum transeúntium grávia non putátis : si æternæ retributiónis glóriam conspicitis, de temporáli injúria non dolétis. Toleráte ergo adversários vestros; sed ut fratres dilígite quos tolerátis. Ætérna præmia pro damnis temporálibus quærite. Nec quisquam vestrûm suis se víribus hæc implére posse confídat; sed obtinéte précibus, ut ipse hæc qui ímperat præstet. Et scimus quia petentes libenter audit, quando hoc pétitur largíri quod jubet. Cùm contínuò pulsátur in prece, cóncitè opitulátur in tentatióne per Jesum Christum Dóminum nostrum, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitáte Spíritûs sancti in sécula seculorum. Amen. Tu autem.

PRO PONTIFICIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 8. Dómine Dóminus noster, 37; *Ps.* 19. Exáudiat te 87; *Ps.* 20. Dómine, in virtúte, 80.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 3.)

FIDELIS sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Oportet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudentem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinolentum, non percussórem, sed modestum; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habentem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præesse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non néophytum; ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Oportet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt; ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

LECTIO II.

De Epístola ad Titum.

(Cap. 1.)

OPORTET enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non super-

bum, non iracundum, non vinolentum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos qui contradícunt argúere. Sunt enim multi étiam inobedientes, vaníloqui, et seductóres, máximè qui de circumcisióne sunt, quos oportet redárgui; qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri grátià.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

Tu autem lóquere quæ decent sanam doctrínam. Senes, ut sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. Anus simíliter, in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino servientes, bene docentes, ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant; prudentes, castas, sóbrias, domûs curam habentes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is qui ex adverso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 22. Dóminus regit me, 99; *Ps.* 25. Júdica me, Dómine, 57; *Ps.* 42. Júdica me, Deus, 79.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 10 in Epist. 1 ad Tim.)

Si quis Episcopátum áppetit, non principátûs ac dominatiónis fastu, sed pro cura regíminis et caritátis affectu non ímprobo: bonum quippe desíderat opus. Quippe et Móyses eamdem rem appetivisse cognóscitur. Verùm ille hujúsmodi poténtiam ambitumque dominandi nequáquam quæsívit; sed eam rem ita cupívit, ut nec contuméliam audíre refúgeret, cùm illi dicerétur: Quis te constítuit príncipem et júdicem super nos? Si quis ígitur ita desíderat, desíderat bene. Episcopátus enim ex eo dícitur, quòd omnes inspíciat cunctaque speculétur. Oportet ígitur Epíscopum irreprehensíbilem esse. Hoc único verbo genus omne virtútum expressit. Itaque qui sibi vel levis culpæ cónscius est, malè profectò facit eam

rem áppetens, quâ indignum se per ópera facit. Non enim decet hujúsmodi régere, sed pótiùs regi. Eum quippe qui regendos álios súscipit, tantà decet glóriâ virtútis excéllere, ut instar solis, céteros véluti stellárum ignículos in suo fulgóre obscúret. Debet hujúsmodi vitam habére inmaculátam atque compósitam; ut omnes in illum et in ejus vitam, véluti in exemplum áliquod excellens, intueantur.

LECTIO V.

Oportet Epíscopum vigilantem esse, hoc est, claríssimâ mentis ácie præditum, innumerosque habentem omni ex parte óculos, quibus acutíssimè cuncta prospíciat. Sunt quippe plura quæ íncidant, et mentis hébetent áciem, putà concupiscéntiæ desidéria, curæ quotidiánæ, rerumque perturbátio; et plúrima id genus úndique ímminent. Vigilantem ígitur esse necesse est eum, qui non tantùm suî curam habet, verùm étiam reliquórum. Decet esse pervígilem eum qui ejúsmodi est, ac spíritu vívere, et affectûs sui flammam opéribus ipsis osténdere, sollicitúdine atque indústriâ præcéllere; ut die noctuque exércitum et castra perlustret, labóret, et sui offícii munus diligentíssimè ímpleat, atque ómnium curam et sollicitúdinem gerat. Pudícum, addit, ornátum, et hospitalitátis amatórem. Ista et in súbditis plerumquè vídeas. Verùm quóniam oportet eum et ea quæ sunt rectóris habére, idcircò subjunxit: Aptum ad docendum. Hoc quippe à súbditis nequáquam exígitur: céterùm illi ante ómnia adesse debet, qui hujúsmodi suscépit offícium.

LECTIO VI.

Idcirco nos elégit Deus, ut simus quasi luminária, ut véluti fermentum evadámus, ut magistri ceterórum efficiámur, ut véluti Angeli cum homínibus versémur in terris, ut tanquam viri cum infántibus et púeris, quasi spirituáles cum animálibus, ut ex contubérnio nostro ingéntia lucra conquírant; ut sémina simus, ut fructum lætíssimum afferámus. Non opus esset verbis, si hunc in modum vita nostra sanctitátis luce fulgéret. Nihil magistris opus esset, si virtútis probos actus præferrémus. Nemo profectò Gentílis esset, si ipsi ut oportet Christiáni esse curarémus, si Dei mónitis ac scitis obtemperarémus, si injúrias perpessi vicem non referrémus, si maledictis lacessíti benedicerémus, si pro malis bona redderémus. Nemo esset ita fera béllua, ut non statim ad cultum veræ reli-

giónis accúrreret, si vidéret hæc ab ómnibus fíeri. Atque ut discas ita esse, unus Paulus qui talis fuit, tot pópulos attraxit ad Dei notítiam. Si omnes essémus hujúsmodi, quot terrárum orbes et ipsi attráhere possémus?

IN III.º NOCTURNO.

Ps. 64. Te decet, 74; *Ps.* 83. Quàm dilecta, 98; *Ps.* 98. Dóminus regnávit, irascantur, 41.

LECTIO VII.

Léctio santi Evangélii secundum Matthæum.

(Cap. 24.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(Comment. in Matth. cap. 26.)

Ut ignorántiam illam diéi ómnibus táciti non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dóminus propter adventum furis admónuit, et oratiónum assiduitáte detentos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse ostendit zábulum ad detrahenda ex nobis spólia pervígilem, et córporum nostrórum dómibus insidiantem; ut ea, incuriósis nobis et somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos ígitur esse nos cónvenit; quia diéi ignorátio intentam sollicitúdinem suspensæ expectatiónis exágitat.

LECTIO VIII.

(Cap. 27.)

Quis namque est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam? Quanquam in commúne nos ad indefessam vigilántiæ curam adhortétur, speciálem tamen pópuli princípibus, id est, Epíscopis, in expectatióne adventuque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudentem, præpósitum famíliæ signíficat, cómmoda atque utilitátes commissi sibi pópuli curantem. Qui si dicto áudiens, et præceptis obédiens erit, id est, si dotrrínæ opportunitáte et veritáte infirma confirmet, disrupta consólidet, depraváta convertat, et verbum vitæ in æternitátis cibum alendæ famíliæ dispendat, atque hæc agens, hisque ímmorans deprehendátur; glóriam à Dómino tanquam dispensátor fidélis et víllicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur; id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultrà quod mélius sit.

LECTIO IX.

Quod si cóntuens longam

Dei patiéntiam, quæ in profectum humánæ salútis exténditur, adversùm conservos insolescet, et séculi malis vitiisque se tradet, præséntium tantùm curam in cultu ventris exercens; desperáta die Dóminus advéniet, eumque à bonis quæ spopónderat, dívidet, portionemque ejus cum hypócritis in pœnæ æternitáte constítuet : quia adventum desperáverit, quia mandátis non obtemperáverit, quia præséntibus studúerit, quia vità géntium víxerit, quia desperatióne judícii commissam sibi famíliam, fame, siti, cæde vexáverit.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Eccli. 50.)

SACERDOS magnus in ascensu altáris sancti, * glóriam dedit sanctitátis amictum.

In accipiendo autem partes de manu Sacerdótum, * et ipse stans juxta aram;

Et circa illum coróna fratrum; * quasi plantátio cedri in monte Líbano.

Sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ; * et omnes fílii Aáron in glória sua.

Oblátio autem Dómini in mánibus ipsórum, * coram omni Synagóga Israel :

Et consummatióne fungens in ara, * amplificáre oblatiónem excelsi regis;

Porrexit manum suam in libatióne, * et libávit de sánguine uvæ.

Effúdit in fundamento altáris odórem divínum * excelso Príncipi.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica, ultimo excepto, cujus loco dicitur Ps. 131. Memento, *cum sua divisione, p.* 143.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 24.)

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Epíscopi.

(Serm. 1, de dispensat. Domini, n. 1.)

DOMINICUS sermo quem debémus omnes, non solùm studiósè, verùm étiam sapienter audíre, cui nos oportet humíliter ac delectabíliter obedíre, moderatiónis suæ tenens ubíque tempé-

riem, ut nec óvibus desint pábula, nec pastóribus aliménta; quædam speciáliter solis præcipit nobis, quædam verò generáliter et nobis et vobis. Nobis namque (id est, servis, quos Pater ille famíliâs, rerum ómnium Dóminus, ad hoc in sua magna domo constítuit, ut pópulo ejus verbum grátiæ ministrémus) speciáliter adjúngitur sanctæ prædicatiónis offícium; generáliter verò et nobis et vobis salutáris indícitur observántia mandatórum.

LECTIO VIII.

Servorum igitur, quos pópulo suo præpósuit Dóminus speciáliter volens offícium demonstráre, ait: Quis putas est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem cùm vénerit Dóminus, invénerit ita faciéntem. Quis est iste Dóminus, fratres? Christus sine dúbio, qui suis discípulis ait: Vos vocátis me, Magister et Dómine; et bene dícitis: sum étenim. Quæ est étiam hujus Dómini família? Nimírùm illa est, quam ipse Dóminus de manu inimíci redémit, et suo domínio mancipávit. Hæc autem família sancta est Ecclésia cathólica, quæ per orbem terræ copiósâ fertilitáte diffúnditur, et redémpta se pretióso sui Dómini sánguine gloriátur.

LECTIO IX.

(N. 2 et 3.)

Dispensator verò quis sit, quem oportet esse fidélem páriter ac prudéntem, Paulus nobis ostendit Apóstolus, qui de se suísque sóciis loquens, ait: Sic nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quǽritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Ne quis autem nostrûm solos Apóstolos dispensatóres factos exístimet; neglectoque milítiæ spirituális offício, servus piger infidéliter imprudenterque dormítet, ipse beátus Apóstolus Epíscopos esse dispensatóres ostendens, ait: Oportet ergo Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem. Servi Patris famíliâs sumus, dispensatóres Dómini sumus; mensúram trítici quam vobis erogémus, accépimus. Quæ vera sit ista mensúra trítici si quærámus, ipsam quoque vobis beátus Paulus Apóstolus ostendet, dicens: Unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei. Hujus trítici mensúram vobis in nómine Dómini damus, quóties illumináti dono grátiæ spiritális, secundùm régu-

Iam veræ fídei disputámus; et eamdem trítici mensúram per Domínicos dispensatóres accípitis, cùm quotídie per Dei fámulos verbum veritátis audítis.

PRO DOCTORIBUS.

DIE FESTO.

IN I.º NOCTURNO.

Ps. 1. Beátus vir, 2; *Ps.* 11. Salvum me fac, 104; *Ps.* 18. Cœli enarrant, *cum sua divisione*, 48.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 39.)

Sapientiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in Prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occulta proverbiórum exquíret et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in onspectu præsidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet : bona enim et mala in homínibus tentábit.

LECTIO II.

Cor suum tradet ad vigilandum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, et in conspectu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delictis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum, et ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ: et in oratióne confitébitur Dómino : et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

LECTIO III.

Ipse palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testamenti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in séculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

IN II.º NOCTURNO.

Ps. 25. Júdica me, Dómine, 57; *Ps.* 33. Benedícam Dóminum, *cum sua divisione*, 99; *Ps.* 35. Dixit injustus, 74.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum.

(Lib. 2, cap. 10.)

SANCTOS et in sancta Ecclésia illustres Antístites Dei, non Platónicis, et Aristotélicis, et Zenónicis, aliisque hujuscémodi, vel Græcis, vel Latínis, quanquam ex istis áliquos eórum, verùm omnes sacris lítteris erudítos, nominátim, sicut oportébat, expressi: eorumque senténtias, quantùm sufficere videbátur, sine ulla éditas ambiguitáte digessi: ut in eis tímeas non ipsos, sed illum qui sibi eos utília vasa formávit, et sancta templa construxit qui tunc de ista causa judicavérunt, quando eos nemo potest dícere pérperàm cuíquam vel adversári, vel favére potuisse. Nullas nobiscum vel vobiscum amicítias attendérunt, vel inimicítias exercuérunt: neque nobis neque vobis iráti sunt: neque nos, neque vos miseráti sunt. Quod invenérunt in Ecclésia, tenuérunt: quod didicérunt, docuérunt: quod à Patribus accepérunt, hoc fíliis tradidérunt.

LECTIO V.

(Longe post præcedentia.)

ISTI Epíscopi sunt docti, graves, sancti, veritátis acérrimi defensóres adversùs gárrulas vanitátes: in q rum ratióne, eruditióne bertáte, quæ tria bona jú tribuisti, non potes inve quod spernas. Si Episcop Synodus ex toto orbe c gregarétur, mirum si t possent illìc fácilè tot s re, quia nec isti uno témp fuérunt: sed fidéles, et n tis excellentióres paucos pensatóres suos Deus pe versas ætátes témpori locorumque distántias, s ei placet atque expedíre j cat, ipse dispensat. Hos que de áliis atque áliis t póribus atque regióni ab Oriénte et Occid congregátos vides, non locum quo navigáre co tur hómines, sed in libi qui navigáre possit ad mines.

LECTIO VI.

QUANTO tibi essent isti díces optabilióres, si ten cathólicam fidem; tu tibi sunt terribilióres, oppugnas cathólicam fid quam in lacte suxéru quam in cibo sumpséru cujus lac et cibum pa magnisque ministravéru quam contra inimícos, ét vos tunc nondum natos, de nunc revelámini, ap tíssimè ac fortíssimè def dérunt. Tálibus post póstolos sancta Eccl plantatóribus, rigatórib ædificatóribus, pastórib nutritóribus crevit. I

profánas voces vestræ novitátis expávit; et cauta ac sóbria, ex admonitióne Apostólica, ne sicut serpens Evam seduxit astútiâ suâ, sic et mens ejus corrumperétur à castitáte quæ est in Christo; cathólicæ fidei virginitáte, insídias vestri dógmatis surrepentis exhórruit, et tanquam caput cólubri calcávit, obtrívit, abjécit.

IN III.º NOCTURNO.

Ps. 39. Expectans expectávi, *cum sua divis.* 116; *Ps.* 72. Quàm bonus Israel, *cum sua divis.* 42; *Ps.* 91. Bonum est confitéri, 32.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 5.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 2, de Serm. Domini in Monte, c. 6.)

Ostendit Dóminus fátuos esse judicandos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectantes, vel inópiam metuentes, amittunt æterna quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auferri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? Id est, si vos per quos condiendi sunt quodámmodò pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cœlórum; qui erunt hómines per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus per quos errórem áuferat ceterórum?

LECTIO VIII.

Ergo ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur forès, et calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem, sed qui persecutiónem timendo infatuátur. Calcári enim non potest nisi inférior: sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cœlo est.

LECTIO IX.

Vos estis lumen mundi. Quómodò dixit supériùs Sal terræ, sic nunc dicit Lumen mundi. Nam neque supériùs ista terra accipienda est, quam pédibus corpóreis calcámus; sed hómines qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiendis et extinguendis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit in mundum. Et hìc mundum, non cœlum et terram, sed hómines qui sunt in mundo vel díligunt mundum, oportet intélligi, quibus illuminandis Apóstoli missi sunt.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Eccli. 15.)

CIBABIT illum Deus pane vitæ et intellectûs, * et aquâ sapiéntiæ salutáris potábit illum :

Et firmábitur in illo, et non flectétur : * continébit illum, et non confundétur :

Et exaltábit illum apud próximos suos, * et in médio Ecclésiæ apériet os ejus ;

Et adimplébit illum spíritu sapiéntiæ et intellectûs, * et stolâ glóriæ véstiet illum.

Jucunditátem et exultatiónem thesaurizábit super illum, * et nómine æterno hæreditábit illum.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica, sed loco ultimi dicitur Ps. 125. In convertendo Dóminus captivitátem Sion, *p.* 44.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 7.)

IN illo témpore; Ascendit Jesus in templum, et docébat. Et mirabantur Judæi, dicentes : Quómodò hic lítteras scit, cùm non didícerit? Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrína non est mea, sed ejus qui misit me Patris. Si quis volúerit voluntátem ejus fácere, cognoscet de doctrína, utrùm ex Deo sit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(In Joan. Tract. 29.)

DOMINUM Jesum invénimus dixisse : Si quis volúerit fácere voluntátem ejus qui misit me, cognoscet de doctrína. Quid est, cognoscet? Hoc est, intélliget. Quid est autem, Si quis voluntátem ejus volúerit fácere? Hoc est crédere. Sed quia cognoscet, hoc est intélliget ; omnes intélligunt : quia verò quod ait, Si quis volúerit voluntátem ejus fácere, hoc pértinet ad crédere; ut diligéntiùs intelligátur, opus est nobis ipso Dómino nostro expositóre, ut índicet nobis utrùm revérà ad crédere pertíneat fácere voluntátem Patris ejus. Quis nésciat hoc esse fácere voluntátem Dei, operári opus ejus, id est, quod illi placet? Ipse autem Dóminus apertè álio loco dicit : Hoc est opus Dei, ut credátis in eum quem misit ille. Ipsa est ergo fides quam de nobis éxigit Deus : et non ínvenit quod exigat, nisi donáret quod in-

véniat. Non qualiscumque fides, sed fides quæ per dilectiónem operátur. Hæc in te sit, et intélliges de doctrína. Quid enim intélliges? Quia, inquit, ista doctrína non est mea, sed ejus qui misit me Patris. Id est, intélliges quia Christus Fílius Dei, qui est doctrína Patris, nec est, nec lóquitur ex seipso; sed Fílius est, et Verbum Patris.

LECTIO VIII.

(Serm. 17, in Psalm. 118.)

Doce me, inquit Psalmus, quia mandátis tuis crédidi. Quid áliud est docére, quàm sciéntiam dare? Hæc duo ita sibi connexa sunt, ut álterum sine áltero esse non possit. Nemo enim docétur, nisi discat; et nemo discit, nisi doceátur. Et ídeò, si discípulus non sit capax eórum quæ à doctóre dicuntur, non potest Doctor dícere : Ego eum dócui, sed ipse non dídicit. Dícere autem potest : Ego ei dixi quod dicendum fuit; sed ille non dídicit, quia non percépit, non comprehendit, non intellexit. Nam profectò et ille didicisset, si iste docuisset. Et ídeò Deus, quando vult docére, priùs dat intellectum, sine quo ea quæ ad divínam doctrínam pértinent, homo non potest díscere. Unde et paulò post dicit : Da mihi intellectum, *ut discam mandáta* tua.

Cùm ítaque ália sint, quæ ídeò díscimus, ut tantúmmodò sciámus, ália verò, ut étiam faciámus; quando ea Deus docet, sic docet, ut scienda sciámus, aperiendo veritátem : sic docet, ut facienda faciámus, inspirando suavitátem. Neque enim ei frustrà dícitur : Doce me fácere voluntátem tuam; sic, inquit, doce, ut fáciam, non tantúmmodò ut sciam.

LECTIO IX.

Quod verò ait, Quóniam mandátis tuis crédidi, non immérito quæri potest cur non díxerit, Obedívi, sed crédidi. Alia sunt enim mandáta, ália promissa. Mandáta facienda suscípimus, ut accípere promissa mereámur. Promissis ergo crédimus, mandátis obtemperámus. Quid est ergo, Mandátis tuis crédidi? nisi, crédidi quòd tu illa mandáveris, non áliquis homo, quamvis per hómines homínibus ministráta sint. Quia ítaque crédidi tua esse mandáta, ipsa est fides mea quâ id crédidi : ímpetret abs te grátiam quâ fáciam quod mandasti. Si enim homo mihi hoc jubéret forínsecùs, numquid ut étiam fáceret quod jubébat, adjuvábat intrínsecùs? Doce ergò me suavitátem, inspirando caritátem; doce me disciplínam, donando patiéntiam; doce me scien-

tiam, illuminando intelligéntiam. Quóniam mandátis tuis crédidi. Te illa cré- didi mandasque, qui Dei et hómini domas ... eum fácere quod manda

PRO PRESBYTERIS.

DIE FESTO.

Psalmi ut in Communi Pontificum.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 4, 12 ad fin.)

Exemplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, attende lectióni, exhortatióni et doctrínæ. Noli neglígere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam, cum impositióne mánuum Presbytérii. Hæc meditáre, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit ómnibus. Attende tibi, et doctrínæ: insta in illis. Hoc enim fáciens, et teipsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt.

LECTIO II.

(Cap. 6, 6 ad 12.)

Est quæstus magnus, píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium ... nec auferre quid póssu... Habentes autem, alime... et quibus tegámur, his ... tenti sumus. Nam qui ... lunt dívites fíeri, inci... in tentatiónem, et in ... queum diáboli, et desid... multa inutília, et noc... quæ mergunt hómine... intéritum et perditiór... Radix enim ómnium m... rum est cupíditas; q... quidam appetentes, err... runt à fide, et inseruéru... dolóribus multis. Tu aut... ô homo Dei, hæc fuge: ... táre verò justítiam, pi... tem, fidem, caritátem, ... tiéntiam, mansuetúdin... Certa bonum certámen ... dei, apprehende vitam æ... nam, in qua vocátus es.

LECTIO III.

(N. 17, ad fin.)

Divitibus hujus séculi p... cipe non sublíme sápe... neque speráre in ince... divitiárum, sed in Deo vi... (qui præstat nobis óm... abunde ad fruendum) be... ágere, dívites fíeri in b...

opéribus, fácile tribúere, communicáre, thesaurizáre sibi fundamentum bonum in futúrum, ut apprehendant veram vitam. O Timóthee, depósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ, quam quidam promittentes, circa fidem excidérunt. Grátia tecum. Amen.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Tractátu sancti Joannis Chrysóstomi de Sacerdótio.

(Lib. 3, longe post init.)

Dum cónspicis Dóminum immolátum, Sacerdótem sacrifício incumbentem, ac preces fundentem; tum verò turbam circumfúsam pretióso illo sánguine intingi ac rubefíeri, etiamne te inter mortáles versári atque in terra consístere censes? An non pótiùs è vestígio in cœlos transferri? An non carnis cogitatiónem omnem abjíciens, nudo ánimo, mente purâ circúmspicis quæ in cœlo sunt? O miráculum! ô Dei benignitátem! qui cum Patre sursùm sedet, in illo ipso témporis artículo ómnium mánibus pertractátur, ac se ipse tradit voléntibus ipsum excípere ac complecti..... Adest enim Sacerdos, non ignem mittens, sed Spíritum sanctum: is preces diuturnas fundit, non quò flamma cœlitus delápsa sacra appósita absúmat: sed ut grátia in sacrifícium ínfluens, per illud ipsum ómnium ánimos inflammet, et puriores reddat argento igni excocto purgatóque.

LECTIO V.

(Paulo post.)

Si quis consíderet quantum id sit mystérium, ut is scílicet qui homo ipse sit carne ac sánguine étiamnum constans, iisque invólutus, beátæ atque immortáli natúræ illi fíeri própior queat: tum probè intélliget quanto Sacerdótis honóre, quantâ dignitáte Spíritûs sancti grátia dignáta fúerit: operántibus enim illis tum sacra hæc quæ dico initiantur, perficiuntúrque, tum étiam ália his nihilò inferióra, quæ ipsa ad dignitátis, salutisque nostræ ratiónem spectant. Etenim qui terram íncolunt atque in ea versantur, iis commissum est ut ea quæ in cœlis sunt dispensent: iis datum est ut potestátem hábeant quam Deus óptimus, neque Angelis, neque Archángelis datam esse vóluit. Neque enim ad illos dictum est: Quæcumque alligavéritis in terra, erunt alligáta et in cœlo; et quæcumque solvéritis in terra, erunt solúta et in cœlo.

LECTIO VI.

(Paulò post.)

Hi sunt quibus et concréditæ sunt spirituáles parturígines, et baptísmatis partus à Deo est commissus: per hos ipsos Christum indúimus, unà cum Dei Fílio sepelímur: beáti illíus cápitis membra efficimur.... Illi autóres nobis sunt nativitátis ejus quàm à Deo habémus, beátæ regeneratiónis illíus, libertátis veræ atque ádeo adoptiónis ejus, quâ nos per grátiam fílii Dei sumùs effecti. Córporis lepram purgáre, seu vérius dicam, haud purgáre quidem, sed purgátos probáre, Judæórum Sacerdótibus solis licébat: neque nescis quanta cum ambitióne, quanto cum stúdio ac concertatióne Sacerdotális dígnitas id témporis acquirerétur. At verò nostris Sacerdótibus non córporis lepram, verùm ánimæ sordes, non dico purgátas probáre, sed purgáre prorsus concessum est.

IN III.º NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 10, 1 ad 5.)

In illo témpore; dixit Jesus Pharisæis: Amen, amen dico vobis; Qui non intrat per óstium in ovíle óvium, sed ascenditaliundè, ille fur est et latro. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 137. de Verb. Evang. Joann. §. 4. Alias Serm. 49, de Verb. Domini.)

Quis est qui intrat per jánuam? Qui intrat per Christum. Quis est iste? Qui imitátur Passiónem Christi, qui cognoscit humilitátem Christi: ut, cùm Deus factus sit homo pro nobis, cognóscat se homo non esse Deum, sed hóminem. Qui enim vult Deus vidéri, cùm sit homo, non imitátur illum, qui cùm Deus esset, homo factus est. Tibi autem non dícitur: Esto áliquid minus quàm es: sed cognosce quod es. Cognosce te infírmum, cognosce te hóminem, cognosce te peccatórem. Cognosce quia ille justíficat; cognosce quia maculósus es.

LECTIO VIII.

(§. 4 et 5.)

Qui ergo se exaltant, per álteram partem volunt ascéndere ad ovíle: qui autem se humíliant, per jánuam intrant ad ovíle. Ideo de illo dixit, (intrat;) de illo, (ascendit.) Qui ascendit, vidétis; qui alta petit, non intrat, sed cadit. Ille autem, qui se submittit, ut per jánuam intret, non cadit, sed pastor est. Sed tres persónas

dixit Dóminus, et debémus illas investigáre in Evangélio, pastóris, mercenárii, et furis. Cùm legerétur, puto quòd animadvertistis, designávit pastórem, designávit mercenárium, designávit furem. Pastórem dixit ánimam suam pónere pro óvibus, et intráre per jánuam. Furem dixit latrónem ascéndere per áliam partem

LECTIO IX.

Mercenarium dixit, lupum vel étiam furem si vídeat, fúgere; quia non est illi cura de óvibus: mercenárius est enim, non pastor. Ille intrat per jánuam, quia pastor est; ille ascendit per áliam partem, quia fur est: ille videns eos qui volunt tóllere oves, timet et fugit, quia mercenárius est, quia non est illi cura de óvibus mercenárius est enim. Si invenérimus tres istas persónas, invénit sánctitas vestra et quos diligátis, et quos tolerétis, et quos caveátis. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenárius, cavendus est latro.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Malach. Cap. 2.)

Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis: * et dedi ei timórem; et tímuit me, et à fácie nóminis mei pavébat.

Lex veritátis fuit in ore ejus, * et iníquitas non est invénta in lábiis ejus:

In pace, et in æquitáte ambulávit mecum, * et multos avertit ab iniquitáte.

Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus: * quia Angelus Dómini exercítuum est.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VI.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 10.)

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuaginta duos: et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quò erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 17, in Evang.)

Missis prædicatóribus quid Dóminus dicat, audiámus. Messis quidem multa; operárii autem pauci: rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem

suam. Ad messem multam operárii pauci sunt; quod sine gravi mœróre loqui non póssumus, quia etsi sunt qui bona áudiant, desunt tamen qui dicant : Ecce mundus Sacerdótibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenítur operátor : quia offícium quidem sacerdotále suscépimus, sed opus offícii non implémus. Sed pensáte, fratres caríssimi, pensáte quod dícitur : Rogáte Dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Vos pro nobis pétite ut digna in vobis operári valeámus, ne ab exhortatióne lingua tórpeat, ne postquam prædicatiónis locum suscépimus, apud justum júdicem tacitúrnitas nostra nos addícat.

LECTIO VIII.

Sæpe enim pro sua nequítia, prædicántium lingua restríngitur : sæpè verò ex subjectórum culpa ágitur, ut eis qui præsunt prædicatiónis sermo subtrahátur. Ex sua quippe nequítia prædicántium lingua restríngitur, sicut Psalmista ait : Peccatóri autem dixit Deus : Quare tu enarras justítias meas? Et rursùm ex vítio subjectórum vox prædicántium subtráhitur, sicut ad Ezechiélem Dóminus dicit : *Linguam tuam adhæréscere fáciam paláto tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans; quia domus exásperans est.* Ac si apertè dicat : Idcircò tibi prædicatiónis sermo tóllitur, quia dum me in suis áctibus plebs exásperat, non est digna cui exhortátio veritátis fiat. Ex cujus ergo vítio prædicatóri sermo subtrahátur, non fácilè cognóscitur; quia verò Pastóris tacitúrnitas, aliquandò sibi, semper autem subjectis, nóceat, certíssimè scitur.

LECTIO IX.

(N. 8.)

Sed quid nos? (quod tamen sine dolóre dícere non possum), quid nos, ô Pastóres, ágimus, qui et mercédem conséquimur, et tamen operárii nequáquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclésiæ in stipéndio quotidiáno percípimus; sed tamen pro æterna Ecclésia mínimè in prædicatióne laborámus. Pensémus cujus damnatiónis sit, sine labóre hic percípere mercédem labóris. Ecce in oblatióne fidélium vívimus; sed quid pro animábus fidélium laborámus? Illa in stipéndium nostrum súmimus, quæ pro redimendis peccátis suis fidéles obtulérunt; nec tamen contra peccáta éadem, vel oratiónis stúdio, vel prædicatiónis, ut dignum est, insudámus. Vix pro sua culpa quémpiam apertâ voce reprehéndimus. Et adhuc (quod grávius est) aliquan-

dò si persona in hoc mundo potens sit, ejus fórsitan erráta laudámus, ne si advertétur, per iracúndi am munus súbtrahat, quod impendébat.

PRO ABBAT., MONACHIS ET SOLITAR.

DIE FESTO.

IN I.º NOCTURNO.

Ps. 1. Beátus vir, 2; *Ps.* 6. Dómine, ne in furóre, 46; *Ps.* 16. Exaudi, Dómine, justítiam, *cum sua divis.* 131.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

(Cap. 3.)

FRATRES; Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta. Verúmtamen exístimo ómnia detrimentum esse, propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia detrimentum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo non habens meam justítiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide ad cognoscendum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus; configurátus morti ejus, si quo modo occurram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis, non quòd jam accéperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quómodò comprehendam, in quo et comprehensus sum à Christo Jesu.

LECTIO II.

FRATRES, ego me non árbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt prióra extendens meipsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiámus: et si quid áliter sápitis, et hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervénimus, ut idem sapiámus, et in eádem permaneámus regula.

LECTIO III.

IMITATORES mei estóte, fratres et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim

ámbulant, quod sæpè dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimícos crucis Christi, quorum finis intéritus, quorum Deus venter est, et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cœlis est.

IN II.° NOCTURNO

Ps. 22. Dóminus regit me, 99; *Ps.* 25. Júdica me, Dómine, 57; *Ps.* 26. Dóminus illuminátio, *cum sua divis.* 97.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 69, in Matth.)

In mentem véniat memória Sanctórum, qui cilício induuntur, erémum hábitant, qui nunquam oblátas púrpuras acceptárent; sed quemádmodùm rex, si quis pannósa indumenta páuperis induenda offerret, abominarétur, atque repélleret, non áliter illi régiam púrpuram contemnunt. Hæc illis institúta ciliciórum usu confirmáta sunt; undè régibus ipsis excellentióres sunt atque præstantióres. Nam si posses mentis eórum atque ánimi jánuas reseráre, et nudas cogitatiónes eórum, et omnem interiórem ornátum conspícere, fulgóre percussus in terram concíderes; nec illárum véstium splendórem, sed consciéntiæ lucem perferre possent.

LECTIO V.

Nihil ergo in tabernáculis eórum triste inveniétis; sed tanquam in cœlo tugúria fabricáti, sic longè à sǽculi perturbatiónibus hábitant, adversùs diábolum militantes, et cum lætítia eum expugnantes. Idcircò enim in solitúdine domicílium constituérunt, civitátibus et célebri habitatióne hóminum omnínò relictâ; quóniam qui bellum gerit, non potest domi sedére; sed necesse est, quasi súbitò migratúrus, præparáto in diem domicílio hábitet. Quis unquam in exércitu domûs fundamenta jecit? Quis ædes ædíficat, cùm inde pauló post discessúrus sit? Quis in castris agri júgera emit? Nullus certè. In pátria hæc, non in castris, facienda sunt.

LECTIO VI.

Hæc tibi à me simíliter dicúntur. Cùm in suprémam civitátem pervéneris, tunc ista fácito: imò verò nullo tibi labóre opus ibi est, cùm universa hæc à Rege tibi præparáta sint. Hic ígitur satis est nobis fossam fácere, vallum fígere: ædificiórum constructióne opus non est. Christiános adversùs diábolum pugnantes; captívos à mánibus ejus rapientes, óm-

nibus temporálibus neglectis, vívere oportet. Cur ítaque magníficas ædes struis, ô homo? An ut te ipsum magis víncias? Cur thesaurum óbruis? Ut diábolum adversùs ánimam tuam invítes? Cur mœnia condis? An ad cárceres tibi construendos? Quòd si hæc tibi difficília neglectu videantur, ad tabernácula Monachórum proficiscámur, ut reipsâ fácilè ista contemni posse perdiscas. Tugúria sibi constítuunt; quæ si relínquere oportébit, ita fácilè fáciunt, sicut mílites castra.

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 38. Dixi : Custódiam, *cum sua divis.*, 104; *Ps.* 60. Exaudi, Deus, deprecatiónem, 108; *Ps.* 83. Quàm dilecta, 98.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundum Matthæum.

(Cap. 19.)

In illo témpore; Respondens Petrus, dixit Jesu : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília sancti Paulíni Epíscopi.

(Epist. 24, ad Sulpit. Sever. aliàs 2, §. 5, 6.)

Bona quæ nobiscum non intuleramus in hunc mundum, nec poterámus efferre, quasi mutuáta reddídimus; nec ut cutem à carne distráximus, sed ut vestem à córpore deposúimus. Nunc opus est, ut quæ verè nostra sunt, dependámus Deo, hoc est, cor et ánimam, et córpora nostra exhibentes in hóstiam vivam, ut scriptum est, Dómino; nosque ipsos ædificantes ei in templum sanctum, in ipso lápide anguléri, qui nobis sanctificatiónis nostræ fórmulam in semetipso dedit et ait: Sancti estóte, quóniam ego sanctus sum. Quæ ígitur nobis grátia, si in alieno tantùm fidéles fuérimus, nisi de próprio serviámus, id est, de líbero voluntátis arbítrio, ex toto corde nostro, ex totis ánimæ nostræ, ut scriptum est, víribus diligentes Deum?

LECTIO VIII.

(§ 7, 8.)

Quamobrem temporálium quæ in hoc século habentur bonórum relíctio, sive distráctio: non decursus stádii, sed ingressus; nec ut meta, sed ut jánua est. Non enim athléta tùm vincit cùm exúitur; qui ídeò nudátur, ut incípiat dimicáre, cùm legítimè certáverit coronandus. Et natátor amnem interpósitum superatúrus, exúitur; nec tamen hoc tanto apparátu quòd se despoliáverit, transnatábit, nisi

totíus córporis nisu torréntis ímpetum scindat, et labórem natatiónis exháuriat. Vídeo et in Jacob hujus expeditiónis órdinem prolusisse; cùm illum lego, posteáquam torrente transmisso, præmissis curárum suárum onéribus, id est, facultátum et necessitúdinum impedimentis, solus in tabernáculi loco remánserat, Deo colluctátum.

LECTIO IX.

Itaque ad corripiendam vitæ viam, capiendumque Dei verbum, et prævalendum in regnum cœlórum, quod à diébus Joannis vim pátitur, et à diripiéntibus obtinétur, idónei esse non póssumus, nisi ómnia quæ vel amóre, vel curâ, si in itínere istíus séculi nobis adhæreant, impédiunt et retardant, ante óbitûs nostri vésperam præmittámus, et inde per totam hujus séculi noctem apprehéndere, et tenére Christum sollícitâ spiritálium óperum ac studiórum contentióne luctémur: nec divellámur à caritáte Christi, sicut Jacob ab ejus ampleru, nisi extorqueámus benedictiónem. Atque útinam ad salutáris insigne luctáminis, nervum fémoris nostri majestátis suæ timóre percútiat; quo obstupescente, infirmábitur virtus carnis, et spiritális grátia convalescet!

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Thren. 3.)

Pars mea Dóminus, dixit ánima mea; * proptéreà expectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, * ánimæ quærenti illum.

Bonum est præstolári cum siléntio * salutáre Dei.

Bonum est viro, * cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ.

Sedébit solitárius, et tacébit, * quia levávit super se.

AD VESPERAS.

Ps. 109. Dixit, 21; *Ps.* 120. Levávi, 44; *Ps.* 122. Ad te levávi, 83; *Ps.* 124. Qui confídunt, *ibid.* *Ps.* 141. Voce meâ, 64.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 19.)

In illo témpore; Dixit Jesus adolescenti: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesaurum in cœlo; et veni, séquere me. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 64, in Matth. post initium.)

Antequam Jesus adolescenti certámen et labórem osténderet, bravíum præ óculis pósuit, dicens: Si vis perfectus esse; ac tum infert: Vende ómnia quæ habes, et da paupéribus. Et mox íterùm præmia inculcat: Et habébis thesaurum in cœlo; et veni, séquere me. Magna enim retribútio est Dóminum sequi. Et habébis, inquit, thesaurum in cœlo. Nam quóniam magna illi cura de pecúniis erat, et quandóquidem ipsi cunctis denudári rebus consílium dabat, ut ostendat non amissúrum bona sua, sed tantò plura majoraque inventúrum, *quantò cœlum* terrâ præstabílius est, restitutiónis præstántiam thesaurum appellávit, et simul stabilitátem atque incorruptibilitátem præmii, ut fíeri póterat, per res humánas expressit. Non ergo satis est pecúniam spérnere; verùm étiam oportet páuperes nutríre, et ante ómnia Christum sequi, id est, ómnia præstáre quæ ab ipso jubentur; paratumque semper esse tam labóres subíre, quàm omne genus mortis sufferre. Si quis enim, inquit, veníre post me velit, ábneget semetipsum, tollatque crucem suam, et sequátur me.

LECTIO VIII.

Hæc cùm audisset adolescens, ábiit tristis. Quod non absque causa illi accidisse significávit Evangelista, dicens: Habébat enim multas possessiónes. Non eódem quippe modo detinentur qui pauca póssident, et qui magnâ rerum cópiâ submerguntur; tunc enim violéntior fit ipsórum cupíditas. Nec unquàm prædicáre cessábo quòd accéssio divitiárum majórem accendit flammam; et eos qui póssident, pauperióres reddit, quandóquidem eos in plúribus constítuit, cupiditátibus, efficitque ut indigéntiam magis

séntiant. Pérspice ígitur quanta vis sit talis affectûs. Cùm magnâ dives iste lætítiâ Christum adiisset, ita suffossus atque óbrutus fuit, ut nec respondére quidem potúerit, sed tristis ac mœstítiâ pressus decésserit. Quid ígitur Christus? Difficilè, inquit, in regnum cœlórum dívites intrábunt. Quibus verbis, non pecúniam, sed pecúniâ detentos carpit. Cur autem discípulis ádeò paupéribus, ut nihil prorsus habérent, hæc dicit? Sanè ut eos erudíret, ne pudóri paupertátem sibi dúcerent; et quasi respóndeat cur nihil illos habére permíserit.

LECTIO IX.

Discipulis perturbátis, Hoc apud hómines, inquit, impossíbile est; Deo autem ómnia possibília sunt. Et cujus rei grátiâ discípuli qui nímiùm ínopes erant, turbabantur? Quia propter perditiónem aliórum dolébant, quorum ómnium jam caritáte afficiebantur et quasi magistrórum ac patrum víscera suscéperant. Sic enim pro universo terrárum orbe hujus senténtiæ acrimóniâ expavérunt, ut non parvâ eis consolatióne opus fúerit. Hâc de causâ inspíciens eos, priùs dixit: Quæ apud hómines impossibília sunt. Quòd si dicta hæc ab ipso sunt, ut virtútis præ óculis magnitúdo ponátur, ex his quæ sequuntur perpendes. Nam cùm Petrus rogávit: Ecce nos, relictis ómnibus, secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Mercéde illíus priùs definítâ, subjunxit: Et quicumque relíquerit domos, vel agros, vel fratres, vel patrem, vel matrem, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Ita quod impossíbile erat, possíbile factum esse vidémus. Véniat tibi in mentem quális erat Paulus, qualis Petrus, qualis Joannes, qualis Elías: vel pótiùs ipsíus unigéniti Dei Fílii recordáre, qui non habébat ubi caput reclináret. Quòd si páululùm respéxeris, ac rursus tibi quasi in naufrágio procella incubúerit, ténebras ásferens; hanc Christi senténtiam tecum íllicò versa, repeteque sæpiùs quòd impossíbile sit ad cœlum dívitem perveníre. Ad hanc tu senténtiam, montes, terram, mária cónferas, ac ómnia, si ita vis, cogitatióne aurum fácito, ac te habére fíngito; nihil exæquári póterit damno quod inde patiéris. Hæc ígitur cogitantes, æmulémur ea quæ nostrâ digna sunt æmulatióne; non magníficas ædes, non ubérrima prædia, non cétera hujúsmodi habentes, sed eos qui magnam apud Deum fidúciam consecúti sunt; qui divítias ingentes in cœlo póssident, quorum

thesauri ibi reservantur, qui paupertátem longo divítiis intervallo præponentes, verè dívites sunt. Hujúsmodi sunt omnes propter Christum páuperes.

PRO JUSTIS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 1. Beátus vir, qui non abiit, 2; *Ps.* 2. Quare fremuérunt gentes, *ibid. Ps.* 5. Verba mea áuribus pércipe, Dómine, 73.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 4.)

JUSTUS si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senectus enim venerábilis est, non diuturna, neque annórum número computáta. Cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intellectum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvertit sensum sine malítia. Consummátus in brevi, explévit témpora multa : plácita enim erat Deo ánima illíus; propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

LECTIO II.

POPULI autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcórdiis tália; quóniam grátia Dei, et misericórdia est in sanctos ejus et respectus in electos illíus. Condemnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juventus celériùs consummáta longam vitam injusti. Vidébunt enim finem sapientis, et non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, et quare muníerit illum Dóminus. Vidébunt, et contemnent eum : illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidentes sine honóre et in contumélia, inter mórtuos in perpétuum; quóniam disrumpet illos inflátos sine voce, et commovébit illos à fundamentis : et usque ad suprémum desolabuntur.

LECTIO III.

(Cap. 4 et 5.)

ET erunt gementes, et me-

mória illórum períbit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi, et tradúcent illos ex adverso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia adversùs eos qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Videntes turbabuntur timóre horríbili, et mirabuntur in subitatióne insperátæ salútis, dicentes intra se, pœniténtiam agentes et præ angústia spíritûs gementes; Hi sunt quos habúimus aliquando in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre. Ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est!

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 14. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo, 48; *Ps.* 23. Dómini est terra et plenítudo ejus, 52; *Ps.* 25. Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea, 59.

LECTIO IV.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 10, cap. 16.)

Deridetur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírùm prudéntia usu à juvénibus scitur: hæc à púeris prétio díscitur: hanc qui sciunt, céteros despiciendo supérbiunt: hanc qui nésciunt, subjecti et tímidi in áliis mirantur; quia ab eis hæc éadem duplícitas iniquitátis nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adeptâ temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplíciùs rédere; cùm vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere; cùm virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

LECTIO V.

At contrà, sapiéntia justórum est nihil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre; bona gratis exhibére, mala libéntiùs toleráre quàm fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridetur; quia ab hujus mundi sapiéntibus puritatis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocenter ágitur ab eis procul dúbio stultum putátur; et quidquid in

ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur, mundo, quàm mentem verbis osténdere, nil cállidà machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, possessa relínquere, rapienti non resístere, percutienti maxillam álteram præbére?

LECTIO VI.

(Post pauca.)

Quæ nimírùm justi simplícitas bréviter sed sufficienter exprímitur, cùm prótinùs, subinfertur, Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum. Sæpè namque contingit, ut electus quisque qui ad æternam felicitátem dúcitur, contínuà hìc adversitáte deprimátur, non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem ostendat, nulla ei obsequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat. A cunctis verò despicábilis cérnitur, et hujus mundi glórià indignus æstimátur; sed tamen ante occulti Júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis coruscat. Honorári métuit, déspici non réfugit: corpus continéntià ásficit, solà in ánimo dilectióne pinguescit: mentem semper ad patiéntiam præparat, et erectus pro justítia de perceptis contuméliis exultat: afflictis ex corde compátitur; de bonórum prosperitátibus quasi de própriis lætátur: sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat; et inquisítus quódlibet éloqui duplíciter, ignórat.

IN III.º NOCTURNO.

Ps. 63. Exaudi, Deus, oratiónem meam, 128; *Ps.* 91. Bonum est confitéri Dómino, 32; *Ps.* 96. Dóminus regnávit; exultet terra, 53.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 12.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(In Evang. Homil. 13.)

Dominus dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos præcíngimus, cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat et bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur: Et lucernæ ardentes in mánibus vestris. Lucernas quippe ardentes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera próximis nos-

tris lucis exempla monstrámus. De quibus profectò opéribus Dóminus dicit : Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífìcent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Duo autem sunt quæ jubentur, et lumbos restríngere, et lucernas tenére; ut et mundítia sit castitátis in córpore, et lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquam potest; si aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinamenta non déserit; aut is qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exercet.

LECTIO VIII.

Nec cástitas ergo magna est sine bono ópere; nec opus bonum est áliquod sine castitáte. Sed et si utrumque ágitur, restat ut quisquis ille est, spe ad supernam pátriam tendat, et nequáquam se à vítiis pro mundi hujus honestáte contíneat. Qui etsi quædam bona aliquando pro honestáte ínchoat, in ejus tamen intentióne non debet permanére, nec per bona ópera præsentis mundi glóriam quærere; sed totam spem in redemptóris sui adventum constítuat. Unde et prótinùs súbditur : Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. Ad núptias quippe Dóminus ábiit; quia resurgens à mórtuis, ascendens in cœlum, supernam sibi Angelórum multitúdinem novus homo copulávit. Qui tunc revértitur, cùm nobis jam per judícium manifestátur.

LECTIO IX.

Bene autem de servis expectántibus súbditur : Ut, cùm vénerit et pulsáverit, confestim apériant ei. Venit Dóminus, cùm ad judícium próperat : pulsat verò, cùm jam per ægritúdinis moléstias mortem vicínam esse designat. Cui confestim aperímus, si hunc cum amóre suscípimus. Aperíre enim júdici pulsanti non vult, qui exíre de córpore trépidat; et vidére eum, quem contempsisse se méminit, júdicem formídat. Qui autem de sua spe et operatióne secúrus est, pulsanti confestim áperit, quia lætus júdicem sustinet; et cùm tempus propinquæ mortis advénerit, de glória retributiónis hilarescit.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Eccl. 2.)

Qui timétis Dóminum; crédite illi; * et non evacuábitur merces vestra.

Qui timétis Dóminum, speráte in illum; * et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia.

Qui timétis Dóminum, dilígite illum; * et illuminabuntur corda vestra.

Respícite, fílii, natiónes hóminum; * et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est.

Quis enim permansit in mandátis ejus, et derelictus est? * aut quis invocávit eum, et despexit illum?

Quóniam pius et miséricors est Deus, et remittet in die tribulatiónis, peccáta; * et protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte

AD VESPERAS.

Ps. 109. Dixit Dóminus Dómino meo, 21; *Ps.* 111. Beátus vir qui timet, 22; *Ps.* 112. Laudáte, púeri, Dóminum, 23; *Ps.* 124. Qui confídunt, 83; *Ps.* 130. Dómine, non est exaltátum, 84.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 12.)

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusillus grex; quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

(Serm. 22.)

Discipulis suis Christus regnum ponit in præmio; ut in certámine non cedant perículis, non timóri. Perícula déspicit qui tendit ad regnum: victóriæ cúpidus nescit timére. Nolíte timére, inquit, pusillus grex; quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Adjécit quid faciendum sit regnatúris. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Non potest dominári ómnibus, nisi is qui própriis non tenétur: dejectæ mentis est, qui familiáris rei méminit, cùm vocátur ad regnum.

LECTIO VIII.

(Post pauca.)

Facite vobis sácculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlo. Homo, tali mónitu Christus te ditáre vóluit, non nudáre: manére tibi tua vóluit, non períre: perpetuári, non vacuári sácculos imperávit: jussit te transferre, non pérdere. O homo, si hìc permansúrus es, quæ tua sunt hic repóne: si illuc itúrus es, hic quæ tua sunt cur derelinquis? Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Præmitte thesaurum tuum in cœlos, ne cœlestem ánimam demergas

in terram; aurum de profundo terræ, ánima ab excelsis cœli: mélius proinde est ad sedem ánimæ deferri aurum, quàm in sepulcro auri ánima demergátur Exútos ergo totis divitiárum curis et jam per ómnia expedítos, militáre sibi in século jubet, quos regnáre donávit in cœlo.

LECTIO IX.

(Serm. 23.)

Contristatus es, quia quod habes, in cœlis cógeris collocáre. Rogo, crede Deo tuo, qui servo credis; et magis Deo quàm hómini commenda. Sed si times, ne quid ille de præsúmat, ne quid dispergat píetas largitóris, signa fídei ánnulo sácculos tuos; ut tali custódia dórmias sic secúrus: quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. Non póterit tibi pecúniam tuam denegáre, qui tibi ómnia sua cóntulit, qui te regni sui honóre ditávit et glóriâ.

PRO VIRGINIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 8. Dómine Dóminus noster, 37; *Ps*. 18. Cœli enarrant glóriam Dei, *cum sua divisione*, 48; *Ps*. 23. Dómini est terra, et plenitúdo ejus, 52.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Coríntthios.

(Cap. 7.)

De virgínibus præceptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccasti: et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: tempus breve est. Réliquum est, ut et qui habent uxóres, tanquam non habentes sint: et qui flent, tanquam non flentes: et qui gaudent, tanquam non gaudentes: et qui

emunt, tanquam non possidentes : et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figúra hujus mundi.

LECTIO II.

Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodò pláceat uxóri; et divísus est. Et múlier innupta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico; non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultátem præbeat sine impedimento Dóminum obsecrandi.

LECTIO III.

Si quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quòd sit superadulta, et ita oportet fíeri : quod vult fáciat; non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, et hoc judicávit in corde suo serváre vírginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit; et qui non jungit, méliùs facit. Múlier alligáta est legi, quanto témpore vir ejus vivit. Quòd si dormíerit vir ejus, liberáta est : cui vult nubat, tantùm in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit, secundùm meum consílium. Puto autem quòd et ego Spíritum Dei hábeam.

IN II.o NOCTURNO.

Ps. 44. Eructávit cor meum, *cum sua divisione*, 137; *Ps*. 139. Deus noster refúgium et virtus, 139; *Ps*. 47. Magnus Dóminus, 139.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris, de disciplína et hábitu Vírginum.

(Paulò post initium.)

Nunc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quò sublímior glória est, major et cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornamentum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis et honóris opus íntegrum atque incorruptum, Dei imágo respondens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriósa fœcúnditas : quantòque plùs copiósa virgínitas número suo addit, tantò plùs gáudium matris augescit.

LECTIO V.

Ad has lóquimur, has adhortámur affectióne pótius quàm potestáte : non quòd extrémi et mínimi, et humilitátis nostræ admodùm cónscii, áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quòd ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus. Neque inánis hæc cáutio est, et vana formído, quæ ad salútis viam cónsulit, quæ Domínica et vitália præcepta custódit; ut quæ se Christo dicáverint, et à carnáli concupiscéntia recedentes, tam carne, quàm mente se Deo vóverint, consumment opus suum magno præmio destinátum : nec ornári jam, aut placére cuíquam, nisi Dómino suo, stúdeant; à quo et mercédem virginitátis expectant, dicente ipso : Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est.

LECTIO VI.

Denuo quoque per hanc Angeli vocem continéntiæ munus osténditur, virgínitas prædicátur. Hi sunt, inquit, qui cum muliéribus se non coinquinavérunt; vírgines enim permansérunt : hi sunt qui sequuntur Agnum quòcumque ierit. Neque enim tantùm másculis continéntiæ grátiam Dóminus repromittit, et féminas prætterit : sed quóniam fémina viri pórtio est, et ex eo sumpta atque formata; in Scriptúris ferè ómnibus ad protoplástum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, et in másculo simul significátur et fémina. Quòd si Christum continéntia séquitur, et regno Dei virgínitas destinátur; quid est illis cum terréno cultu et cum ornaméntis, quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offéndunt?

IN III.° NOCTURNO.

Ps. 95. Cantáte Dómino... cantáte, 39; *Ps.* 96. Dóminus regnávit, exúltet, 53; *Ps.* 97. Cantáte Dómino..... quia, 40.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

(Cap. 25.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipientes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(In Evang. Homil. 12.)

Omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent; quia plerumquè bona in se ópera cum electis et réprobi ostendunt : sed soli

ad sponsum cum óleo véniunt; quia de his quæ foris égerint, intùs glóriam requírunt. Unde per Psalmistam quoque de sancta Electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intùs. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt; quia dum veníre Judex ad extrémum judícium differt, electi et réprobi in mortis somno sopiuntur.

LECTIO VIII.

(Post pauca.)

De adventu sponsi clamor in média nocte fit; quia sic dies judícii surrépit, ut prævidéri non váleat quando venit. Unde scriptum est: Dies Dómini sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes Vírgines surgunt; quia et electi et réprobi à somno suæ mortis excitantur. Lámpades ornant; quia sua secum ópera númerant, pro quibus æternam recípere beatitúdinem expectant. Sed lámpades fatuárum Vírginum extinguuntur; quia eárum ópera quæ clara homínibus foris apparuérunt, in adventu Júdicis intùs obscurantur; et à Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

LECTIO IX.

Quid est autem quòd tunc à prudéntibus óleum petunt, nisi quòd in adventu Júdicis, cùm se intùs vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Sed prudentes Vírgines respondent, dicentes: Ne fortè non suffíciat nobis et vobis, ite pótiùs ad vendentes, et émite vobis. Sed dum irent émere, venit sponsus; quæ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias: et clausa est jánua. O! si sápere in cordis paláto possis, quid admiratiónis habet quod dícitur, Venit sponsus! quid dulcédinis, Intravérunt cum eo ad núptias! quid amaritúdinis, Et clausa est jánua! Tunc regni jánua lugéntibus claudétur, quæ modò quotídie pœniténtibus aperítur: erit namque et tunc pœniténtia; sed fructuósa jam non erit, quia nequáquam tunc véniam invenit, qui modò aptum véniæ tempus perdit.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Isai. 61.)

Gaudens gaudébo in Dómino, * et exultábit ánima mea in Deo meo.

Quia índuit me vestimentis salútis: * et indumento justítiæ circúmdedit me.

Quasi sponsum decorátum corónâ, * et quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum, * et sicut hortus semen suum gérminat;

Sic Dóminus Deus germinábit justítiam, * et laudem coram univérsis géntibus.

AD VESPERAS.

Psalmi de Officio parvo, B. M. V.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 19.)

In illo témpore; Venit Jesus in fines Judææ trans Jordánem: et secútæ sunt eum turbæ multæ, et curávit eos ibi. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(In Matth. 63.)

Christus, quia ad virginitátem hortári grave esse videbátur, à necessitáte legis de non solvendo matrimónio ad cupiditátem virginitátis tráhere studet. Deinde ut eam esse possíbilem ostendat, dixit : Sunt eunúchi qui ex ventre matris sic nati sunt, et sunt qui ab homínibus eunúchi facti sunt, et sunt qui seipsos eunúchos fecérunt propter regnum cœlórum. Quibus ómnibus, latenter ipsos ad eligendam virginitátem indúcit, dum eam virtútem esse possíbilem ástruit. Cùm autem *dicit*; Qui seipsos eunúchos fecérunt, non de abscissióne membrórum dicit; sed pravárum mentis cogitatiónum interemptiónem intélligit. Nam qui membrum incídit, maledictióni subjectus est, ut Paulus ait : Utinam et abscindantur qui vos conturbant!

LECTIO VIII.

(Post pauca.)

Continentia enim mentis facit ut motus naturáles nullum ásferant ánimæ detriméntum. Cùm igitur eódem modo díxerit de illis eunúchis, qui nisi étiam ipsi mente se contíneant, frustrà et inutíliter tales sunt, ac de illis qui ut regnum cœlórum consequantur, se cóntinent; subjunxit rursus, dicens : Qui potest cápere, cápiat. Scílicet, ut alacrióres effíciat eo ipso quòd grave esse opus osténdit. Noluitque eam rem intra necessitátem legis conclúdere, et id quidem per ineffábilem benignitátem suam. Idque dicendo, adhuc magis demonstrat rem illam esse possíbilem; ut eò ámpliùs ipsam

eligendi desidérium in voluntáte gignátur.

LECTIO IX.

Sed si electiónis istud est, ínquies, quómodò ánteà dixit : Non omnes cápiunt, sed quibus datum est : Scílicet ut discas id esse magnum certámen, non sorte datam necessitátem : illud enim voléntibus datum est. Quod ideò dixit, ut osténderet superióre nobis auxílio opus esse (quod quidem ómnibus illud peténtibus parátum est), si vólumus in hac luctatióne superióres evádere. Mos enim ipsi erat sic loqui, quandocumque res árdua proponebátur ; velut cùm dicébat : Vobis datum est nosse mystéria. Et hoc ita esse præsens locus manifestat. Nam si supernæ tantùm donatiónis istud est, ac nihil cónferunt qui virginitátem profitentur, supérfluè ipsis regnum cœlórum pollícitus est.

PRO SANCTIS MULIERIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 18. Cœli enarrant glóriam Dei, *cum sua divisione,* 48; *Ps.* 22. Dóminus regit me, 99; *Ps.* 27. Ad te, Dómine, clamábo, 6.

LECTIO I.

De Parábolis Salomónis.

(Cap. 31.)

Mulierem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta *est quasi* navis institóris, de longè portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domésticis suis, et cibária ancillis suis. Considerávit agrum, et emit eum : de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accinxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

LECTIO II.

Gustavit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non extinguétur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et digíti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas extendit ad páuperem. Non timébit dómui suæ

à frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi : byssus et púrpura indumentum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit; et cíngulum trádidit Chananæo.

LECTIO III.

Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domûs suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt; vir ejus et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias; tu supergressa es universas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo; múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

IN II.° NOCTURNO.

Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, 6; *Ps.* 38. Dixi : Custódiam, *cum sua divis.*, 104; *Ps.* 51. Quid gloriáris, 106.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. de vera. Relig. cap. 41.)

Vincamus cupiditátis, vel blandítias, vel moléstias, si viri sumus. Nobis dúcibus et ipsa erit mélior; nec jam cupíditas, sed temperántia nominábitur. Nam cùm ipsa ducit, nos autem séquimur, cupíditas illa et libído, nos verò teméritas et stultítia nuncupámur. Hoc et féminis præcipi potest, non maritáli, sed fraterno jure; quo jure in Christo, nec másculus, nec fémina sumus. Habent enim illæ viríle quiddam unde femíneas súbjugent voluptátes, unde Christo sérviant, et ímperent cupiditáti.

LECTIO V.

(Serm. 59, de Divers.)

Tres vitæ sunt in Ecclésia membrórum Christi : conjugális, viduális, virginális. Quia ipsæ vitæ, ipsæ pudicítiæ futúræ erant in sanctis membris Christi, omnes istæ vitæ tres attestátæ sunt Christum. Prima conjugális. Quando María virgo concipit, Elízabeth uxor Zacharíæ et ipsa concéperat. Hujus Júdicis præcónem ferébat in útero. Venit ad eam sancta María tanquam ad cognátam suam salutandam. Exultávit infans in útero Elízabeth. Ille exultávit, illa prophetávit. Habes attestantem pudicítiam conjugálem. Ubi viduális? In Anna Audistis quòd esset sancta Prophetissa, vidua octoginta

et quátuor annórum, quæ septem annis vixerat cum viro suo, frequentans templum Dómini, sérviens in oratiónibus nocte et die. Et ipsa vídua agnóvit Christum : vidit parvum, agnóvit magnum, et ipsa attestáta est. Habes et in ista vitam viduálem, in María virginálem.

LECTIO VI.

Eligat sibi quisque de istis tribus quam volúerit. Qui præter istas esse volúerit, in membris Christi esse non dispónit. Non dicant conjugátæ : Nos ad Christum non pertinémus : habuérunt marítos sanctæ féminæ. Non se extollant Vírgines. Quantò magnæ sunt, humílient se in ómnibus : ómnia exempla salútis propósita sunt ante óculos nostros. Nemo exórbitet : si pudicítiam conjugálem quæris, habes Susannam ; si viduálem, habes Annam ; si virginálem, habes Maríam.

IN III.o NOCTURNO.

Ps. 50. Exaudi, Deus, deprecatiónem, 108 ; *Ps.* 72. Quàm bonus, *cum sua divis.* 42 ; *Ps.* 100. Misericórdiam, 50.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 10.)

In illo témpore ; Intrávit Jesus in quoddam castellum: et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 1. Comment. in Luc. n. 9.)

Est nonnunquam in intentióne plusquàm in actióne, aut plus in actióne quàm in intentióne, ut in Evangélio cérnimus inter sanctam Maríam et Martham fuisse distántiam. Alia enim verbum audiébat : ália festinábat circa ministérium. Quæ stetit, et ait : Dómine, non est tibi curæ quòd derelíquit me soror mea solam ministráre ? Dic ergo illi ut me ádjuvet. Et dixit illi Dóminus : Martha, Martha, María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea. Ergo in áltera intentiónis stúdium, in áltera actiónis ministérium redundábat. Utríque tamen utriusque virtútis stúdium suppetébat ; síquidem et Martha, nisi audisset verbum, ministérium non subiisset : et María tantùm grátiæ de utriusque rétulit perfectióne virtútis, ut úngeret pedes Jesu, et térgeret capillis, et totam domum suæ fídei odóre compléret. Ideò ergo utriusque virtútis plenitúdo quærenda est.

LECTIO VIII.

(Lib. 7, num. 84.)

Religiosa mentis inténtio Dei verbo, si cum fide cóngruat, étiam ipsis opéribus antefertur, juxta quod et hic scriptum est : María óptimam sibi partem elégit, quæ non auferétur illi. Studeámus et nos habére quod nemo nobis possit auferre; non ut perfunctória, sed díligens audiéntia deferátur. Solent enim étiam ipsíus sémina verbi cœléstis auferri, si secùs viam sint semináta. Agat te, sicut Maríam, desidérium sapiéntiæ; hoc enim majus, hoc perfectiónis opus; nec ministérii curæ cognitiónem verbi cœléstis avertat; nec árguas eos, aut otiósos júdices quos vídeas studére sapiéntiæ. Hanc enim sibi cohabitantem Sálomon ille pacíficus adscívit

LECTIO IX.

(N. 86.)

Nec Martha tamen in bono ministério reprehénditur; sed María quòd melióren partem sibi elégerit, antefertur. Jesus enim multis abundat, et multa largítur: et ídeò sapiéntior quis judicátur, quia quod principále advertit, elégit. Dénique et Apóstoli óptimum non putavérunt relínquere Dei verbum, et ministráre mensis. Sed utrumque munus sapiéntiæ est : nam et St nus plenus sapiéntia ter electus est. Et ide ministrat, doctóri de et ministrantem docto tet et próvocet. Unum est corpus Ecclésiæ, e versa membra, et ál áltero eget. Non potes re óculus mánui : Ope non desídero; aut f caput pédibus, aut au se negáre esse de có Nam etsi ália princi tamen ália necessária piéntia in cápite, ac mánibus. Oculi enim s tis in cápite ejus; qu verè sapit, cujus ánim Christo est, et cujus in óculus erígitur ad su Et ídeò sapiéntis óc cápite ipsíus; stulti in calcáneo.

AD LAUDES.

CANTICUM.

(Prov. 31.)

Os suum apéruit sap (Múlier fortis,) * clementiæ in lingua ej

Considerávit sémit mús suæ, * et panem non comédit.

Surrexérunt fílii ej beatíssimam prædicav * vir ejus, et laudávit

Multæ fíliæ congre runt divítias : * tu s gressa es universas.

Fallax grátia, et va pulchritúdo : * múli mens Dóminum ipsa l bitur.

Date ei de fructu mánuum suárum ; * et laudent eam in portis ópera ejus.

AD VESPERAS.

Ps. 109. Dixit, Dóminus, 21 ; *Ps.* 112. Laudáte, púeri, Dóminum, 23 ; *Ps.* 122. Ad te levávi óculos meos, 83 ; *Ps.* 123. Nisi quia Dóminus, 43 ; *Ps.* 127. Beáti omnes, 142.

DIE OCTAVA.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 13.)

In illo témpore ; dixit Jesus: Cui símile æstimábo regnum Dei ? Símile est fermento quod acceptum múlier abscondit in farínæ sata tria. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Serm. 99.)

Cui símile, inquit, æstimabo regnum Dei ? Sic dicendo appendit ánimos auditórum, et attónitos reddit stupóre toto ; quid regno Dei, quid império divíno váleat comparári ? Atque illis mente permulta et magna pervagántibus cœli Dóminus, in hospítio páuperis, in manu panicoctrícis mulíeris regni sui ínvenit et format exemplum, dicendo : Símile est regnum cœlórum fermento quod acceptum múlier abscondit in farínæ mensúris tribus, donec fermentátum est totum. Antè regnum suum grano sinápis comparábat ; nunc illud éfficit símile fermento. Antè sinápis mémorat accépisse virum, granum mulíerem nunc ásserit accepisse fermentum. Dicit antè exíguum semen virum sevisse in magnæ arbóris incrementum, mulíerem modò fermentum breve ad profectum totíus massæ abscondisse manifestat. Verè sicut dixit Apóstolus Paulus, neque vir sine mulíere, neque múlier sine viro in Dómino. Ad unum regnum diversum sexum vária similitúdo perdúcit ; neque virum séparat à mulíere vocátio christiána, quos Deus conjungit, natúra sóciat, ac mirâ similitúdine símiles reddit hábitus, spécies única compónit.

LECTIO VIII.

Sed quare has similitúdines regni sui, Dóminus per virum prodúcit et féminam ? Quare majestátem tantam tam vílibus, tam dispáribus format exemplis ? Fratres, pretiósum latet in hac vilitáte mystérium, dicente Apóstolo : Mystérium hoc magnum est ; ego autem dico

in Christo, et in Ecclésia. Comparatiónibus istis humáni géneris negótium géritur principále; per virum et féminam mundi causa séculis tractáta finítur. Adam primus homo, múlier prima Eva, ab árbore sciéntiæ boni et mali ad Evangélici sinápis árborem deducúntur; ut óculos quos illecebrósa arbor aperiendo cláuserat, sinápis arbor grani sui collyrio et acritúdine ipsâ, dum claudit, aperíret; ut ora quæ venenósæ árboris gustus inféecerat, salutáris arbor flámmeo gustûs sui sapóre sanáret, et ista arbor ígneo pastu suo consciéntiam toto conversatiónis suæ ardóre succénderet, quam frígidam illa toto jam rigóre perfécerat. Neque hic jam vel alget, vel confúnditur núditas, ubi hóminem totum tegit vénia, fídei facit calére vestítus.

LECTIO IX.

Sed hoc per granum sinápis quod accéperat vir, confertur féminæ. Quid verò per fermentum quod accépit múlier, conferátur hómini, sollicítius perscrutémur. Símile est, inquit, regnum Dei fermento quod accéptum múlier abscondit in farínæ mensúris tribus. Múlier accépit à Deo fermentum fídei, quæ accéperat à diábolo perfídiæ fermentum: abscondit in mensúris tribus, hoc est in tribus hóminum tempóribus, quod est ab Adam usque ad Noë, à Noë usque ad Móysen, à Móyse usque ad Christum; ut múlier quæ corrúperat fermento mortis in Adam totam massam géneris humáni, fermento resurrectiónis totam carnis nostræ assam redintegráret in Christo; ut múlier quæ conféccerat panem gemitûs et sudóris, panem vitæ cóqueret et salútis, et esset ómnium vivéntium mater vera per Christum, quæ erat in Adam mater ómnium mortuórum.

PSALMI POENITENTIALES.

Dicuntur flexis genibus Feria quartâ Cinerum, et Feriâ quintâ in Cœna Domini, eo ritu qui notatur in Missali.

Psalmus 6. Dómine, ne in furóre tuo, 46.

Ps. 31. Beáti quorum, 66.

Ps. 37. Dómine, ne in furóre tuo, *cum sua divisione,* 124.

Ps. 50. Miserére meî, Deus, 145.

Ps. 101. Dómine, exaudi oratiónem, *cum suis divisionibus,* 118.

Ps. 129. De profundis clamávi, 84.

Ps. 142. Dómine, exaudi oratiónem..... áuribus, *cum sua divis.* 136.

Ant. Dómine, memor esto meî, et ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

LITANIÆ SANCTORUM.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, Miserére nobis.
Fili redemptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spiritus sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Sancte Jóachim, ora.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe (*Zeb.*), ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.

Sancte Matthía, ora pro nobis.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Fabiáne, ora.
Sancte Torpes, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Dionysi cum sóciis tuis, ora pro nobis.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gervási et Protási, oráte pro nobis.
Sancte Ansíli, ora.
Sancte Mitri, ora.
Sancte Victor, ora.
Sancte Sebastiáne, ora.
Sancte Maurici cum sóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Fereole, ora.
Sancte Donate, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Leonti, ora.

Sancte Tróphime, ora.
Sancte Remígi, ora.
Sancte Castor, ora.
Sancte Honoráte, ora.
Sancte Hilári, (*Arel.*) ora.
Sancte Máxime, ora.
Sancte Cæsári, ora.
Sancte Lamberte, (*Vins.*) ora pro nobis.
Sancte Cárole, ora.
Sancte Francisce Salési, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Caprási, ora.
Sancte Vincenti, (*Lirin.*) ora pro nobis.
Sancte Joannes Cassiáne, ora pro nobis.
Sancte Ægídi, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Sancte Ludovice, ora.
Sancte Elzeári, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléne, ora pro nobis.
Sancta Thecla, ora.
Sanctæ Perpétua et Felícitas, oráte pro nobis.
Sancta Ágatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.

Sancta Anastásia, ora pro nobis.
Sancta Máxima, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Sancta Rossolina, ora.
Sancta Delphína, ora.
Sancta Therésia, ora.
Sancta Clotildis, ora.
Sancta María Ægyptia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propítius esto, Parce nobis, Dómine.

DEPRECATIONES.

Propítius esto, Exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab subitánea et improvísa morte, libera
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab immundis cogitatiónibus, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.
A fúlgure et tempestáte, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera.

OBSECRATIONES.

Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per adventum tuum, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.
Per baptismum et sanctum jejúnium tuum, líbera.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram, tuam, líbera.
Per sanctam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per adventum Spíritûs sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.

PETITIONES.

Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te.
Ut remissiónem peccatórum nostrórum nobis dones, te.
Ut compunctiónem cordis, fontemque lacrymárum nobis dones, te.
Ut fidem, spem et caritátem nobis dones, te.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te.
Ut Domnum Apostólicum, et omnes gradus Ecclésiæ in sancta religióne conserváre dignéris, te.
Ut Antístitem nostrum, et omnes congregatiónes illi commissas, in tuo sancto obséquio conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Regem nostrum custodíre dignéris, te.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Régibus et Princípibus Christiánis pacem et ve-

ram concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut cuncto pópulo Christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, te.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te.

Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te.

Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te.

Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum, ab ætérna damnatióne erípias, te.

Ut fructus terræ dare et conserváre dignéris, te.

Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem ætérnam donare dignéris, te.

Ut nos exaudíre dignéris, te.

Fili Dei, te rogámus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére nobis.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, non secundùm peccáta nostra fácias nobis: ℟. Neque secundùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Orémus pro summo Pontífice nostro *N.* ℟. Notam fáciat fíliis hóminum glóriam magnificéntiæ regni tui. *Ps.* 144.

℣. Pro Antístite nostro *N.* ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum. *Ps.* 40.

℣. Pro universâ Ecclésiâ. ℟. Memor esto congregatiónis tuæ, quam possedísti ab inítio. *Ps.* 73.

℣. Pro Rege nostro *N.* ℟. Dómine, salvum fac Regem; et exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Pro cuncto Pópulo. ℟. Salvum fac Pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. *Ps.* 27.

℣. Pro benefactóribus nostris. ℟. Deus omnem grátiam abundáre fáciat in illis, et áugeat increménta frugum justítiæ illórum. 2. *Cor.* *c.* 9.

℣. Pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Benéfac, Dómine, bonis et rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Pro infírmis, afflíctis, captívis, et peregrínis. ℟. Líbera eos, Deus, ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, et vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

Ps. 69. Deus, in adjutórium, 100.

℣. Dómine, exaudi oratió-

nem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum Spíritu tuo.

ORATIONES. Orémus.

Deus, cui próprium est miseréri semper, et párcere: súscipe deprecatiónem nostram; ut nos, et omnes fámulos tuos quos delictórum caténa constringit, miserátio tuæ pietátis clementer absolvat.

Exaudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam clementer ostende; ut simul nos et à peccátis ómnibus éxuas, et à pœnis quas pro his merémur, erípias.

Deus, qui culpas delinquéntium districté feriendo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúsas: quæsumus ut qui pondus tuæ animadversiónis cognóvimus, pietátis tuæ grátiam sentiámus.

Deus ómnium fidélium Pastor et Rector, fámulum tuum *N.* quem Pastórem Ecclésiæ tuæ præesse voluisti, propítius réspice; da ei, quæsumus, verbo et exemplo, quibus præest profícere, ut ad vitam unà cum grege sibi crédito, pervéniat sempiternam.

Omnipotens, sempiterne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro *N.* et dírige eum secundùm tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, et totâ virtúte perfíciat.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster *N.* qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monstrá devitáre, hostes superáre, et ad te, qui via, véritas, et vita es, gratiósus váleat perveníre.

Deus, à quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla.

Ure igne sancti Spíritûs renes nostros, et cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

Actiones nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, et adjuvando proséquere; ut cuncta nostra

orátio et operátio à te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

FIDELIUM, Deus, ómnium cónditor et redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur.

OMNIPOTENS, sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniumque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænoscis: te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequantur; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ

ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Sancta María, Ora pro eo (*vel* ea).
Sancte Míchael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro eo (*vel* eâ.)
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórum, ora pro eo (*vel* ea).
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Jóseph, ora.
Sancte Jóachim, ora.
Omnes sancti Patriarchæ et prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora pro eo (*vel* ea).
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelistæ, oráte pro eo (*vel* eâ.)
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Mitri, ora.
Omnes sancti Martyres, oráte pro eo (*vel* ea).
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Leonti, ora

Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte pro eo (*vel* ea).
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Francisce, ora.
Sancte Caprási, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes sancti Mónachi et Erémitæ, orate.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléne, ora pro eo (*vel* ea).
Sancta Thecla, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Máxima, ora.
Sancta Rossulina, ora.
Omnes Sanctæ Vírgines, oráte pro eo (*vel* ea).
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro eo (*vel* ea).
Propítius esto, Parce ei, Dómine.
Propítius esto, Adjuva eum, (*vel* eam,) Dómine.
Propítius esto, Líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A mala morte, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
A pœnis inferni, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus.
Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Deinde, cùm in agone sui exitûs anxiatur anima, dicitur :

Proficiscere, ánima christiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipotentis, qui te creávit : In nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est : In nómine Spíritûs sancti, qui in te effúsus est. Egredienti de córpore áditus tibi páteat ad Sion montem, civitátem Dei viventis, Jerúsalem cœlestem, et multórum míllium Angelórum frequéntiam, et Ecclésiam primitivórum qui conscripti sunt in cœlis. Exurgat Deus, et dissipentur omnes potestátes tenebrárum; fúgiant cuncta spirituália nequitiæ in cœléstibus, et ovem pretióso Christi sánguine redemptam violáre non áudeant. Líberet te à cruciátu Christus, qui pro te crucifixus est. Líberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignátus est : ovem suam te bonus pastor agnoscat, atque in electórum suórum grege constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas : et præsens semper assistens manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem in sécula sæculórum. ℟. Amen.

Commendamus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* precamurque te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendisti, eam in pace suscípias, et in sinu Abrahæ per manus sanctórum Angelórum collocáre dignéris. Agnosce, Dómine Jesu, creatúram tuam, per te renátam ex aqua et Spíritu sancto, consecrátam signo crucis tuæ, nutrítam córpore et sánguine tuo, et in Ecclésiæ tuæ sinu verbo veritátis instructam. Ne péreat prétium quod pro ejus ætérna redemptióne persolvisti. Delicta juventútis ejus et ignorántias clementer indulge. Ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas suscitávit furor mali desidérii : sed memento miseratiónum tuárum, et glóriæ nóminis tui. Licèt enim peccáverit, tamen in te sperávit et crédidit, teque Deum et Salvatórem suum unà cum Patre et Spíritu sancto fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Ps. 3. Dómine, quid multiplicáti sunt, 3.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater. ℣. Et ne nos, *etc.* ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvum me fac, Deus; ℟. Quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. *Ps.* 68

℣. In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, ℟. In veritáte salútis tuæ. *Ps.* 68.

℣. Eripe me de luto, ut non infigar; ℟. Líberer ab iis qui odérunt me, et de profundis aquárum. *Ps.* 68.

℣. Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum : ℟. Neque úrgeat super me púteus os suum. *Ps.* 68.

℣. Exurge in adjutórium mihi : ℟. Dic ánimæ meæ; Salus tua ego sum. *Ps.* 34.

℣. Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundantur; ℟. Quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, et consolátus es me. *Ps.* 85.

COLLECTA. Orémus.

Unigenite et dilecte Fili Dei vivi, qui pro redemptióne mundi voluisti in præsépio nasci, à Judæis reprobári, à Juda proditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ad víctimam duci, flagellis et cólaphis cædi, sputis fœdári, spinis coronári, cruci affígi, cum scelerátis deputári, et inter acerbíssimos dolóres expiráre : quæsumus ut per has sanctíssimas pœnas tuas, et per crucem ac mortem tuam, liberáre dignéris * fámulum tuum *N.* [*vel* fámulam tuam *N.*] à pœnis inferni, et perdúcere quò perduxisti latrónem tecum crucifixum; Qui

cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus.

℞. Amen.

Posteà legitur de Passione Domini nostri Jesu Christi.

(Ex Matth. Marc. Luc.)

Assumit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joannem secum; et cœpit pavére, et tædére, contristári, et mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est ánima mea usque ad mortem; sustinéte hic, et vigiláte mecum. Et progressus pusillùm, pósitis génibus, orábat dicens: Pater, si vis, transfer cálicem istum à me: verúmtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et prócidit super terram in fáciem suam, orans; et factus in agónia, prolíxiùs orábat, ut, si fíeri posset, transíret ab eo hora. Et dixit: Abba, Pater, si possíbile est, tránseat à me calix iste: ómnia tibi possibília sunt; transfer cálicem hunc à me: sed non quod ego volo, sed quod tu. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram.

Ps. 69. Deus, in adjutórium meum, 100.

℣. Exaudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: ℞. Intende mihi, et exaudi me. *Ps.* 54.

℣. Cor meum conturbátum est in me: ℞. Et formído mortis cécidit super me. *Ps.* 54.

℣. Timor et tremor venérunt super me: ℞. Et contexérunt me ténebræ. *Ps.* 54.

℣. Ego autem in te sperávi, Dómine; ℞. Dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ. *Ps.* 30.

℣. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; ℞. Nequando dicat inimícus meus: Præválui adversùs eum. *Ps.* 12.

℣. Custódi ánimam meam, et érue me: ℞. Non erubescam; quóniam sperávi in te. *Ps.* 24.

Orémus.

Domine Jesu Christe, clementiam tuam humíliter implorámus, per illam ánimæ tuæ tristítiam usque ad mortem, et per agóniam quam, instante passióne, pertulisti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram: succurre * fámulo tuo, [*vel* fámulæ tuæ] *N.* in agóne mortis * constitúto [*vel* constitútæ]: tuére * eum [*vel* eam] in hac hora contra diabólicos incursus: líbera * eum [*vel* eam] à mortis imminentis terróribus; et de peccatórum suórum consciéntia formidantem, fac * eum [*vel* eam] de misericórdiæ tuæ immensa largitáte * secúrum [*vel* secúram]: Qui vivis et regnas Deus. ℞. Amen.

Ps. 141. Voce meâ ad Dóminum,... voce meâ ad Dóminum deprecátus sum, 64.

℣. Vide, Dómine, humilitátem meam et labórem meum : ℟. Et dimitte universa delicta mea. *Ps.* 24.

℣. Dómine Deus miserátor et misericors, pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax; ℟. Réspice in me, et miserére meî. *Ps.* 85.

℣. Ne derelinquas me, Dómine Deus meus : ℟. Ne discésseris à me. *Ps.* 37.

℣. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? ℟. Et volábo et requiescam. *Ps.* 54.

℣. Moriátur ánima mea morte Justórum : ℟. Et fiant novíssima mea horum símilia. *Num.* 23.

COLLECTA. Orémus.

Domine Jesu Christe, qui per os Prophétæ dixisti : In caritáte perpétua dilexi te; ídeò attraxi te, míserans : te súpplices deprecámur per istam caritátem quà dilexisti nos, ut omnes amaritúdines passiónum tuárum quas pro nobis peccatóribus sustinuisti in cruce, offerre et osténdere dignéris Deo Patri pro ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* in hac hora éxitûs ejus; quátenùs cum ipsa misericórdiùs agátur, quàm ejus peccáta meruérunt : Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus. Amen.

Finitis Psalmis et Collectis, (vel etiam antequam finiantur) si instet momentum exitûs animæ de corpore, legitur super moribundum quod sequitur de Passione Domini nostri Jesu Christi. (Ex Mat Luc. Joann.)

Tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam, et obscurátus est sol. Et circa horam nonam clamávit Jesus voce magnâ, dicens : Eli, Eli, lamma sabacthání? hoc est : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Póstea, sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit : Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Et contínuo currens unus ex eis, acceptam spóngiam implévit acéto, et impósuit arúndini; et dabat ei bíbere. Cùm ergo accepisset Jesus acétum, dixit : Consummátum est. Et íterum clamans voce magnâ, ait : Pater, in manus tuas commendo spíritum meum. Et hæc dicens, inclináto cápite, trádidit spíritum.

COLLECTA. Orémus.

Memor esto, piíssime Dómine Jesu, illíus horæ in qua de cruce pendens, clamasti voce magnâ : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? et íterùm : Pater, in manus tuas commendo spíritum meum; et hæc dicens expirasti. Per istam ergo

pretiosíssimam mortem quæ vita nostra fuit, obsecrámus cleméntiam tuam, ut non derelinquas in hac hora * fámulum tuum [*vel* fámulam tuam] cujus præter te nullus est auxiliátor álius; sed suscípere dignéris spíritum ejus, et introdúcere in regnum tuum ubi te cum Deo Patre et Spíritu sancto perpétuà caritáte díligat, et cum sanctis et electis in ætérnum cantet misericórdias tuas.

℟. Amen.

[*Finitâ præcedenti Collectâ, et egressâ animâ, statim dicitur* ℟. In te, Dómine, sperávi, *cum versibus et Collecta infrà.*]

Si autem adhuc anxiatur anima, recitantur sequentes Psalmi, vel eorum pars, proùt necesse erit.

Ps. 21. Deus, Deus meus, réspice in me, 119.

Ps. 34. Júdica, Dómine, nocentes me, 56.

Ps. 53. Deus, in nómine tuo, 110.

Ps. 56. Miserére meî, Deus..... quóniam in te confídit, 131.

Ps. 70. In te, Dómine, sperávi, 111.

Ps. 85. Inclína, Dómine, aurem tuam, 145.

Ps. 87. Dómine Deus salútis, 136.

Ps. 90. Qui hábitat in adjutório, 25.

Ps. 138. Dómine, probasti me, 121.

Egressâ autem animâ, dicitur : ℟. In te, Dómine, sperávi; non confundar in æternum : accélera ut éruas me : in manus tuas commendo spíritum meum : * Redemisti me, Dómine Deus veritátis : illustra fáciem tuam super * servum tuum [*vel* ancillam tuam]; * salvum [*vel* salvam] me fac in misericórdia tua. ℣. Dómine Jesu, súscipe spíritum meum : * Redemisti me. *Ps*. 30. *Act*. 7.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos, *etc*. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo [*vel* ancilla tua], Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps*. 142.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi : ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps*. 73.

℣. Dómine, exaudi, *etc*.

℣. Dóminus vobiscum, *etc*.

COLLECTA. Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N*. ut * defunctus [*vel* defuncta] século, tibi vivat : et quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commisit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis absterge; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Quælibet Hora sequentis Officii inchoatur absolutè.

In hoc Officio, in fine Psalmorum et Canticorum, loco Glória Patri, *dicitur versus;* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * et lux perpétua lúceat eis.

AD VESPERAS.

Ps. 114. Dilexi, 43.

Ant. 3. c. O Dómine, líbera ánimam meam.

Ps. 119. Ad Dóminum, cùm tribulárer, 63.

Ant. 2. D. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est!

Ps. 120. Levávi óculos, 44.

Ant. 8. d. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum et terram.

Ps. 129. De profundis, 84.

Ant. 8. G. Si iniquitátes observáveris, Dómine; Dómine, quis sustinébit?

Ps. 137. Confitebor tibi Dómine,.... quóniam, 102.

Ant. 2. D. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Continuò dicitur

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; et eum qui venit ad me, non ejíciam forás. *Joan.* 6.

Secretò, Pater. *Clarâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. In memória ætérna erunt justi; ℟. Ab auditióne malâ non timébunt. *Ps.* 111.

℣. A porta ínferi ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps* 88.

℣. Credo vidére bona Dómini ℟. In terra vivéntium. *Ps.* 26.

Ps. 145. Lauda, ánima mea, Dóminum, 114.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

In depositione Summi Pontificis.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui inter summos Sacerdótes, fámulum tuum *N.* ineffábili tuâ dispositióne connumerári voluisti: præsta, quæsumus, ut, qui unigéniti Fílii tui vices in terris gerébat, sanctórum tuórum Pontíficum consórtio perpétuo aggregétur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat

in unitáte Spíritus sancti Deus; per ómnia sécula seculórum. Amen.

In depositione DD. Episcopi.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui fámulum tuum *N*. Pontíficem nostrum ad ápicem sacerdótii evectum, de córpore mortis hujus edúcere voluisti, súscipe propítius preces nostras; et præsta ut ánima ejus tremendi óneris póndere liberáta, ad thronum glóriæ tuæ récipi, et tecum in eo sedére mereátur; Per.

In depositione alius Episcopi, seu Prælati vel Pastoris.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum *N*. * pontificáli [*seu* sacerdotáli] fecisti dignitáte vigére : præsta, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Dóminum.

In depositione plurium Pontificum.

COLLECTA. Orémus.

Propitiare, Dómine, fámulis tuis, quos Dóminus noster Jesus Christus in regendis pópulis suos pósuit vicários; ut cùm apparúerit Princeps Pastórum, immarcescíbilem glóriæ corónam percípere mereantur; Per Dóminum.

In depositione Sacerdotis.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui inter Ministros et dispensatóres Mysterióruin tuórum fámulum tuum *N*. ad sacrificandum tibi hóstiam laudis elegisti; te súpplices exorámus, ut eum à carnis vínculis absolútum, cum iis qui benè ministráverint, partem recípere, et in gáudium tuum fácias introíre; Per Dóminum.

In depositione plurium Sacerdotum.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui fámulis tuis onus ipsis angélicis spirítibus formidándum imposuisti; præsta quæsumus, ut qui gravi múnere functi sunt in terris, uberióri misericórdiæ tuæ benefício subleventur in cœlis; Per Dóminum.

In Deposit. non Sacerdotis. Pro Defuncto.

[*Pro Diacono, post litteram N. additur* Diáconi.]

COLLECTA. Orémus.

Inclina, Dómine, aurem tuam ad preces nostras quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui *N*. quam de hoc século migráre jussisti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et sanctórum tuórum júbeas esse consortem; Per.

In depositióne Defunctæ.

COLLECTA. Orémus.

Quæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* et eam à contágiis mortalitátis exútam, in æternæ salvatiónis partem restítue; Per.

Pro plúribus Defunctis diversi aut ejusdem sexûs.

COLLECTA. Orémus.

Deus, in cujus óculis non est innocens étiam laudábilis hóminum vita, si remótâ misericórdiâ discútias eam; ne exquíras peccáta animárum quas tibi commendámus; sed quam fiduciáliter sperámus ac pétimus, fac eas apud te indulgéntiam inveníre; Per Dóminum.

In die Tertio, Septimo et Trigesimo post mortem non Sacerdotis.

COLLECTA. Orémus.

Quæsumus, Dómine, ut ánimæ * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* cujus depositiónis diem * tértium (*vel* séptimum) (*vel* trigésimum) commemorámus, sanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium, et rorem ei misericórdiæ tuæ perennem infundas; Per Dóminum.

In Anniversariis.

COLLECTA. Orémus.

Deus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ * fámuli tui *N.* [sacerdótis, *vel* pontíficis] [*vel* fámulæ tuæ *N.*] cujus [*vel* animábus famulórum tuórum *N.* et *N.* quorum] [*vel* famulárum tuárum *N.* et *N.* quarum] anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

In Anniversariis primis dicitur tantum Collecta præcedens, in aliis adduntur duo sequentes.

Pro Fratribus, Sororibus, Propinquis et Benefactoribus.

COLLECTA. Orémus.

Deus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, sorores, propinquos, et benefactóres, qui ex hoc século transiérunt, beátâ Maríâ semper vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas. Per.

Pro omnibus Defunctis.

COLLECTA. Orémus.

Fidelium, Deus, ómnium cónditor et redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum; ut indulgéntiam

quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis et regnas cum Deo patre.

℟. Amen.

[*Privatim pro patre et matre. Si pro Patre,* vel *Matre tantum, dicitur* ánimæ..... ejusque.... eum *vel* eam.

COLLECTA. Orémus.

Deus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepisti: miserére clementer animábus patris mei ac matris meæ, eorumque peccáta dimitte; meque eos in ætern\u00e6 claritátis gáudio fac vidére; Per Dóminum.]

In Officiis Quotidianis pro uno Defuncto vel pluribus dicitur una ex Collectis præcedentibus cui semper adduntur Collect. Deus, véniæ *et* Fidélium, *ut suprà.*

Pro Fratribus, Sororibus, Propinquis et Benefactoribus.

Collecta, Deus, véniæ, *ut suprà.*

Pro Omnibus Defunctis.

Collecta, Fidélium, *ut suprà.*

Pro Defunctis In Cœmeterio Quiescentibus.

COLLECTA. Orémus.

Deus, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiescunt; fámulis et famulábus tuis, hìc et ubíque in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum: ut à cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine læteutur; Per eumdem Dóminum.

Pro Occisis in bello.

COLLECTA. Orémus.

Miserator Deus et miséricors, ad ánimas fidélium, qui pro Regno et Rege nostro, cecidérunt in bello, respícere festína: ut eis in æterna pace sit locus et habitátio perennis in Sion; Per Dóminum.

Si aliud Officium non sequatur, dicitur:

℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

AD VIGILIAS.

INVITATORIUM.

Deum cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

Ps. 94. Veníte, 150; *cujus in fine, loco* Glória Patri, *dicitur:* ℟équiem ætérnam dona eis, Dómine; et lux perpétua lúceat eis.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis, in depositione corporis et in anniversariis solemni ritu celebrandis; in iis verò quæ ritu simplici fiunt dicitur tantùm unum Nocturnum, secundùm feriam, id est, Feriâ II et V, dicitur primum; Feriâ III et VI, secundum; Feriâ IV et Sabbato, tertium.

Tempore Paschali Vigiliæ dicuntur semper cum uno Nocturno.

IN I.° NOCTURNO.

Ps. 5. Verba mea áuribus, 73.

Ant. 7. ç. Dómine, deduc me in justítia tua: propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

Ps. 6. Dómine, ne in furóre tuo, 46.

Ant. 8. G. Salvum me fac propter misericórdiam tuam; quóniam non est in morte, qui memor sit tuî.

Ps. 12. Usquequò Dómine, 65.

Ant. 3. c. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

Secretò, Pater. *Clarâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur sine Absolutione, sine Benedictionibus et sine Titulo.

LECTIO I.

(Job cap. 7.)

Parce mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimittis me ut glútiam salívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuisti me contrárium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccátum meum? et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; et si mane me quæsíeris, non subsistam.

In fine Lectionum nihil additur.

℟. Defecérunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut crémium aruérunt: * Dies mei sicut umbra declinavérunt. ℣. Quæ est vita nostra? Vapor est ad módicum parens. * Dies mei sicut umbra. *Ps.* 101. *Jac.* 4.

LECTIO II.

(Job cap. 10.)

Tædet ánimam meam vitæ meæ: dimittam adversùm me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre; índica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, et ópprimas me opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt? aut sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, et anni tui sicut humána sunt témpora; ut quæras iniquitátem meam, et peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo qui de

manu tua possit erúere. Manus tuæ fecerunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu; et sic repentè præcípitas me? Memento, quæso, quòd sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut cáseum me coagulasti? Pelle et cárnibus vestisti me; óssibus et nervis compegisti me. Vitam et misericórdiam tribuisti mihi, et visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Peccávi valde; sed * Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui, quia stultè egi nimis. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. * Precor, Dómine, ut transferas iniquitátem servi tui. 2. *Reg*. 24. *Luc*. 18.

LECTIO III.

(Job, cap. 10.)

QUARE de vulva eduxisti me? qui útinam consumptus essem, ne óculus me vidéret. Fuissem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevì? Dimitte ergo me, ut plangam páululùm dolórem meum, ántequàm vádam, et non revertar, ad terram tenebrósam et opertam mortis calígine, terram misériæ et tenebrárum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhábitat.

℟. Ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum salvatórem meum; consurgam, cùm sédero in ténebris: * Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei. ℣. Flagellat Dóminus omnem fílium quem récipit: * Iram Dómini portábo quóniam peccávi ei. *Mich*. 7. *Hebr*. 12.

IN II.º NOCTURNO.

Ps. 22. Dóminus regit me, 99.

Ant. 6. *F*. In médio umbræ mortis non timébo mala; quóniam tu mecum es, Dómine.

Ps. 24. Ad te, Dómine, levávi, 38.

Ant. 8. G. Delicta juventútis meæ et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Divisio Ps. 24. Quis est homo, 39.

Ant. 2. D. Vide humilitátem meam, et labórem meum; et dimitte universa delicta mea.

℣. Custódi ánimam meam, et érue me: ℟. Non erubescam, quóniam sperávi in te. *Ps*. 26.

Pater noster.

LECTIO IV.

(Job, cap. 13.)

QUANTAS hábeo iniquitátes et peccáta, scélera mea et delicta ostende mihi. Cur fáciem tuam abscondis, et arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento

rápitur, ostendis poténtiam tuam, et stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes sémitas meas, et vestígia pedum meórum considerasti; qui quasi putrédo consumendus sum, et quasi vestimentum quod coméditur à tínea.

℟. Ecce ánimam meam porto in mánibus meis: * Etiamsi occíderit me, in ipso sperábo, et ipse erit Salvátor meus. ℣. Sive vívimus, sive mórimur, Dómini sumus: * Etiamsi. *Job* 13. *Rom.* 14.

LECTIO V.

(Job cap. 14.)

Homo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur et contéritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, et addúcere eum tecum in judícium. Quis potest fácere mundum de immundo conceptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est; constituisti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiescat, donec optáta véniat sicut mercenárii dies ejus.

℟. Hi qui cum pie
mitiónem accepéru
mam habent repósi
tiam. * Sancta ergo
bris est cogitátio pr
tis exoráre, ut à
solvantur. ℣. Si qu
ædíficat super fu
tum, et opus ejus
detrimentum patié
autem salvus erit, s
quasi per ignem.
ergo. 2. *Mach.* 12
c. 3.

LECTIO VI.

(Job cap. 14.

Quis mihi hoc trí
in inferno prótegas
abscondas me, do
tránseat furor tuus,
stítuas mihi tempu
recordéris meî?
mórtuus homo rur
vat? Cunctis diébu
bus nunc mílito, exp
nec véniat immutá
Vocábis me, et ego
débo tibi: óperi r
tuárum pórriges dé
Tu quidem gressus
numerasti: sed parc
tis meis.

℟. Dómine omní
Deus Israel,* Audi n
tiónem mortuórum
noli meminisse iniq
patrum nostrórum;
mento manûs tuæ et
tui. ℣. Occísus es, D
et redemisti nos Dec
guine tuo : * Aud
Baruch 3. *Apoc.* 5.

IN III.° NOCTURNO

Ps. 26. Dóminus illuminátio mea, 97.

Ant. 1. a. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ut inhábitem in domo Dómini.

Divisio Ps. 26. Exaudi, Dómine, 97.

Ant. 4. E. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

Ps. 40. Beátus qui intélligit, 126.

Ant. 3. b. Numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat? Dómine, miserére meî, et resúscita me.

℣. Quare tristis es, ánima mea? et quare conturbas me? ℟. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi. *Ps*. 41.

Pater noster.

LECTIO VII.

(Job cap. 16 et 17.)

Breves anni tránseunt; et sémitam per quam non revertar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi súperest sepulcrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, et pone me juxta te; et cujusvis manus pugnet contra me.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum meum. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem; * Et in carne. *Job* 19. 1. *Cor*. 15.

LECTIO VIII.

(Job cap. 17).

Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt torquentes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem. Si sustinúero, infernus domus mea est; et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; Mater mea et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea? et patiéntiam meam quis consíderat?

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt; álii in vitam æternam, et álii in oppróbrium, ut vídeant semper. ℣. Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur; * Evigilábunt. *Dan*. 12. 1. *Cor*. 15.

LECTIO IX.

(Job cap. 19.)

Pelli meæ, consumptis cárnibus, adhæsit os meum; et derelicta sunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos amíci mei; quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi trí-

buat ut scribantur sermónes mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo férreo et plumbi láminâ, vel celte sculpantur in sílice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : et rursum circúmdabor pelle meâ, et in carne mea vidébo Deum meum; quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius. Repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me : non absórbeat me profundum, neque úrgeat super me púteus os suum : * Exaudi me, quóniam † Benigna est misericórdia tua : § Intende ánimæ meæ, et líbera eam ℣. Dómine Deus, rex sæculórum, solus pius es : * Exaudi me, quóniam † Benigna est misericórdia tua : § Intende ánimæ meæ, et líbera eam. ℣. Miserére meî, Dómine fili David : Dómine, ádjuva me : † Benigna est misericórdia tua : § Intende ánimæ meæ, et líbera eam. ℣. Propósuit te Deus propitiatiónem per fidem propter remissiónem delictórum : § Intende ánimæ meæ, et líbera eam. *Repet.* ℟. Líbera *usque ad* ℣. Dómine. *Ps.* 68. *Apoc.* 15. *Matt.* 15. *Rom.* 3.

[*Quando Vigiliæ celebrantur mane, prætermissis quæ sequuntur, continuò inchoantur Laudes.*]

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

COLLECTA. Orémus.

Absolve, quæsumus, Dómine, ánimam * fámuli tui *N.* [Sacerdótis *vel* Pontíficis] [*vel* fámulæ tuæ *N.*] [*vel* ánimas * famulórum tuórum *N.* et *N.*] [*vel* famulárum tuárum *N.* et *N.*] et ánimas ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória, inter sanctos et electos tuos resuscitáti respírent; Per eum qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et séculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

AD LAUDES.

In Ps. 50. Miserére meî, Deus, 145.

Ant. 1. *g.* Secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum dele iniquitátem meam.

Ps. 64. Te decet hymnus, 74.

Ant. 8. G. Exaudi, Deus, oratiónem meam : ad te omnis caro véniet.

Ps. 142. Dómine, exaudi

orationem meam... auribus. *cum sua divis.* 136.

Ant. 4. E. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me.

Ant. 2. D. Miserére.

CANTICUM.

(Baruch 3.)

Domine omnípotens, Deus Israel,* ánima in angústiis, et spíritus ánxius clamat ad te:

Audi, Dómine, et miserére, quia Deus es miséricors; * et miserére nostrî, quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempiternum; * et nos períbimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Israel, * audi nunc oratiónem mortuórum Israel,

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te, et non audiérunt vocem Dómini Dei sui: * et agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum; * sed memento manûs tuæ, et nóminis tui in témpore isto:

Quia tu es Dóminus Deus noster; * et laudábimus te, Dómine.

Réquiem.

Ant. Miserére nostrî, Dómine; quia peccávimus ante te.

Ps. 150. Laudáte Dóminum in sanctis ejus, 55.

Ant. 7. b. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. a. Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, etiamsi mórtuus fúerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum. *Joan.* 11.

Pater, *et cetera ut suprà in Vesperis,* CLX, *excepto quòd loco Psalmi* Lauda, *dicitur Ps.* De profundis, 84.

COMMENDATIONES.

PRO PLURIBUS DICUNTUR IN PLURALI.

Domine Deus, audi nunc oratiónem mortuórum. Israel, qui peccavérunt ante te. Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum, sed * Memento manûs tuæ et nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, et redemísti nos Deo in sánguine tuo: * Meménto. *Baruch* 3. *Apoc.* 5.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Clarâ voce*, Et ne nos indúcas, *etc.*

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui *N.* ut defunctus [*vel* fámulæ tuæ *N.* ut defuncta] século, tibi vivat: et quæ per fragilitátem mundánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis absterge; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

COLLECTA. Orémus.

Misericordiam tuam, Dómine sancte, Pater omnípotens, æterne Deus, pietátis affectu rogáre pro áliis cógimur, qui pro nostris rogáre peccátis nequáquam sufficimus; tamen de confísi gratúita pietá inólitâ benignitáte, cle tiam tuam depóscimu ánimam * fámuli tui [ve mulæ tuæ] ad te reverte cum pietáte suscípias: ei Angelus testament Míchael, et per manus tórum Angelórum tuo inter sanctos et electos in sínibus Abrahæ, Isa Jacob Patriarchárum rum eam collocáre dign quátenus liberáta de p cípibus tenebrárum e locis pœnárum, nullis primævæ nativitátis, ignorántiæ, aut própria quitátis seu fragilitátis fundátur erróribus; agnoscátur à Sanctis tu beatitúdinis réquie perf tur: atque cùm magni dícii dies advénerit, i sanctos et eléctos tuos suscitátus [*vel* resuscit glóriâ manifestæ contem tiónis tuæ perpétuò sa tur; Per Christum Dómi nostrum. ℟. Amen.

Ps. 113. In éxitu, 23, *in jus fine dicitur* Réquiem, 7. ç. Qui timent Dómin speravérunt in Dómi

adjútor eórum et protector eórum est. *Ps.* 113.

COLLECTA. Orémus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui humáno córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es : dum, te jubente, pulvis in púlverem revértitur ; tu imáginem tuam cum sanctis et electis tuis æternis sédibus præcípias sociári ; eamque ad te revertentem de Ægypti pártibus blandè leniterque suscípias, et Angelos tuos sanctos ei óbviam mittas, viamque illi justítiæ demonstra, et portas glóriæ tuæ áperi. Repelle, quæsumus, Dómine, ab ea, omnes príncipes tenebrárum, et agnosce depósitum fidéle quod tuum est. Súscipe, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo et vero ; quia non est álius Deus præter te, Dómine, et non est secundùm ópera tua. Lætífica, clementíssime Pater, ánimam ejus, et clarífica eam in multitúdine misericórdiæ tuæ. Ne memíneris, quæsumus, iniquitátum ejus antiquárum quas suscitávit furor mali desidérii : licet enim peccáverit, tamen te non négavit ; sed signo fídei insigníta, te qui ómnia, et eam inter ómnia fecisti, fidéliter adorávit ; Qui vivis et regnas Deus.

℟. Amen.

Psalm. Dilexi, 43 ; Crédidi, 101 ; Laudáte Dóminum, omnes gentes, 135 ; *Ant. sola* 8. G. Circumdedérunt me dolóres mortis, et perícula inferni invenérunt me. O Dómine, líbera ánimam meam. *Ps.* 114.

COLLECTA. Orémus.

DIRI vúlneris novitáte perculsi, et quodámmodò córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redemptor, flebílibus vócibus implorámus ; ut * cari nostri *N.* [*vel* caræ nostræ *N.*] ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, revertentem blandè leniterque suscípias ; et quas ex carnáli commoratióne contraxit máculas, tu Deus, inólitâ bonitáte clementer déleas, *Chorus*, Amen : Piè indúlgeas, *Chorus*, Amen : Oblivióni in perpétuum tradas, *Ch.* Amen : Atque hanc laudem tibi cum céteris redditúram, et ad corpus próprium quandóquè reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias ; Qui cum Deo Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

Pater, noster, *secreto.* ℣. Et ne nos, indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem æternam dona ei, Dómine ; ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Anima ejus in bonis demorétur, ℟. Et semen ejus hæréditet terram. *Ps.* 24.

℣. Non intres in judícium cum* servo tuo, [*vel* ancilla tua,] Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. A porta ínferi ℟. Erue, Dómine, ánimam ejus. *Ps.* 88.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

COLLECTA. Orémus.

Partem beátæ resurrectiónis obtíneat, quæsumus, Dómine, ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* vitamque ætérnam habére mereátur in cœlis, per te, Jesu Christe, Salvátor mundi.

Deus, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem: præsta, quæsumus, ut ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Requiescat in pace, ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ

ET GRATIARUM ACTIO

BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM.

Benedicite. ℟. Dóminus. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; et tu das illis escam in témpore opportúno : áperis tu manum tuam, et imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto : Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sécula seculórum. Amen.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò, Pater, *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Orémus.

Benedic, Dómine, dona ✝ tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Si fiat Lectio, Lector dicit : Jube, domne, benedícere.

Bened. Mensæ cœlestis partícipes fáciat nos Rex æternæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis, dicitur : Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO

POST PRANDIUM.

Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; et Sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144. Glória Patri, *etc.*

Qui benedixit mensam, dicit :

Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro universis benefíciis tuis; Qui vivis et regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

Deinde procedendo ad Ecclesiam, dicitur Ps. Miserére, 45. *Si verò non procedatur, dicitur Ps.* Laudáte Dóminum, omnes gentes, 135. *Qui Psalmus semper dicitur, quando absolvitur Gratiarum actio in loco refectionis.*

In fine Psalmi dicitur Glória Patri, *deinde* Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater, *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in ten-

tatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dispersit, dedit paupéribus; ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea : ℟. Audiant mansuéti, et lætentur. *Ps.* 33.

℣. Magnificáte Dóminum mecum; ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33.

℣. Sit nomen Dómini benedictum, ℟. Ex hoc nunc, et usque in séculum. *Ps.* 112.

Retribuere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen sanctum tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Submissiori voce, Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ

ANTE CŒNAM.

Benedicite. ℟. Dóminus. Edent páuperes, et saturabuntur; et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum : vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21.

Glória Patri, *etc.*

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò, Pater. *Clarâ voce*, Et ne nos, indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

CCLLECTA. Orémus.

Benedic Dómine, dona ✝ tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Ad Lect. Bened. Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO

POST CŒNAM.

Memoriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

Glória Patri, *etc.*

Qui benedixit mensam, dicit:

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis; Qui vivit et regnat in sécula seculórum.

℟. Amen.

Psalmi et reliqua, ut suprà, CLXXIII.

[In Jejuniis, *ad refectionem fit Benedictio mensæ et Gratiarum actio, ut notatum est pro Cœna.*]

¶ *Prædictus modus benedicendi mensam, et agendi gratias mutatur diebus infrà scriptis, ut sequitur.*

AD UTRAMQUE REFECTIONEM,

A NATALI DOMINI,

AD VIGILIAM EPIPHANIÆ.

BENEDICTIO.

Benedicite. ℟. Dóminus. Verbum caro factum est, allelúia; et habitávit in nobis, allelúia. *Joan.* 1.

Glória Patri.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison, *et reliqua, ut supra*, CLXXIII.

GRATIARUM ACTIO.

Notum fecit Dóminus, allelúia, salutáre suum, allelúia. *Ps.* 97.

Glória Patri, *et reliqua omnia ut suprà, excepto quod loco Ps.* Miserére, *dicitur Ps.* Cantáte Dómino... quia, 40.

IN EPIPH. DOMINI,

ET PER OCTAVAM.

BENEDICTIO.

Benedicite. ℟. Dóminus. Omnes de Saba vénient, allelúia, aurum et thus deferentes, allelúia. *Is.* 60.

Glória Patri.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison, *et reliqua, ut supra* CLXXIII.

GRATIARUM ACTIO.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent, allelúia; reges Arabum et Saba dona addúcent, allelúia. *Ps.* 71.

Glória Patri, *et reliqua omnia ut suprà, excepto quòd loco Ps.* Miserére, *dicitur Ps.* Deus, judícium, *cum sua divisione*, 49.

ITINERARIUM.

Viator, in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat sequentia, in singulari; si cum sociis, in plurali, ut sequitur.

In Canticum Benedictus, 155,

Ant. 5. C. In viam pacis et prosperitátis dírigat nos omnípotens et misericors Dóminus: et Angelus Ráphael comitétur nobiscum in via, ut cum pace, salúte et gáudio revertámur ad própria.

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò Pater noster, *etc. usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperantes in te. *Ps.* 85.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Ps.* 19.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis, ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Ps.* 88.

℣. Benedictus Dóminus die quotídie: ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. *Ps.* 67.

℣. Vias tuas, Dómine, demonstra nobis, ℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Ps.* 24.

℣. Utinam dirigantur viæ nostræ ℟. Ad custodiendas justificatiónes tuas! *Ps.* 118.

℣. Erunt prava in directa, ℟. Et áspera in vias planas. *Is.* 40.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te, ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te veniat.

COLLECTÆ. Orémus.

Deus, qui fílios Israel per maris médium sicco vestigio ire fecisti, quique Magis iter ad te, stellâ duce, pandisti: tribue nobis, quæsumus, iter prósperum tempusque tranquillum; ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demum ad æternæ salútis portum pervenire felíciter valeámus.

Deus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum eductum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodisti; quæsumus ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis, Dómine,

in procinctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frígore tegumentum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, prósperè perveniámus; et demum incólumes ad própria redeámus.

Adesto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris: et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes, tuo semper protegámur auxílio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; et beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

℣. Procedámus cum pace in nómine Dómini.

℟. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM.

AD LIBITUM SACERDOTIS.

Psalmi, Quàm dilecta, 98; Benedixisti, 53; Inclína, Dómine, *cum sua divis*. 145; Crédidi, 101; De profundis clamávi, 84.

Ant. Dómine, memor esto meî; et ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea. *Tob.* 3.

PRECES.

Kyrie, eléison; Christe, eléison; Kyrie, eléison.

Pater noster, *etc.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi : Dómine, miserére meî : ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convétere, Dómine; úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemadmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exultent. *Ps.* 131.

℣. Ab occultis meis munda me, Dómine; ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Ps.* 18.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

COLLECTA. Orémus.

Aures tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, et grátiâ sancti Spíritûs illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis dignè ministráre, teque æternâ caritáte dilígere mereámur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum : purífica per infusiónem sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri, ut te perfectè dilígere, et dignè laudáre mereámur.

Ure igne sancti Spíritûs renes nostros et cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

Mentes nostras, quæsumus Dómine, Paraclétus qui à te procédit illúminet, et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

Adsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs sancti; quæ et corda nostra

clementer expurget, et ab ómnibus tueátur adversis.

Deus, qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuisti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

Conscientias nostras, quæsumus, Dómine, visitando purífica ; ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus parátam sibi in nobis inveniat mansiónem ; Qui tecum vivit et regnat Deus. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO

POST MISSAM

Psalmi, Dóminus regit me, 99 ; Benedícam Dóminum, *cum sua divisione, ibid.* Bénedic, ánima mea, Dómino ; et ómnia, *cum sua divisione*, 80.

Ant. O quàm suávis est, Dómine, Spíritus tuus ! qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstíto, esurientes reples bonis, dívites dimittens inánes. *Sap.* 12 *et* 16. *Luc.* 1.

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *etc.*

℣. Et ne nos indúcas, *etc.*

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum misericors et miserátor Dóminus : ℟. Escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Quid est homo, quòd memor es ejus? ℟. Aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

℣. Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea ; ℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis ; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Nunc dimittis servum tuum, Dómine, secundùm verbum tuum, in pace ; ℟. Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. *Luc.* 2.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

ORATIONES. Orémus.

Visita, quæsumus, Dómine, famíliam tuam : et corda sacris dicáta mystériis pervígili tuére pietáte ; ut remédia salútis æternæ, quæ te miserante percípiunt, te protegente custódiant.

Quæsumus, Dómine Deus noster, ut quos divínâ tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis.

Cognoscimus, Dómine, tuæ circa nos clementíæ largitátem: et ídeò fiduciálius implorámus, ut quos páscere non désinis immérítos, et dignè tibi servíre perfícias, et donis uberióribus prosequáris.

Majestatem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ne períre patiáris quibus tanta remédia providísti; sed cum divíni frequentatióne mystérii crescat nostræ salútis effectus.

Actiones nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, et adjuvando proséquere; ut cuncta nostra orátio et operátio à te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

Adjuvet nos grátia tua, omnípotens Deus; ut qui offícium sacerdotále suscépimus, dignè ac devótè tibi in omni puritáte et consciéntia bona famulári valeámus: et si non póssumus in tanta innocéntia vitæ conversári ut debémus, concéde nobis tamen dignè flere mala quæ géssimus, et in spíritu humilitátis, ac bonæ voluntátis propósito tibi ferventiùs de cetero deservíre; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CANONES

PARS HYEMALIS.

De Adventûs Tempore. De reverentia sacris Scripturis debita, et de sacrorum Canonum auctoritate atque observantia.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Ex Synodo Trecensi.

(Ann. 1459.)

✠ In Adventu Dómini est multùm commendábile jejúnium illis quibus Dóminus déderit voluntátem páriter et facultátem, et máximè Cléricis.

Tu autem, Dómine miserére nostrî. ℟. Deo grátias. *Sic respondetur in fine cujuscumque Canonis.*

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Toletáno quarto.

(Ann. 633. Cap. 25.)

Sacerdotes légere sanctas Scriptúras admonentur, Paulo Apostolo dicente ad Timótheum: Attende lectióni, exhortatióni, doctrínæ; semper pérmane in his. Sciant ígitur Scriptúras sanctas, et canónes mediten*tur*; ut omne opus eórum in prædicatióne divína et doctrína consistat; atque ædíficent cunctos, tam fídei sciéntiâ, quàm óperum disciplínâ.

FERIA TERTIA.

Ex Epístola Leónis Papæ quarti ad Epíscopos Británniæ.

(Script. post ann. 847. tom. 8 Conc.)

Non cónvenit áliquem judicáre, et sanctórum Conciliórum Cánones relínquere, vel Decretálium régulas quæ habentur apud nos simul cum illis in Cánone; quia qui illórum sanctórum patrum Statúta quæ apud nos Cánones prætitulantur, non recéperit, ipse se convincit nec Cathólicam et Apostólicam fidem, nec sancta Christi Evangélia quátuor utíliter et efficáciter, et ad effectum suum retinére vel crédere.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Nicæno secundo.

(Ann. 787. C. 1.)

Canones ampléctimur, non

solùm qui ab almis Apóstolis et universálibus Synodis, sed qui étiam in áliis Concíliis quæ locáliter per Províncias et regiónes sunt collecta, in expositiónem hujúsmodi Decretórum promulgáti sunt, et qui à sanctis Pátribus nostris prolátifuisse probantur. Ab uno enim omnes eodemque Spíritu illumináti, quæ erant utília definiérunt.

FERIA QUINTA.

Ex Epistola Synódica Concílii Carpentoractensis ad Agroécium Epíscopum Antipolitánum.

(Circa ann. 527. aderat Lupercianus Foroj. Episcop. Labbæus, tom. 4, col. 1663.)

ÆQUUM est ut quod apud Antístites Deo médio statuitur, inviolabíliter Deo propítio (ab ipsis) conservétur, quæ enim observatiónis reveréntia à pósteris exhibébitur, si ab iis primum lex, à quibus constitúta est, violátur?

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(An. 1563. sess. 25, de Ref. C. 18.)

SCIANT universi sacratíssimos Cánones exactè ab ómnibus, et quoad fíeri póterit, indistinctè observandos. Quòd si urgens justaque rátio, et major quandóquè utílitas postuláverit, cum alíquibus dispensandum esse; id, causâ cógnitâ, ac summâ maturitáte, atque gratìs, à quibuscumque ad quos dispensátio pertinébit, erit præstandum: aliterque facta dispensátio, surreptítia censeátur.

SABBATO.

Ex Epístola Innocéntii Papæ primi ad Macédones Epíscopos.

(Script. ann. 416, n. 3.)

QUOD pro remédio ac necessitáte témporis statútum est, constat prímitùs non fuisse, ac fuisse régulas véteres quas ab Apóstolis, aut apostólicis viris tráditas Ecclésia Románа custódit, custodiendasque mandat his qui audíre eam consuevérunt. Ergo quod pro remédio necéssitas réperit, cessante necessitáte, debet útique cessáre; quia álius est ordo legítimus, ália usurpátio quam ad præsens tantùm fíeri tempus impellit.

De Tirocinio clericali, Tonsura et minoribus Ordinibus.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

Ex Concílio Sardicensi.

(Ann. 347. Can. 13.)

Conveniens non est, nec rátio, vel disciplína pátitur, ut témerè ordinétur, aut Epíscopus, aut Présbyter, aut Diáconus; máximè cùm et magister Géntium beátus Apóstolus, ne hoc fíeret, denuntiasse et prohibuisse videátur; sed hi quorum per longum tempus examináta sit vita, et mérita fúerint comprobáta.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Tridentíno.

(An. 1563. Sess. 23. de Reform. C. 4.)

Prima Tonsúrâ non initientur, qui Sacramentum Confirmatiónis non suscéperint, et fídei rudimenta edocti non fúerint, quique légere et scríbere nésciant, et de quibus probábilis conjectúra non sit eos, ut Deo fidélem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Anno 1563. Sess. 23, de Reform. C. 11.)

Minores Ordines iis qui saltem intélligunt linguam Latínam, per tempórum interstítia, nisi áliud Epíscopo expedíre magis vidébitur, conferántur; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætáte vitæ méritum et doctrína major accrescat: quod et bonórum morum exemplum, et assíduum in Ecclésia ministérium, atque major erga Presbyteros et superióres Ordines reveréntia, et crébrior quàm ánteà corpóris Christi Commúnio máximè comprobábunt.

FERIA QUARTA.

Ex Epístola Decretáli beáti Zózimi Papæ ad Hesychium Salonicensem Epíscopum.

(Ann. 418.)

Si offícia seculária príncipem locum, non vestíbulum actiónis ingressis, sed per plúrimos gradus examinátis tempóribus déferunt, quis ille tam árrogans ut in cœlesti milítia statim dux esse desíderet? Assuescat in Dómini castris: discat in Lectórum prímitùs gradu divíni rudimenta servítii: nec vile sit illi Exorcistam, Acólythum, Subdiáconum, Diáconum per órdinem fieri, nec hoc saltu, sed statútis majórum ordinatióne tempóribus.

FERIA QUINTA.

Ex statúto Josephi Zongo Ondedei Epíscopi Farojuliensis.

(Ann. 1662.)

Ne quis indignus admittátur ad Ordines Sacros, præcípimus ut nómina eórum qui Sacros Ordines suceptúri sunt públicè denuntientur die Domínica per ipsum Párochum intra Missárum solémnia, ut si qui nóverint íllos esse tanti honóris indignos révelent Párocho, et ipse Párochus teneátur de his quæ hoc modo cognóverit nos monére.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 23, de Ref. C. 13.)

Subdiaconi et Diáconi ordinentur habentes bonum testimónium et in minóribus Ordínibus jam probáti, ac lítteris et iis quæ ad Ordinem exercendum pértinent, instructi. Qui sperent, Deo auctóre, se continére posse, Ecclésiis quibus ascribentur, insérviant; sciantque máximè decére, si saltem diébus Domínicis et solémnibus, cùm altári ministráverint, sacram Communiónem percéperint.

SABBATO.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 23, de Ref. C. 14.)

Qui ad Presbyterátûs Ordinem assumuntur, bonum hábeant testimónium. Non modò in Diaconátu ad minus annum íntegrum, nisi ob Ecclésiæ utilitátem ac necessitátem áliud Epíscopo viderétur, ministráverint; sed étiam ad pópulum docendum ea quæ scire ómnibus necessárium est ad salútem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti exámine præcedente, idónei comprobentur; atque ita pietáte ac castis móribus conspícui, ut præclárum bonórum óperum exemplum et vitæ mónita ab eis possint expectári.

De Jejuniis Quatuor Temporum, et de Ordinationibus.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

Ex Concílio Aquensi.

(Ann. 1585. tit. de his quæ ad Sacram Ordinis pertinent.)

Dominico die qui quátuor jejúnii témpora quibus Ordinis Sacramentum ministrátur, próximè antécedit, Párochi non solum solemne illud jejúnium, hujus rei causâ institútum, denúntient, verum étiam pópu-

lum éxcitent (adoratiónem) ut Dei Sanctorumque ope imploráta, tum Epíscopus in eórum delectu quibus órdines cónferet, Spíritùs sancti lúmine illustrétur, tum illi quibus conferuntur in vitæ sanctitáte, doctrína, religionisque virtútibus profíciant.

FERIA SECUNDA.

Ex Epístola Decretáli beáti Gelásii Papæ ad Epíscopos Lucániæ.

(Script. ann. 494. Can. 11.)

Ordines Presbyterórum et Diaconórum, nisi certis tempóribus et diébus, exercére non áudeant Pontífices, id est, quarti mensis jejúnio, séptimi ac décimi; sed étiam quadragesimális inítii ac mediánâ Quadragésimæ, die Sábbati, jejúnio, circa vésperam nóverint celebrandos.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Mediolanensi quarto, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1576. Part. 2, tit. 7.)

Impedimento irretítus ne ad sacram Ordinatiónem contra sacrórum Cánonum et Conciliórum præscriptum accédat. Impedimento irretíti hi sunt; minóres natu, Sacramento Chrísmatis non confirmáti, rudes et ignári, criminósi, solémniter pœnitentes, neóphyti, ebrietáti et gulæ déditi, impudíci, lapsi post Ordinem susceptum, perjúri, usurárii manifesti, infámes, ratiocíniis obligáti, servi, córpore vitiáti, insígniter defórmes, illegítimè nati, peregríni et ignóti, bígami, irreguláres, suspensi, interdicti, excommunicáti, morbo cadúco laborantes, enérgúmeni, non examináti, et non probáti.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Mediolanensi tértio.

(Ann. 1573. Instruct. Prædic. in append.)

Concionator pópulum hortábitur, ut statis quátuor anni tempóribus, et privátim in suis quisque ædibus et públicè in Ecclésia oret, et ad Litánias convéniat, Deum precatúrus pro iis qui Ordinis Sacramento initiantur.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Aurelianensi quinto.

(Ann. 549. Can. 5.)

Nullus Cléricum seu Lectórem aliénum sine sui cessióne Pontíficis, vel promovére, vel sibi quibúslibet conditiónibus áudeat vindicáre. Quòd si quis hanc constitutiónem fúerit quâcumque præsumptióne trans-

gressus, memorátæ persónæ ab eo cui sunt débitæ, seu Ecclesiástico jure, seu próprio revocátæ, quia illícitâ vagatióne discésserant, ab honóre vel offício suscepto, juxta arbítrium sui Pontíficis, suspendantur.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Coloniensi.

(Ann. 1536. Part. 1, C. 21.)

Quo affectu ac propósito accédant Ordinandi videndum accuratèque investigandum est; num vidélicet Dei causâ tantùm, an pótius suæ commoditátis grátiâ ad Ordines capessendos aspírent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Quid enim est sua quærere, et non quæ Christi sunt, nisi cùm tales non Deum propter Deum quærunt, temporália cómmoda sequentes, lucris inhiantes, et honóres ab homínibus expetentes? Quisquis talis est, mercenárius est.

SABBATO.

Ex Epístola sancti Leónis Papæ, ad Dióscorum Epíscopum Alexandrínum.

(Ann. 445. C. 1.)

Quod à Pátribus nostris propensióre curâ nóvimus esse servátum, à vobis hoc vólumus custodíri; ut non passim diébus ómnibus Sacerdotális, vel Levítica Ordinátio celebrétur; sed post diem Sábbati, ejus noctis quæ in prima Sábbati lucescit, exórdia deligantur, in quibus his qui consecrandi sunt, jejúnis, et à jejunántibus sacra benedíctio conferátur.

De functionibus et officiis sex Ordinum inferiorum.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 23. de Sacr. Ord. Cap. 2.)

Non solùm de Sacerdótibus, sed et de Diáconis sacræ lítteræ apertam mentiónem fáciunt; et quæ máximè in illórum Ordinatióne attendenda sunt, gravíssimis verbis docent: et ab ipso Ecclésiæ inítio sequéntium Ordinum nómina, atque uniuscujusque eórum própria ministéria, Subdiáconi scílicet, Acólythi, Exorcistæ, Lectóris et Ostiárii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconátus ad majóres Ordines à Pátribus et à sacris Concíliis refertur, in quibus et de áliis inferióribus frequentíssimè légimus.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. L. 1. C. 7.)

Diaconorum Ordo à tribu Levi accépit exórdium : in Evangélio autem primórdia eórum et in Actibus Apostolórum leguntur. Exhinc jam decrevérunt Apostoli Apostolorumque successóres per omnes Ecclésias Diáconos ordinandos esse, qui sublimióri gradu céteris circa aram Christi quasi columnæ assísterent : ipsi quoque evangelízant.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. L. 1. C. 6.)

Subdiaconi in Esdra inveniuntur, appellanturque ibi Nathinæi, id est in humilitáte Dómino servientes : isti oblatiónes in templo Dómini suscípiunt à pópulis : isti obédiunt offíciis Levitárum : isti quoque vasa córporis et sánguinis Christi Diacónibus ad altária Dómini ófferunt. De quibus quidem plácuit Pátribus, ut quia sacra mystéria contrectant, casti et continentes sint ab uxóribus.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Mediolanensi quinto, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1579. Part. 3, c. 3.)

Qui Subdiaconátûs Ordini ascriptus est, cùm statim lege astrictus sit Canonicárum horárum Offícium recitandi; nemo ad eum Ordinem capessendum recipiátur, qui horárii illíus Offícii cujus lege devinctus tenétur, rectè ac ritè recitandi perítus non sit.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Mediolanensi quinto, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1579. part. 3, c. 3.)

Unusquisque porrò eórum qui sacris Ordínibus initiabuntur, diligenter admoneátur, quàm sanctum munus susceptúrus est. Verùm ejus sermónis vis in Subdiáconis potíssimùm monendis versétur, quò réctiùs, dum íntegrum est, deliberáre possint, an castitátem quæ perpétua illi Ordini est annexa, profitéri velint; ne in eo Ecclesiástico spiritualique múnere suscipiendo quidquam agnatórum vel hujúsmodi aliénâ voluntáte, sed suâ spontáneâ deliberatióne agant; nec verò in sacri ejusdem Ordinis susceptióne vitæ hujus cómmodum aut áliud quidquam ejúsmodi, sed Dei honórem sibi propósitum hábeant.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1562. Sess. 22, de Ref. Cap. 4.)

Qui cujuscumque Ordinis officia ac quælibet Benefícia in Ecclésiis óbtinent, aut impósterùm obtinébunt,

quibus vária ónera sunt annexa, vidélicet ut álii Missas, álii Evangélium, álii Epístolam dicant seu cantent : quocumque ii privilégio, exemptióne, prærogatívâ, géneris nobilitáte sint insigníti, teneantur, justo impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisítos; cogantque Epíscopi eos diébus statútis dictos Ordines per seipsos exercére, ac cétera ómnia offícia quæ debent in cultu divíno præstáre, sub pœnis arbítrio imponendis.

DIE XXIV DECEMBRIS.

IN VIGILIA

NATALIS DOMINI.

Ex Concílio Bituricensi.

(An. 1584. Cap. 1.)

† Servétur Vigília Nativitátis Dómini, ad imitandum pietátem pastórum, qui Christo Dómino eâ nocte adoratiónis munus impendérunt.

DIE XXV DECEMBRIS.

IN NATALI DOMINI.

Ex Concílio Lateranensi.

(Ann. 649. can. 2)

† Si quis secundùm sanctos Patres non confitétur própriè et secundùm veritátem, ipsum unum sanctæ, et consubstantiális, et venerandæ Trinitátis Deum Verbum è cœlo descendisse, et incarnátum ex Spíritu sancto et María semper Vírgine, hóminem factum, condemnátus sit.

DIE XXVI DECEMBRIS.

IN FÉSTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Ex Epístola sancti Cœlestíni Papæ.

(Ad Clerum populumque Constantinop. Lectâ in Concil. Ephes. ann. 631.)

† Patientiæ vobis atque constántiæ forma, Stéphanus primus Christi testis existat. Plebs in hunc prædicantem strídùit perfidórum : nec tamen idóneus Christi comes tácuit quod vidébat. Exclamávit inter furentes, inter Religiónis inimícos, vidére se apertos cœlos, et fílium hóminis, propter quem tália paterétur, stantem ad déxteram Dei.

De solemni Presbyterorum officio, et partibus muneris eorum ordinarii, ac operis.

DIE XXVII DECEMBRIS.

Ex Concílio Aquisgranensi secundo.

(Ann. 836. De moribus et doctr. Can. 5.)

Presbyterorum qui præsunt Ecclésiæ Christi, et in confectióne divíni córporis et sánguinis consortes cum Epíscopis sunt, ministérium esse vidétur, ut in doctrína præsint pópulis et in offício prædicandi, nec in áliquo désides inventi appáreant, ut item de ómnibus hóminibus qui ad eórum Ecclésiam pértinent, per ómnia curam gerant; scientes se pro certo redditúros ratiónem pro ipsis in die judícii, quia cooperatóres óneris nostri esse procul dúbio noscuntur.

DIE XXVIII DECEMBRIS.

Ex decrétis Præsulum Ecclésiæ Gallicánæ Melodúni congregatórum.

(Ann. 1579. Tit. de Sacramento Ordinis.)

Duobus constat totum Presbyterórum ministérium, quórum álterum est ut in commissum sibi pópulum Deum réddere propítium nitantur piis précibus ac sacris sacrifíciis; álterum, ut sint religiónis magistri, meditantes in lege Dómini die ac nocte.

DIE XXIX DECEMBRIS.

Ex Statútis Synodálibus Petri Camelíni Forojuliensis Epíscopi

(Ann. 1646. cap. 1.)

Cum Presbyteris dictum sit à Christo : Vos estis sal terræ : vos estis lux mundi; utrumque præstáre debent tum doctrína, tum sanctæ conversatiónis exemplo, ita ut pópulum verbis illúminent, et ædíficent opéribus. Doctrína comparátur lectióne assíduâ sacræ Scriptúræ, decretórum Concílii Tridentíni, Catechismi Románi et optimórum Theologórum : sancta conversátio óritur ex integritáte morum et ex íntimo pietátis affectu quem Sacerdos habére debet, ut Christi bonus odor sit in omni loco.

DIE XXX DECEMBRIS.

Ex Concílio Parisiensi sexto.

(Ann. 829. Lib. 1, cap. 4.)

Sacerdotes Christi quos útique constat janitóres cœ-

lestis aulæ exístere, primùm ipsi átria supernæ civitátis subíre, deinde auditóribus suis dictis et exemplis ea stúdeant aperíre; ne, quod absit, áudiant à Dómino : Habentes clavem sciéntiæ, vos ipsi non intrátis, et álios intráre non sínitis. *Luc.* 11. 52.

DIE XXXI DECEMBRIS.

Ex concílio Parisiensi sexto.

(Ann. 829. l. 1. c. 3.)

QUANDO vita Sacerdótum cum doctrína non concordat, et auditóribus infirmis scándalum, et animárum provenire perículum non est dúbium. Proinde summópere cavendum Sacerdótibus ne offendículum fiant his quibus præsunt : tunc enim offendículum fiunt illis, quando quod verbis prædicant, móribus impugnant.

DIE I JANUARII.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

Ex Concílio Ephesíno.

(Ann. 431. part. 1, cap. 5.)

† CUM divína Scriptúra multos per unius obeditiónem justificátos ásserit, non símplicem áliquem, nostræque conditiónis hóminem ad hoc assumptum cogitáre debémus : sed ipsummet Unigénitum, hóminem factum, qui obediéntiam Patri pro ómnibus præstitit.

DIE II JANUARII.

Ex Capituláribus Theodulphi, Aurelianensis Epíscopi.

(Ann. 797. C. 2.)

OPORTET (Sacerdótes) et assiduitátem habére legendi, et instántiam orandi; quia vita viri justi lectióne instrúitur ét ornátur, et assiduitáte lectiónis munítur homo à peccáto, juxta illum qui dicébat : In corde meo abscondi elóquia tua, ut non peccem tibi. Hæc sunt enim arma, léctio vidélicet et orátio, quibus diábolus expugnátur : hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitúdo acquíritur, vítia comprimuntur, virtútes nutriuntur.

DIE III JANUARII.

Ex Capituláribus Theodulphi, Aurelianensis Epíscopi.

(Ann. 797. C. 3.)

SI quando à lectióne cessátur, debet operátio súbsequi; quia otiósitas inimíca est ánimæ : et antíquus hostis, quem à lectióne sive ab oratióne vacantem invénerit, fácile ad vítia rapit. Per usum namque lectiónis discétis quáliter et vos vivátis, et álios doceátis. Per usum oratiónis, et vobis et his quibus in caritáte conjuncti estis, prodesse valébitis. Per operatiónem et córporis maceratiónem, et vítiis ali-

menta negábitis, et vestris necessitátibus subveniétis, et habébitis quò necessitátem patiéntibus porrigátis.

DIE IV JANUARII.

Ex sancto Ambrósio.

(L. I. de Off. c. 20.)

Cur non illa témpora, quibus ab Ecclésia vacas, lectióni impendas. Cur non Christum revísas, Christum alloquáris, Christum áudias? Illum allóquimur, cùm orámus; illum audímus, cùm divína légimus orácula. Quid nobis cum aliénis dómibus? Illi pótiùs ad nos convéniant, qui nos requírunt. Quid nobis cum fábulis? Ministérium altáribus Christi, non obséquium homínibus deferendum recépimus.

DIE V JANUARII.

Ex Concílio Mediolanensi quarto, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1579. Part. 3.)

Illud unusquisque sæpè répetat, se non ad inértiam atque ignáviam, sed ad spirituális atque Ecclesiásticæ milítiæ labóres vocátum esse. Sciat prætéreà id in offício suo pósitum esse, ut cùm vel in Offíciis divínis obeundis, vel in frequentandis Ecclésiis, quod debet, tempus consúmpserit; si quid sibi réliquum est, id omne, non in rerum seculárium collóquiis profanisque actiónibus, sed in divinárum litterárum stúdiis tradúcat.

DIE VI JANUARII.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Ex Concílio Aurelianensi quarto.

(Ann. 541, Can. 1.)

✝ Placuit, Deo propítio, ut sanctum Pascha ab ómnibus sacerdótibus uno témpore celebrétur quæ festívitas annis síngulis Epiphaniórum die in Ecclésia pópulis denuntiétur.

De hierarchicis Presbyterorum functionibus Episcoporum auctoritati specialiter subordinatis.

DIE VII JANUARII.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 23. Cap. 4 de Ord.)

Quoniam in Sacramento Ordinis sicut et in Baptismo et Confirmatióne caracter imprímitur, qui nec deléri nec auferri potest; méritò sancta Synodus damnat eórum senténtiam, qui ásserunt novi Testamenti Sacer-

dótes temporáriam tantúmmodò potestátem habére; et semel ritè ordinátos, íterùm láicos fíeri posse, si verbi Dei ministérium non exérceant.

DIE VIII JANUARII.

Ex concílio Hispalensi secundo.

(Anno 619. Canone 7. Præerat S. Isidorus Hispal.)

QUAMVIS cum Epíscopis plúrima Presbyteris mysteriórum commúnis sit dispensátio; quædam tamen auctorítáte véteris legis, quædam novellis et ecclesiásticis régulis sibi prohíbita nóverint. Hæc illícita Presbyteris, quia Pontificátûs ápicem non habent, quem solis debéri Epíscopis auctoritáte Cánonum præcípitur.

DIE IX JANUARII.

Ex Concílio Tridentíno

(An. 1563. Sess. 23, c. 4 de Ord.)

SACROSANCTA Synodus declárat, præter céteros Ecclesiásticos gradus, Epíscopos qui in Apostolórum locum successérunt, ad hierárchicum órdinem præcípuè pertinére, et pósitos, sicut Apóstolus ait, à Spíritu sancto régere Ecclésiam Dei; eosque Presbyteris superióres esse, ac Sacramentum Confirmatiónis conferre, ministros Ecclésiæ ordináre, atque ália pléraque perágere ipsos posse, quarum functiónum potestátem réliqui inferióris órdinis nullam habent.

DIE X JANUARII.

Ex Diálogo sancti Hierónymi Presbyteri adversùs Luciferiános.

(Script. ann. 384.)

ECCLESIÆ salus in summi Sacerdótis dignitáte pendet: cui si non exsors quædam et ab homínibus éminens detur potestas, tot in Ecclésiis efficientur schísmata quot Sacerdótes. Inde venit ut sine chrísmate Epíscopi, neque Présbyter, neque Diáconus jus hábeant baptizandi; quod frequenter, si tamen necéssitas cogit, scimus étiam licére láicis.

DIE XI JANUARII.

Ex Concílio Tridentíno.

(An. 1563. Sess. 23, de Ref. C. 15.)

QUAMVIS Presbyteri in sua ordinatióne à peccátis absolvendi potestátem accípiant; decernit tamen sancta Synodus nullum étiam regulárem posse confessiónes seculárium, étiam Sacerdótum, audíre, nec ad id idóneum reputári, nisi aut Parochiále Benefícium, aut ab Epíscopis per exámen, si illis vidébitur esse necessárium, aut áliàs idóneus judicétur, et approbatiónem

quæ gratis detur, obtíneat, privilégiis et consuetúdine quâcumque, étiam immemorábili, non obstántibus.

DIE XII JANUARII.

Ex Concílio Burdigalensi.

(Ann. 1582. Tit. 20.)

Nos Evangélicæ et Apostólicæ régulæ innitentes, statúimus atque præcípimus ne quis, sive sit seculáris, sive reguláris, públicè ad pópulum verba fácere de Religióne áudeat, nisi ab Epíscopo facultátem et mandátum id speciátim munus obeundi habúerit.

DIE XIII JANUARII.

OCTAVA EPIPHANIÆ ET BAPTISMUS CHRISTI.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1547. Sess. 7. Can. 1. 7. et 12.)

✝ Si quis díxerit Baptismum Joannis eamdem vim habuisse cum Baptismo Christi; baptizátos per Baptismum ipsum, solíus tantùm fídei debitóres, non autem universæ legis Christi servandæ; et néminem esse baptizandum, nisi eâ ætáte quâ Christus baptizátus est, vel in ipso mortis artículo, anáthema sit.

De virtutibus Clero necessariis, ac primùm de obedientia erga Superiores præscripta, et unitate in ministerio servanda et insinuanda.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM, QUÆ EST INTRA OCTAVAM.

[*Ab hac die Canones præcedentes qui non lecti sunt deseruntur, et sumuntur sequentes.*]

Ex Concílio Aquensi.

(Ann. 1585. tit. de vita et honest. Cleric.)

Nihil est quod ádeò persónas Ecclesiásticas commendet et Ecclésiam ædíficet quàm sanctæ et honestæ vitæ exemplum, in verbo, in conversatióne, in castitáte. Illórum ítaque conversátio sit irreprehensíbilis ac prælúceat súbditis, ad benè beátèque vivendum, ut vídentes eórum ópera bona non solùm ea libenter imitentur, sed glorífícent patrem qui in Cœlis est.

FERIA SECUNDA.

Ex Epístola sancti Hierónymi ad Nepotiánum.

(Scripta ann. 394. num. 7.)

Esto subjectus Pontífici

uniusque ministérii conservi.

SABBATO.

Ex Concílio Cloveshoviensi secundo

(Ann. 747. can. 2.)

Licet (viri Ecclesiástici) sédibus sint divísi per diversa loca, tamen méntibus conjuncti in uno spíritu, Deo in fide et spe et caritáte desérviant, orantes diligenter pro ínvicem, ut sui certáminis cursum fidéliter unusquisque consummáre possit.

De spiritu paupertatis et modestia ecclesiastica in possessione, usu, vel acquisitione rerum temporalium.

DOMINICA TERTIA

POST EPIPHANIAM

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

(Ann. 1576. part. 3, tit. Monitiones.)

Paupertatem dilexit et dócuit cœlestis magister Christus, qui nascens in præsépio pónitur, et nudus in cruce móritur. Scitóte paupertáti sócias adjungi sobriétatem, abstinéntiam et réliquas virtútes quibus prælucére oportet Ministros Dei.

FERIA SECUNDA.

Ex libro secundo sancti Isidóri Hispalensis Epíscopi, de offíciis Ecclesiásticis.

(Circa annum 630. Cap. 1.)

Clericos vocári áiunt (Doctóres nostri) eò quòd in sortem hæreditátis Dómini dentur, vel pro eo quòd ipse Dóminus sors illórum est. Unde oportet ut qui Deum hæreditáte póssident, absque ullo impédimento séculi, Deo servíre stúdeant, et páuperes spíritu esse contendant, ut cóngruè illud Psalmistæ dícere possint: Dóminus pars hæreditátis meæ.

FERIA TERTIA.

Ex sancto Isidóro Hispalensi

(Apud Æneam Par. Ep. Lib. adversùs Græcos, c. 185.)

Est in Cléricis tonsúra signum quoddam quod in córpore figurátur, sed in ánimo ágitur; scílicet, ut hoc signo vítia in religióne resecentur, et crimínibus carnis nostræ quasi crínibus exuámur.

FERIA QUARTA.

Ex Libro sancti Ambrósii de Offíciis Ministrórum.

(Lib. 1, cap. 36.)

Considera quemádmodùm eos qui ad Offícia Ecclesiæ accédunt, despiciéntiam rerum humanárum habére dó-

ceat Apóstolus : tibi contemptum divitiárum suádet, nihil permittens nisi quod te exérceat ad pietátem. Exérceat ergo te píetas ad justítiam, continéntiam, mansuetúdinem. Non te ímplices negótiis seculáribus, quóniam Deo mílitas.

FERIA QUINTA.

Ex Sermóne sancti Augustíni de Pastóribus Ecclésiæ.

(Extat in Concilio Aquisgran. Ann. 816. Lib. 1, cap. 12.)

Apostolus dicit sic Dóminum disposuisse, ut qui Evangélium annúntiant, de Evangélio vivant; non tanquam venále sit Evangélium; ut istud sit prétium ejus, quod sumunt qui annúntiant, unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accípiant sustentatiónem necessitátis à pópulo, mercédem dispensatiónis à Dómino.

FERIA SEXTA.

Ex Libro Juliáni Pomérii de vita comtemplatíva.

(Script. circa an. 491. C. 10.)

Si Apóstolus qui nihil habébat, nóluit de Evangélio, ubi laborábat, sed suis mánibus vívere, ne mercédem amítteret; quid nos, qui et própria nólumus, amóre possidendi, non vivendi necessitáte, relínquere, et accípere ínsuper vólumus, non unde vivámus, sed unde censum nostrum damnabílibus incrementis augeámus?

SABBATO.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

(An. 1576. c. 3, tit. Monition.)

Exemplo sanctórum, vos paupertáte, sobrietáte, ac parcimóniâ itá ágite, ut non modò à supervacaneárum rerum úsibus abstinentes, sed vestro étiam defraudantes victu, Ecclésias vestras et altária exornétis. Aliénis item necessitátibus subveniátis; et paupéribus opituléminí.

DOMINICA QUARTA

POST EPIPHANIAM.

Ex Concílio Parisiensi sexto.

(An. 829. Lib. 1, c. 19.)

Irrepsit in nonnullis (Sacerdótibus) corrigenda consuetúdo quæ jam pro lege tenétur, super diversárum rerum innúmeris superfluitátibus et vanitátibus, necnon in vanæ glóriæ appétitu; et, quod his periculósius est, sui offícii curâ posthábitâ, in divinórum præceptórum transgressióne. Non ígitur mirum est si propter hæc et his simília Deus offendátur, et infir-

mórum ánimis scándalum generétur, statusque sanctæ Ecclésiæ periclitétur.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de Vita et Hon. Cleric.)

Oculus, incessus, vultus ac vestítus annúntient de hómine ut Scriptúra tradit; idcircò nec in exterióri cultu Presbyteri negligentes sint, valdè enim indecórum est à plerisque affectári sordes in família, in véstibus, et quod pejus est in Ecclésiæ Sacramentis et Altári, quod máximum indícium est immundi et impudíci cordis; álii è contra exquírunt delícias ac sui statûs planè oblíti induuntur more seculári. Revocentur ígitur Clérici omnes ad eam quæ eos decet, modéstiam et honestátem.

FERIA TERTIA.

Ex Epístola sancti Bernardi Abbátis ad Fulcónem adolescentem Cléricum.

(Ep. 2, script. c. an. 1120.)

Dignum est ut qui altário deservit, de altário vivat. Concéditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altário vivas, non autem ut de altário luxuriéris, ut de altário supérbias. Dénique quidquid præter necessárium victum ac símplicem vestítum de altário rétines, tuum non est; rápina est, sacrilégium est. Contenti simus vestimentis, quibus operiamur, non quibus lasciviámus, non quibus superbiámus.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de Vita et Hon. Cleric.)

Episcopi móneant omnes, et quascumque Ecclesiásticas persónas quæ aut Sacris initiátæ sunt, aut dignitátes, personátus, offícia, benefíciave quæcumque Ecclesiástica étiam simplícia óbtinent ut Clericálem hábitum sumant. Si autem non súmpserint, vel susceptum deserúerint, offíciis ac benefíciis ecclesiásticis priventur, et sevérè prætérea ab Epíscopo puniantur.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Ut suprà.)

Præsbyteri, Diáconi, Subdiáconi, cæterique Clérici clericáli Tonsúrâ sint insigníti, ad eam formam quam rátio uniuscujuscumque Ordinis postulábit; ita sint abráso capillo, ut Tonsúra perspícua sit ómnibus; comam verò ne studiósè nútriant, capillis símplicem cultum adhíbeant.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Ut suprà.)

Arma Clérici ne déferant, ne personáti unquam incédant, neve comœdiárum

aut choræárum, aut prófani ullíus spectáculi actóres sint vel spectatóres, nevè ullum venatiónis genus exérceant, aut canes, accipitresvè, aut áliud alant venáticum ánimal.

Tu autem.

SABBATO.

Ex Concílio Aquensi.

(Ut suprà.)

Vestes adhíbeant Clérici colóris tantum nigri, séricis ómnibus ornamentis exclusis, exterióream, quidem tálarem, in itínere verò breviores permíttimus. Annulos ne déferant, nisi quibus ex dignitátis offício cónvenit. Ac dénique in vestítu omnem novitátem fúgiant, non tantùm nímiæ elegántiæ quàm sórdium et negligéntiæ suspiciónem evitantes.

DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM.

Ex Concílio Parisiensi sexto.

(An. 829. Lib. 1, c. 29.)

Sunt multa divínæ legis præcepta et sanctórum Patrum dicta, quæ Sacerdótes Dómini à terrenis et seculáribus negótiis expedíri, cœlestíque milítiæ líberè sánciunt servíre. Quisquis ígitur Presbyterórum se ab his cohibére detrectáverit, dignum est ut ab Epíscopo suo rígidâ corripiátur invectióne.

Tu autem.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Carthaginensi tértio.

(Ann. 388. C. 15.)

Placuit ut Epíscopi, et Presbyteri, et Diáconi, vel Clérici, non sint conductóres et procuratóres, neque ullo turpi vel inhonesto negótio victum quærant...

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de Vita et Hon. Cleric.

Ab omni génere mercatúræ; aut à laicórum negótiis tractandis omníno abstíneant Clérici, neque se in eis médios ponant aut interprétes adhíbeant, nevè prædia étiam Ecclesiástica aut décimas ipsi, vel per interpósitas persónas condúcant, aut cum ipsis conductóribus aliquómodo partícipent, minusque ab eis áliquid eo nómine accípiant.

FERIA QUARTA.

Ex Commentário sancti Hierónymi in Epístolam ad Titum.

(Script. ann. 387.)

Sunt multi docentes quæ non oportet, turpis lucri grátiâ; qui totas domos subvertunt, et putant quæstum esse pietátem. Mélior est autem, juxta Salomónem, módica accéptio cum justítia, quàm multa genímina cum iniquitáte; et magis eligendum in paupertáte nomen

bonum, quàm in divítiis nomen péssimum. Turpis lucri appetítio est plusquàm de præséntibus cogitáre.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Parisiensi.

(Ann. 1212. Part. 1, c. 25.)

Omnes sive Cléricos, sive Láicos qui merces suas vendunt ad términum, ut propter ipsum términum cáriùs vendant, tam pœnâ quàm culpâ usurariórum apud Deum et hómines decérnimus obligátos.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Burdigalensi.

(Ann. 1583. tit. 21, de vita et morib. Cleric.)

A quovis vétito et indecóro ludo, tùm privátim, tùm públicè pénitùs Clérici abstíneant. Comessatiónibus et minùs honestis convíviis nunquam intersint: forum, mercátus, andrónas fúgiant.

SABBATO.

Ex Synodo Ebroicensi.

(Ann. 1576.)

In primis cáveant omnes Ecclesiástici ab illis vitiis propter quæ irritátur Deus, et nomen ejus blasphemátur inter gentes, atque Ecclésia Dei affligitur. Sint mores eórum sine avarítia; pro quocumque offício contenti his quæ sibi vel jus ipsum, vel laudábilis consuetúdo constítuit: ac ne quidem avídiùs sive inhumániùs quod sibi debétur éxigant, atque in ómnibus pauperiórum ratiónem hábeant.

De castitate, verecundia, et temperantia clericali.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Ex Concílio Toletáno quarto.

(Ann. 633. cap. 21.)

Inoffensos et immaculátos decet Dei Sacerdótes exístere, nec ullo eos fornicatiónis contágio póllui: sed castè viventes, mundos semetipsos celebrandis exhíbeant sacramentis.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Turonensi primo.

(Ann. 461. can. 1.)

Si universis fidélibus secundùm Apostólicam doctrínam cástitas custodienda indícitur, quantò magis Sacerdótes Dei ac Levítæ divíno mancipáti altário custodire debent, ut non solùm cordis, verùm étiam córporis puri-

tátem servantes, pro plebe supplicatúri, ad divínum introíre mereantur audítum.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Toletáno quarto.

(Ann. 633. C. 21 et 22.)

Sacerdotes casté viventes, mundos semetipsos celebrandis exhíbeant Sacramentis. Abstineámus ergo nos ab omni ópere malo, et ab omni inquinamento carnis líberi maneámus; ut mundi córpore, purgáti mente, possímus ad sacrifícium Christi digni accédere, et Deum pro delictis ómnium deprecári.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Toletáno quarto.

(Ann. 633. cap. 22.)

Quamvis consciéntiam nos habére puram apud Deum opórteat, tamen apud hómines famam óptimam custodíre cónvenit; ut, juxta præceptum Apostolórum, non tantùm coram Deo, sed étiam coram homínibus vitæ sanctæ testimónium habeámus.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Nicæno primo œcuménico.

(Ann. 325. Can. 4.)

Interdixit magna Synodus, non Epíscopo, non Presbytero, non Diácono, nec alicúi omnínò qui in Clero est, licére subintroductam habére, nisi forté aut matrem, aut sorórem, aut amítam, vel matérteram, vel eas tantùm persónas quæ suspiciónes effúgiunt.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Burdigalensi.

(Ann. 1624. Cap. 13. De vita et honest. Cler. n. 2.)

Curent Epíscopi ne sub parentélæ título, quosvis sacerdótes cum muliéribus cohabitáre, ántequàm de consanguinitátis veritáte sibi plené constat, permittant, áliàs eosdem pœnis in jure latis coérceant. De áliis Sacerdótibus quorum consanguíneæ cómmodùm in século vívere possunt, idem censentes.

SABBATO.

Ex Epístola sancti Hierónymi Presbyteri ad Nepotiánum.

(Script. ad ann. 394.)

Hospitiolum tuum, aut raró, aut nunquam mulíerum pedes terant. Omnes puellas et vírgines aut æquáliter ignóra, aut æquáliter dílige; nec sub eódem tecto mánseris, nec in prætérita castitáte confídas. Nec Samsóne fórtior, nec Davíde sánctior, nec Salomóne potes esse sapiéntior.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Ex Concílio Mediolanensi tértio.

(Ann. 1573. Tit. 1.)

✝Studeat Epíscopus, ut, quo témpore in Septuagésimæ, Sexagésimæ, et Quinquagésimæ hebdómadis Ecclésia mater pópulum Dei ínstruit ac præparat ad sanctè recolendam Christi Dómini passiónem et crucem, fidéles spectácula, ludos scénicos, et ália tunc præsertim morum corruptélis introducta, tanquam à sanctíssimis Ecclésiæ institútis abhorréntia, omnínò fugientes, ad pietátis christiánæ stúdia, et ad oratiónem attentióres sint, propósitâ omni christianárum actiónum exercitatióne.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Cameracensi.

(An. 1565. Canone 50, quem sanctus Carolus an. 1576, suis Decretis ascivit.)

Ne Pastóres et Clérici libros apud se téneant aut legant, ex quibus corrumpi Relígio, boníque mores, ac stúdium boni óperis, timorque et amor Dómini languére possit: ut sunt libri qui lasciva, scurrília, vana et impúra cóntinent; ne horum librórum lectióne seipsos et pópulos sibi créditos corrumpant.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Parisiensi sextó.

(Ann. 829. Lib. 1. Can. 38.)

Cum ab ómnibus Christiánis, juxta Apóstoli documentum, stultilóquium et scurrílitas sit cavenda; multò magis à Sacerdótibus Dómini, qui áliis exemplum et condimentum salútis esse debent, cavéri óportet. Hæc quippe à sanctis viris pénitùs sunt propellanda, quibus magis cónvenit lugére, quàm ad scurrilitátes et stultilóquia, et céteras vanitátes quæ ánimum christiánum à rigóre suæ rectitúdinis emollíre solent, in cachínnos ora dissólvere.

FERIA QUARTA.

Ex libro secundo sancti Isidóri Hispalensis Epíscopi, de Offíciis Ecclesiásticis.

(Cap. 2. de Reg. Cleric. an. 630 Extat in Concilio Moguntino an. 813. C. 10.)

Clericis lege Patrum cavétur ut à vulgári vita seclúsi, à mundi voluptátibus sese abstíneant, nec spectáculis nec pompis intersint, secularia negótia fúgiant, non vagis óculis, non infræni linguâ, aut petulanti tumidoque gestu incédant; sed pudórem ac verecúndiam mentis símplici hábitu incessuque ostendant.

FERIA QUINTA.

Ex statútis Synodálibus Andreæ Hérculis de Fleuri Forojuliensis Epíscopi.

(Ann. 1714, n. 2.)

Clericis nostræ Diœcesis prohibémus ne familiáriter versentur in cœtibus fœminárum; ne sint frequenter cum eis in convíviis, vel ludis, vel oblectaméntis, cum illud sit plerumque pópulo causa scándali, ipsis Cléricis periculósum, et ídeò sacris Canónibus vetítum.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Turonensi tértio.

(Ann. 813. Can. 7 et 8.)

Ab ómnibus quæcumque ad áurium et ad oculórum pértinent illécebras, unde vigor ánimi emollíri posse credátur, Dei Sacerdótes abstinére debent; quia per áurium oculorumque illécebras vitiórum turba íngredi solet.

SABBATO.

Ex Concílio Londinensi.

(Ann. 1268. Can. 4.)

Quoniam in armis virtútum consistat secúritas innocéntiæ christiánæ, docet Apóstolus ut induámur armatúram Dei, et gládio spíritûs accingámur; eò quòd non sit nobis colluctátio adversùs carnem et sánguinem, sed adversùs príncipes tenebrárum, qui non armis férreis, sed oratiónibus, et lácrymis, et virtútum opéribus expugnantur. Cléricis ígitur qui ad præcláram Christi hæreditátem assumpti sunt, usus armórum sit omnínò prohíbitus.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Ex Concílio Turonensi primo.

(An. 461. can. 1.)

Cum Láico abstinéntia imperétur, ut possit oratióni vacans, et Deum déprecans, exaudíri : quantò magis Sacerdótibus vel Levítis, qui omni momento paráti esse Deo debent in omni mundítia et puritáte secúri, ne aut sacrifícium offerre aut baptizáre, si id témporis necéssitas popóscerit, cogantur?

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Aquensi.

(Tit. de vita et hon. Cleric.)

A Comessatiónibus et minus honestis convíviis abstíneant Clérici omnínò, atque ab iis étiam quæ pótius luxus aut voluptátis sint, quàm propinquitátis aut necessitúdinis causâ institúta. Ne dictériis aut mordácibus utantur sálibus, neve Scriptúræ Sacræ verbis ad profános sermónes abutantur.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Aquileiensi.

(Ann. 1596. Tit. 11.)

Convivia, et nímiam Laicórum familiaritátem, multárum offensiónum et scandalórum oríginem, debent Clérici in quocúmque gradu constitúti declináre ac fúgere. Meminisse verò debent non aliunde clericális órdinis dignitátem gráviùs fuisse offensam, quàm à nímia Laicórum familiaritáte.

FERIA QUARTA.

Ex canónibus Apostolórum.

(Can. 53.)

Si quis Cléricus in caupóna cómedens deprehensus fúerit, segregétur; prætèrquàm si in público diversório in via propter necessitátem divérterit.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Clovesboviensi secundo.

(Ann. 747. can. 21.)

Ecclesiastici álios non cogant intemperanter bíbere; sed pura ac sóbria sint eórum convívia, non luxuriósa, neque delíciis, vel scurrilitátibus mixta.

FERIA SEXTA.

Ex Synodo Ebroicensi.

(Ann. 1576.)

Secularibus homínibus nec Joannis Baptistæ austéritas, nec Christi in victu populáritas probári pótuit. Proinde sátius est Ecclesiásticos viros fúgere promíscua contubérnia seculárium, ac pótiùs hospitalitátem inter se exercére.

SABBATO.

Ex Concílio Tridentíno.

(An. 1562. Sess. 22 de Reform. Cap. 1.)

Quæ áliàs à summis Pontifícibus et à sacris Concíliis de Clericórum vita, honestáte, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessatiónibus, chóreis, áleis, lúsibus, ac quibuscumque criminibus, necnon seculáribus negótiis fugiendis copiósè ac salúbriter sancíta fuérunt, éadem in pósterum iisdem pœnis vel majóribus arbítrio Ordinárii imponendis observentur; nec appellátio executiónem hanc quæ ad morum correctiónem pértinet, suspendat.

De præparatione ad Quadragesimalem Pœnitentiam.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Ex Concílio Mediolanensi quinto, sub sancto Cárolo.

(An. 1579. Part. 1, titulo 7.)

✝ Parochus die Domínico qui Fériam aspersiónis Cínerum próximè præcédit, pópulum salutáres utilitátes dóceat, quas in eórum benedictióne multis oratiónibus Ecclésia petit. Fidéles móneat quàm religiósâ pietáte, quàm contríto corde, quàm húmili demissoque vestítu ad eam (Cínerum aspersiónem) convéniant, quàmque sériò státuant jejúnii dies in amaritúdine ánimæ tradúcere ad peccatórum satisfactiónem.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Cabilonensi.

(Ann. 813. Can. 10.)

Sobrietatem Sacerdótes téneant, et hanc habendam fidélibus prædicent; quia non potest líberè sobrietátem prædicáre, qui se mero usque ad alienatiónem mentis ingúrgitat.

FERIA TERTIA.

Ex Líttera sancti Cároli de témpore Septuagésimæ.

(Ann. 1574.)

Quanto magis mundus suis ómnibus dissolutiónibus, profánis lúsibus, dæmonisque opéribus insaníre vidébitur; tantò magis ex caritátis débito cæcitáti eórum (qui ad convívia, festa, aliaque vétita oblectamenta læti et álacres currunt,) debétis unâ cum Ecclésia condolére, et ardentióribus oratiónibus Dóminum deprecári, nolit ad tot ingráti nostri erga ipsum ánimi vítia respícere; sed pro immensa sua misericórdia his dignétur, utpótè frátribus nostris, licet obcæcátis, compunctiónis spíritum, nobisque emendatiónem impertíri.



INDEX PSALMORUM.

INDEX CANTICORUM PSALTERII
ET ORDINARII.

INDEX PSALMORUM GRADUALIUM.

FINIS.



INTONATIONES ET TERMINATIONES
PSALMORUM ET CANTICORUM,
SECUNDUM OMNES CUJUSQUE MODI DIFFERENTIAS.

In hocce Breviario ad Antiphonas quisque Tonus suo numero notatur : variæ etiam cujusque Toni species, seu modi, suis litteris designantur; *Completi*, majusculis; minusculis verò *incompleti*. Modus autem *completus* ille est qui in singulis Psalmi versibus desinit in legitimam Toni sui finalem; *incompletus* verò qui, non in Psalmi versibus, sed in sola Antiphona perfectè terminatur. Solæ vocales *e, u, o, u, a, e*, infra particulares terminationum variationes, brevitatis causâ, ponuntur : inveniuntur in his verbis, *seculorum amen*, et quæcumque verba repræsentant. Duæ claves significant Tonum duplici modo oculis subjici posse.

Cùm intonatio Canticorum Evangelicorum sit eadem ac Psalmorum in Tonis imparibus, non hìc specialiter notatur.

PRIMUS MODUS.

D

Lauda-te Dominum omnes gentes, laudate

eum omnes po-puli.

D — e u o u a e | J — e u o u a e

f — e u o u a e | g — e u o u a e

g — e u o u a e | a — e u o u a e

A

Lau-date Dominum omnes gentes, * laudate eum

omnes populi. Quoniam confirmata est super nos

misericordi-a ejus. Spiritu-i sancto. Et in secula

seculorum. Amen.

SECUNDUS MODUS.

D

Laudate Dominum omnes gentes. Credidi

propter quod locutus sum. e u o u a e

In Canticis Evangelicis.

Bene-dictus Dominus Deus Is-ra-el.

Magni- ficat * a- nima.

A

Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e

In monosyllabis hebræisque vocibus non declinabilibus.

Credi-di propter quod locutus sum.
Me- men-to Do-mine David.

In Canticis Evangelicis.

Nunc di-mittis servum tuum Do-mine.


TERTIUS MODUS.

E

Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e


a *a* e u o u a e

à *a* e u o u a e



e u o u a e   e u o u a e


QUARTUS MODUS.




Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e

e u o u a e   e u o u a e

In monosyllabis, etc.




Credidi propter quod locutus sum.
Me- men-to Do- mine Da- vid.



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e




Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e




e u o u a e   e u o u a e

In Canticis Evangelicis.



Bene-dictus Dominus De-us Is- rael.


QUINTUS MODUS.



Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e



e u o u a e frumenti sati-at te.



Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e


In monosyllabis, etc.



Credidi propter quod locutus sum.
Memento Do- mine Da-vid.


SEXTUS MODUS.

F




Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e

F




e u o u a e

In Canticis Evangelicis.




Bene-dictus Dominus Deus Is-ra-el.

C



Lauda-te Dominum omnes gentes. Et in secula




e u o u a e

In Canticis Evangelicis.



Benedictus Dominus De-us Is- ra-el.




Magni-fi-cat anima. Magni-ficat.

C



Lauda-te Dominum omnes gentes. Et in secula



e u o u a e

In Canticis Evangelicis.



Bene-dictus Dominus De-us Is- ra-el.

SEPTIMUS MODUS.

G

Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e

a a — e u o u a e

b — e u o u a e

ç ç — e u o u a e

c c — e u o u a e

d — e u o u a e

d — e u o u a e

OCTAVUS MODUS.

G

Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e

G — e u o u a e

c — e u o u a e

d — e u o u a e

In Canticis Evangelicis

Benedic-tus Dominus De-us Is-ra-el.

Magni-ficat a-nima magna qui potens est.

Hæc quatuor verba dicuntur sub eodem cantu in secundo tono.

In monosyllabis, etc.

Credidi propter quod locutus sum.
Memen- to Do- mine David.

Notandum intonationes suprà notatas servari tantùm, in primo cujusque Psalmi versu; ceteros verò versus à dominante in directum inchoari; quod et observatur in Canticis Evangelicis, nisi organa pulsentur : tunc enim versus qui canuntur à Choro, eodem modo inchoantur quo primus.

Mediatio autem in iisdem Canticis eadem semper est ad singulos versus quæ ad primum. Quia verò in primo versu Cantici *Magnificat* propter brevitatem mediatio compleri nequit, in cæteris ejus versibus ad eam recurrendum est quæ ad *Benedictus* supra notatur.

NEUMATA.

1 Toni, in A vel D

2 in A.

2 in D.

3.

4 in E.

4 in A.

5 in C.

5 in F.

6 in C, vel F.

7.

8.





